Pro Bibliotheca S.ae M.ae Transpontine
Ex Don.e P. Seraphini à Jesu M.a Fritij
Belgiu...

ANTIQUITAS ILLUSTRATA

CIRCA CONCILIA GENERALIA ET PROVINCIALIA, DECRETA ET GESTA PONTIFICUM, ET PRÆCIPUA Totius Historiæ Ecclesiasticæ capita

PER
D. EMANUELEM A SCHELSTRATE
DE BELGIO ANTUERPIENSEM
SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOREM.

Ubi exponuntur selectiora hodierno tempore tam in Gallijs, quàm alijs Orbis Catholici Regionibus circà Antiquitatem Ecclesiasticam controversa, ac corriguntur errores quam-plurimi, qui infelici nostro sæculo ut venena serpunt, & incautos ubique inficiunt.

ANTUERPIÆ,
Typis MARCELLI PARYS, sub Turri D. Virginis. 1678.
Cum Gratia & Privilegio.

INNOCENTIO XI.

URBIS ROMÆ EPISCOPO

TOTIUS OCCIDENTIS PATRIARCHÆ

Summo univerſalis Eccleſiæ Pontifici.

. EMANUEL DE BELGIO

Felicitatem perpetuam.

BEATISSIME PATER

QVod operta fluctibus navicula obumbraverit agitandā variâ hæreſum tempeſtate Eccleſiam, præclarè admonuit magnus quondam Carthaginenſis Eccleſiæ Presbyter Tertullianus, cui ſerm. 20. *conſentiens S. Ravennatis Eccleſiæ Archiepiſcopus Petrus Chryſologus, ſcriptum reliquit: quod* Chriſtus Eccleſiæ ſuæ navim mare ſæculi transfretaturus aſcendit. *Mare ſæculi, in quo fluctibus operta agitatur figuratæ Eccleſiæ navicula, ut fideles Apoſtolico edocti exemplo, dum procellæ ſchiſmatum rugiunt, ſpumoſæ novitatum undæ in altum exurgunt, pro animarum ſalute conclamarent ad Dominum, & conclamantibus exurgerent de puppi, qui ad clavum Eccleſiæ ſedent, operis Dominici vicarij. Vnde illa cura, quam ſibi cordi edixit in nuperrimo contentionis ven-*

to Innocentius X. Ut Ecclesia Dei nobis ex alto commissa..... tanquam navis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus ac procellis, securè navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit. *Cui non absimile Gallicanum illud priscæ venerationis testimonium, quod in exortâ alterius schismatis tempestate ad eumdem de puppi imperantem Pontificem reponunt octoginta Galliarum Episcopi*: experta est nuper Beatitudo tua; quantum Apostolicæ Sedis in gemini Ecclesiæ capitis errore profligando valuerit authoritas: continuò sedata est tempestas, atque ad Christi vocem & imperium venti & mare obedierunt.

Neque hic sistit Mysticæ navis arcanum, nam altius indaganti somno oppressus occurrit in puppi Dominus, sopore non suam dumtaxat, ut interpretatus est idem Ravennâtensis Archiepiscopus, sed Vicariorum quoque ad clavum Ecclesiæ sedentium mortem obumbrans, ut cum dormitante velut nuper in Clementis decimi obitu æterni Patris Filio, ad novitatum fluctus fideles suas undique voces in cælum extollerent, sicque ad unitas Ecclesiæ preces alter excitareris operis Dominici Vicarius, qui solis instar oriente Principatus vestri regimine spem omnium alens fidelium oculos in te convertis, dum ad sacratam oris vocem oves anhelant, ut sequantur Pastorem: Christiani aspirant, ut amplectantur sententiam: turbines & novitatum fluctus venerabundè inclinant, ut tanquam ad Christi vocem & imperium venti & mare obediant. Enimverò quantum ex optatissimâ vestri Principatus ad summi honoris fastigium electi fama exortum sit gaudium, testatæ jam dudum fuerunt

lætæ

læta illa regionum omnium facies, admirabilis Ecclesiarum exultatio, singularis Christianorum Principum applausus, bonorum undique gratulabundæ voces, quibus quod ego post elapsa temporum spatia de ultimis Ecclesiæ Septemtrionalis terminis meas conjungere non reformidem, facit primùm incredibilis illa benignitas, quâ complecteris universos, suadentque illa exiguitatis nostræ de totius quidem Ecclesiæ, sed Apostolicæ præsertim Sedis antiquitate opuscula pluribus titulis ejusdem Sedis Pontifici nuncupanda.

Dolebat Animus inimicum hominem agrum Dominicum ingressum novitatis Zizania sparsisse inter prisca Traditionis frumenta; auctaque animi tristitia, quod sub vetustatis specie exurgerent non jam sanctorum Patrum documenta, sed prurientium ingeniorum, lolia quibus extirpandis aliquos de sacra Antiquitate tractatus duxi opponendos, ut si scriptum reliquerit Sixtus tertius ad Ioannem Antiochenum Episcopum: nihil liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati: *vel ab invitis ad illud Cælestini primi extorqueatur reverentia*: desinat incessere novitas vetustatem. *Non novitatis sed priscæ veritatis apologum cano, sola amans, quæ orthodoxorum dogma sanciant, & ut loquar cum Eminentissimo Cardinali Francisco Barberino*, jura vetera Sedis Apostolicæ illustrent, quæ laxitatem obrepentem hodiernis moribus cinctu quasi severiori disciplinæ veteris adstringant, & plerisque inquieti hujus & factiosi sæculi malis, maximè autem prurigini novitatum, (quæ cæterarum ferè pestium fons est) aptissimum remedium esse possint.

 Et

Et hæc ſunt, Beatiſſime Pater, *quæ pro Eccleſiaſticâ Antiquitate conatus ſum hactenus, & conabor pro viribus, oſtenſurus cum annalium parente, & æternæ memoriæ viro Baronio, veritatem mendacijs non egere, nec Eccleſiam aut Sedem Apoſtolicam ſuppoſititijs (ut paſſim hæretici garriunt) niti monimentis*, *quod* ſuper ſolidum fundamentum, firmamque petram ſtructa ſit, ſemper manens, numquam caſura, ſincera fides. *Licet verò univerſa Chriſtiana Reſpublica priſtinum Sedis Apoſtolicæ ſplendorem, qui magno bonorum omnium mœrore apud quoſdam adeò pravis opinionibus imbutos, ut glorientur in malo, impetitus extitit, brevi ſe in omnium etiam corruptiſſimorum animis ſub veſtri Principatus auſpicijs recuperaturum ſibi polliceatur, hiſce equidem de vicinâ hæreticorum partibus, florentiſſimâ tamen, Eccleſiâ Antiquitatum monimentis inſtructus Sanctitatis veſtræ ſolium accedo, ut, dum huic labori noſtro à Sedis Apoſtolicæ nomine patrocinium imploro, ſacris pedibus advolutus voto purpurati Principis & Sancti Petri Damiani abſolvam*: Omnipotens Deus te, ſumme Pater, ad conſervanda Eccleſiæ ſuæ jura cuſtodiat *nitentem, foveat vigilantem, ſoſpitet incolumem.*

Illuſtriſſimis ac Reverendiſſimis Dominis

D. FRANCISCO
DE BAILLENCOURT
BRUGENSIUM,
ET
D. AUBERTO
VANDEN EEDE
ANTUERPIENSIUM EPISCOPIS.

NEC NON

Admodum Reverendo ac Ampliſſimo Domino

D. HERMANNO JOSEPHO
VANDER PORTEN,

S. MICHAELIS ORD. PRÆMONSTRATENSIS ANTUERPIÆ ABBATI.

Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi, nec non Ampliſſime Domini,

IAm dudum menti inhæſerat alia planè, quam eruditis placuit, de Synodo Antiochenâ opinio: cumque re altiori indagine diſquiſitâ lucidè apparuiſſet, quantus Antiquitatis Eccleſiaſticæ theſaurus in ſuppreſſione iſtius Concilij manſiſſet neglectus, eruendo tam illuſtri diſciplinæ veteris monimento operam ab annis aliquot ſedulò impendi, ut vario tractatu ornatus ſub auſpi-

auſpicijs veſtris orbi appareret longè ab omni nævo alienus. Crevit jam in molem operis ſtructura, nec acta modo & totius Synodi Hiſtoriá contrà communem Scriptorum ſenſum parantur edenda, ſed & præcipua fidei Catholicæ myſteria, antiqui Chriſtianorum ritus, priſca Epiſcoporum jura ex Canonibus Antiochenis illuſtrata celeberrimo veſtro nomini aptantur nuncupanda.

Verum dum huic qualicumque labori noſtro animus impaleſcit, ſedulò perpendenti, quantis iſta hæc, quam trahimus, vita ærumnis & calamitatibus conflictetur, occurrit ſubindè, vitam ipſam continuò cum morte luctari, & menti ſe obijcit Horatianum illud altè retinendum: *Quis ſcit, an adijciant hodiernæ craſtina vitæ tempora Dij ſuperi?* vario titulo obſtrictus Gratijs veſtris, obſervantiam in vos meam aliud in tempus protraherem, & dum ne craſtino quidem dominamur; vellem, ut loquar cum Romano Sapiente, ætatem diſponere, & ab hodierno ad craſtinum appellare: quod quam debeat ab omni obſequioſo animo eſſe alienum, non Patres dumtaxat in editis divino favore operibus, ſed gentiles quoque clamant in prophanis ſuorum ſcriptis, quæ ne Chriſtianus certioribus regulis inſtitutus neglexiſſe videar, quod immaturum differre ſtatuerat conſilium, nunc potius inchoari poſtulat, quod unicè poſſidemus, temporis momentum. Aviculas aiunt, cum nihil poſſent opulentius, plumas ad magnificentiſſimum Delphici Apollinis templum, ſicut & apes ceras, ultrò detuliſſe. Et ego, cum nihil habeam præſtantius, quàm hos, qui graviſſimo veſtro judicio placuerunt, mini-

minimi ingenioli noſtri fœtus, eos ut leviores plumas, aut conſtructas ex favo Antiquitatis ceras ad tantam eruditionis veſtræ gloriam non ſecus, ac ad quoddam Delphici Apollinis ſacrarium, ſiſto amplectendos benignitate, tutandos ope, proſequendos favore.

Enimverò perpetue ac hæreditarie Flandriæ Cancellarie Illuſtriſſime Brugenſium Epiſcope, ſive infuſas cœlitus dotes, ſive acquiſitam humanitus eruditionem veſtram contuear, eas eſſe, quæ omnium animos in admirationem rapiunt, nemo negabit, qui vel eruditum oris veſtri eloquium ſemel percepit. De primo ætatis flore teſtimonium reddet alma Lovanienſium Univerſitas,in quâ, poſt peracta præcipua S. Facultatis munia, ad juris utriuſque Doctoratum promotus, in auditorum undequaque confluentium animis tantâ eruditione apparuiſti conſpicuus, ut dilatatâ per univerſum Belgium glorioſi veſtri nominis famâ menti omnium firmiſſimè inhæſerit, non ibi quieturum ingenium, quod videbatur ad altiora natum. Nec vanum præſagium; ex almâ Facultate Lovanienſi ad ſupremam Curiam Mechlinienſem tranſlatus gravioribus cauſis dijudicandis tantâ bonorum omnium ſatisfactione per annos plurimos operam impendiſti, ut nemo fuerit, qui tantæ virtuti debitum negarit altius, quod nunc feliciter poſſides, ſacri Epiſcopatus faſtigium. Nec adulari me credet poſteritas: pauca dico, plura Chriſtianæ modeſtiæ memor Mœcenatis mei elogia prætereo, hoc unum oblecrans, ut, quod in celeberrimi cujuſdam viri obitu exclamatum meminetim; ſuccubuiſſe virum illum, qui non minus dignitati

ſuæ decorem adderet, quam ab illa gloriam mutuaret: hoc inquam Patiaris Illuſtriſſime Brugenſium Epiſcope, ut æternitatis memoriæ conſecrem in honorem Gratiæ Veſtræ ſuperviventis: dumque ad Palatium veſtrum, quod cum inſignis eruditionis viro in oratione funebri Antonij Auguſtini Tarraconenſium Epiſcopi, verius Delphico ſacrarium meritò dixerim, propius accedo, votum meum adimpleat Omnipotens, ut eruditionis veſtræ gloria Epiſcopatus gradum decoret in ævum.

Nec minor eruditionis veſtræ fama, Digniſſime Antuerpienſium Epiſcope: floruit jam inde ab annis aliquot in hoc illuſtri Antuerpienſis Eccleſiæ Capitulo Avunculus magni nominis Aubertus Miræus, qui dum ob ſcripta ſua Orbi univerſo innotùit, præclara nobis reliquit Eccleſiæ monimenta, quæ ex omni Antiquitate eruta etiam hiſce noſtris ejuſdem materiæ opuſculis adjumento fuerunt: & ab hoc Antuerpienſis Capituli Decano non contentus nomen fuiſſe mutuatum, eruditionis quoque ſpiritum hauriendum duxiſti, in cujus fidem & hoc æternæ viri memoriæ conferre vobis placuit, ut quæ poſt obitum reliquerat inedita, vel pridem ſtudio veſtro in lucem prodirent Antiquitatis monimenta, vel nunc anterioribus in meliorem ordinem redactis adjuncta, Orbis univerſus non diutius exſpectaret recudenda. Sed quid hæreo in conſanguinei Miræi elogio, ubi tam illuſtris veſtri nominis fama poſt eum ſuperſtes volitat per omnium ora, & poſt Miræos duos Antverpienſem Epiſcopum unum, alterum Antverpienſis Capituli Decanum videaris imbuiſſe duplicem illum

ſpiri-

ſpiritum, quem olim à fugitivo ex hoc mortalium cœtu Prophetâ conſtat deſideraſſe Eliſæum. Cum inſuper Gratiæ Veſtræ poſt peracta varia in Eccleſiâ Dei officia, poſt exercitam per annos plurimos Archidiaconi dignitatem, ad Epiſcopatum meminiſcor aſcenſus, in mentem venit illud de Cornelio Romano Cypriani Carthaginenſis elogium: *Non iſte ad Epiſcopatum ſubitò pervenit, ſed per omnia Eccleſiaſtica officia promotus, & in divinis adminiſtrationibus ſæpè promeritus ad Sacerdotij ſublime faſtigium cunctis religionis gradibus aſcendit.* Non ſubitò, quid verius? jam enim Iubilariâ ætate major, in divinis adminiſtrationibus ſæpè promeritus ſublime Epiſcopatus faſtigium nuper aſcendiſti, quod ut diu ſub tanto Epiſcopo floreat, præcamur omnes, addens pro ſpeciali voto, ut ſub Gratiâ Veſtrâ contrà vicinos hæreticos etiam proſperetur & vigeat.

Nunc ad Amplitudinem veſtram, quæ Sacrum candidi Ordinis Præſulatum à glorioſiſſimo Norberto in hoc Civitatis noſtræ contrà Septemtrionales hæreticos propugnaculo inſtitutum hæres illuſtrat, ſermonem converto, & cum exiguitatis meæ opuſculum varias ob cauſas ſub Illuſtriſſimorum virorum patrocinio lucem publicam videre oportuit, decuit ſanè obſequia in te mea oſtendere, & nullatenus eruditionis veſtræ præſtantiam præterire. Cum enim de me immerente ita meritus ſis, ut nullum officij genus prætermittere poſſe videar ſine notâ hominis ingratiſſimi, indulge obſecro, ſi animus fuco carens, quod ſæpius in Amplitudine Veſtrà mirari contigit, eminentes animi dotes, quibus te ornavit Omnipotens, & tam eminenti Præ-

 ſulatu

ſulatu dignum reddidit, publico hoc ſcripto publicè teſtetur. Innotuit jam dudum Civitati noſtræ eruditionis veſtræ fama, quæ in diſſerendo ex ſuggeſtu tantâ luce toties emicuit, ut terminos non urbis, ſed Belgij univerſi prætergreſſa ipſam Catholicæ Majeſtatis Regiam penetrarit, & exinde tantæ virtuti debitum Præſulatus honorem retulerit: qua in dignitate ut Omnipotens benedicat tibi benedictionibus cæli deſuper, & unà cum Illuſtriſſimis meis Dominis Brugenſium & Antuerpienſium Epiſcopis cœlitus benedictum Eccleſiæ ſuæ diu cuſtodiat, apprecatur

Illuſtriſſimorum Dominorum ac Amplitudinis veſtræ

Minimus Famulus

EMANUEL A SCHELSTRATE
De Belgio Antuerpienſis.

TESTI-

TESTIMONIUM
Illustrissimi Antverpiensium Episcopi.

ANtiquitas Illustrata, *in quâ pleraque elucidantur tam ad Historiam Ecclesiasticam, quam Concilia Generalia & varia decreta Ecclesiastica spectantia, studio & labore eximij Domini* EMANUELIS A SCHELSTRATE, *meritò in lucem prodeat, deservitura pro face in monte positâ. Ita censeo hac die* 21. *Novemb.* 1677.

AUBERTUS VANDEN EEDE
Episcopus Antverpiensis.

TESTIMONIUM
Illustrissimi Brugensium Episcopi.

LIber inscriptus : Antiquitas Illustrata circà Concilia Generalia & Provincialia, Decreta & Gesta Pontificum, & præcipua totius Historiæ Ecclesiasticæ Capita: Authore D. EMANUELE A SCHELSTRATE de Belgio Antverpiensi Sacræ Theologiæ Doctore Antverpiæ typis Marcelli Parys anno 1678. *editus, adeò feliciter, quod titulus indicat, exequitur, ut posteritas Auctori plurimum debitura sit, qui dignoscendis rebus multâ caligine involutis facem prætulit. Datum Brugis idibus Novembris anni* 1677.

FRANCISCUS
Episcopus Brugensis.

TESTIMONIUM

Amplissimi S. Michaëlis Antuerpiæ Abbatis.

EXIMIE DOMINE,

PHarum Ecclesiæ in hoc tenebroso pelago naviganti erigis, dum Antiquitatem Illustras: sed quod olim Ecclesiæ lumen Augustinus, hoc tibi prognostico. Antiquitas Neophytis: lux vestra oculis ægris odiosa, at puris erit amabilis. Concinnè elucidas, ac convincis, Ecclesiæ scapham fluctuari quidem posse, mergi numquam: rugis deformem à quibusdam fingi, sed totam sine maculâ pulchram à te probari. Antuerpiæ 21. Novemb. 1677.

HERMANNUS IOSEPH
Abbas S. Michaëlis.

CENSURA LOVANIENSIS.

PErlegi & examinavi primam & secundam partem libri, cui titulus: ANTIQUITAS ILLUSTRATA: in quibus nihil deprehendi, quod Catholicæ Fidei bonisve moribus sit adversarium. Auctor dicti libri magnam eruditionem & Antiquitatis Ecclesiasticæ notitiam præ se fert, elucidatque in suo opere non paucas difficultates inter viros doctos etiam hodie controversas. Quo nomine magnam utilitatem allaturus est ejus labor, si præli beneficio in publicum prodeat. Quod autem in dicto libro inter alia probatur mihi, plurimum est, quod non solum hæreticos exagitet, sed etiam decertet viriliter contrà nonnullos neotericos, qui videri meritò possunt voluisse, in suis lucubrationibus Pontificiam auctoritatem arrodere, & coarctare jurisdictionem. Ita censui Lovanij die 9. Augusti 1677.

ANDREAS LAURENT.
S. T. Doctor & Professor Regius.

CEN-

CENSURA ORDINARII ANTUERPIENSIS.

Liber, cui titulus est: Antiquitas Illustrata circà Concilia Generalia & Provincialia, Decreta & Gesta Pontificum, & præcipua totius Historiæ Ecclesiasticæ capita, per D. EMANUELEM A SCHELSTRATE de Belgio Antuerpiensem Sacræ Theologiæ Doctorem: ubi exponuntur selectiora hodierno tempore tàm in Gallijs, quàm alijs Orbis Catholici Regionibus circà Antiquitatem Ecclesiasticam controversa, ac corriguntur errores quam plurimi, qui infelici nostro sæculo ut venena serpunt, & incautos ubique inficiunt. *Verè & sine offensâ in se continet, quod præ se fert, ut proindè is typis meritò evulgetur. Datum Antuerpiæ* 20. *Decembris anno* 1675.

ANTONIUS HOEFSLACH
Ecclesiæ Cathedralis Canonicus Graduatus, Librorum Censor.

SUMMA PRIVILEGII REGII.

Cautum est Regiæ Majestatis Privilegio, ne quis intra Novennium citra MARCELLI PARYS *Typographi Antuerpiensis voluntatem imprimat, aut alibi impressum in hasce ditiones invehat librum, cui titulus est*: Antiquitas Illustrata circa Concilia Generalia & Provincialia, Decreta & Gesta Pontificum, ac præcipua totius Historiæ Ecclesiasticæ capita, per D. EMANUELEM A SCHELSTRATE de Belgio Antuerpiensem Sacræ Theologiæ Doctorem, &c. *Idque sub pœnis in originali diplomate contentis dato Bruxellis* 5. *die Novembris anni millesimi sexcentesimi septuagesimi septimi*

Et Signato

penes Regem in suo Consilio

LOYENS.

Ext-

Eximio Domino hujus Operis Auctori.

MORIBUS ANTIQUIS REM STARE ROMANAM,
PROBITATE, MODESTIA, FIDE, ÆQUITATE, JUSTITIA,
MAGNIFICE VETERES AC VERE CECINERUNT.
AT NOS MELIORI NUMINE AFFLATI
FAUSTIORI OMINE ET POTIORI JURE EXCLAMAMUS:
MORIBUS ANTIQUIS REM STARE ROMANAM,
CHRISTIANAM, CATHOLICAM, APOSTOLICAM.
MORIBUS ANTIQUIS,
QUOS CHRISTUS DOCUIT, APOSTOLI PRÆDICARUNT,
S. PATRES TRADIDERUNT, CONCILIA RESTAURARUNT,
MARTYRES EFFUSO SANGUINE SIGNARUNT.
HOS TU PRÆCLARIS SCRIPTIS ILLUSTRAS,
DUM OMNIA SÆCULA, CONCILIA, PATRES,
ET ANTIQUA MONIMENTA PERCURRIS,
OBSCURA ILLUSTRAS, DIFFICILIA EXPLANAS,
NEGLECTA OBSERVAS, DUBIA CONFIRMAS,
REPVGNANTIA CONCILIAS, OCCVLTA INDAGAS,
COLLAPSA RESTAVRAS.
PETRAM, SVPRA QVAM ECCLESIA ÆDIFICATA EST, DEMONSTRAS:
ROMANI PONTIFICIS AVCTORITATEM PROPVGNAS,
EVMQVE NON SOLVM EPISCOPVM, METROPOLITANVM, PRIMATEM,
TOTIVSQVE OCCIDENTIS PATRIARCHAM,
SED ET VNIVERSÆ ECCLESIÆ CAPVT ET PASTOREM,
ET CHRISTI IN TERRIS VICARIVM DEFENDIS:
SVBURBICARIOS LIMITES, ALIAQ; NOVATORVM SOMNIA EVERTIS·
DVMQVE FVGATIS ERRORVM NVBIBVS SOLEM VERITATIS OSTENDIS,
REM TOTI PRÆSTAS ECCLESIÆ
MOMENTI VERE MAXIMI,
ET OMNES INDVCIS, VT CREDANT, FATEANTVR,
ET APPLAVDANT:
MORIBVS ANTIQVIS REM STARE ROMANAM·

JOANNES PHILIPPUS HAPPAERT,
Eccl. Cathed. Antuerp. Canonicus Graduatus.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

CUm nihil ad præſcriptionem novitatis hæreticæ ſacra antiquitate præſtantius, nihil ad ſuppreſſionem factioſorum ingeniorum illuſtratione vetuſtatis urgentius excogitari poſſit vel adferri, commune totius Eccleſiæ bonum ex hoc ſtudio emanans adegit noſtris ſæculis Gallicanam in primis Eccleſiam ad omnis antiquitatis illuſtrationem, & præſtantiſſima toto orbe ingenia in hac eruditionis palæſtra à plurimis jam annis adeo exercuit, ut dolendum ſit, eorum exemplar plures ad hoc ſacrum antiquitatis ſtudium non excitaſſe in noſtris partibus, ubi perſæpè tempus in vanis contentionibus teritur. & dum ad totius Eccleſiæ fundamentum ex Priſca Traditione & factis Eccleſiaſticis contra vicinos hæreticos tuendum venitúr, Antiquitatem videamus ignoratam, & antiquorum ſententiam non tàm vilipenſam, quàm neglectam & omiſſam. Rem odioſam attingo, veram tamen edico, ſi enim perſcrutari liberet eruditorum quorumdam ingenia, quotnam hic inveniri putares, quibus nihil de antiquo Eccleſiæ ſtatu, ejuſque per Apoſtolos inſtituto regimine compertum eſt? quibus nomen Patriarchale notum, ſed poteſtas ignota? quibus Romani Epiſcopi Patriarchatus inauditus? quibus primitivæ Eccleſiæ facta difficilia & ignota exiſtunt? quibus demum de ſcriptis ſuppoſititijs & in dubium revocatis nulla diſcretio? hæc tamen & multo plura ad antiquitatem ſpectantia habes in hoc opuſculo, pro quo ſacræ antiquitatis theſauro eruendo, quantum eruditiſſimorum, qui noſtro ſæculo extiterunt, elucubrationes adjuverint, non difficile colligetur ex frequenti eorum citatione in operis progreſſu, quantum tamen præ cæteris adjumento fuerit ſacra Pariſienſis Facultas, prætermittendum non eſt, cum in ejus ſtudio hæc de Eccleſiaſtica anti-

 tiqui-

tiquitate materia continuò ventilari soleat & illustrari. Magnum emolumentum recepit orbis Catholicus ex eminentissimi Cardinalis Baronij Annalibus, sed quis enumerare potest prisca Ecclesiæ monumenta, quæ Annalium parenti ignota post ejusdumtaxat obitum lucem publicam viderunt, & ex quibus nostri utcumque labores adjuti sunt, qui num ad aliqua hucusque ignorata elucidanda profecerint, paucis prætractandum videtur.

1. Dubitatum hactenus fuit de Pontificalis libri auctore, qui sub nomine Damasi ab omnibus ferè antè sæculum nostrum peritis recipi solebat: cum enim inter recentiores omnes certò constaret Pontificale non esse Damasi Papæ. Eminentissimus Cardinalis Bellarminus illud Anastasio Bibliothecario, qui sub Nicolao Papâ sæculo nono floruit, attribuendum duxit, Baronius verò non uni sed duobus diversis auctoribus adjudicandum putavit. At postquam duo antiqui Rom. Pontificum Catalogi editi fuissent, tertiusque à nobis nunc primò publicatus iisdem adjungeretur, jam planè constitit de auctore Pontificalis libri, qui ex tribus hisce Catalogis demonstratur in disputatione prævia cap. 2. ita ut apertissimè constet, ex antiquiore sæculi quarti Catalogo desumptos esse Consules, ex secundo sæculi sexti Catalogo acta singulorum Pontificum, & ex tertio sæculi octavi nunc primùm publicato ordinem & annos omnium ad illud tempus Petri Successorum. Quibus accedit aliud circa decretales epistolas Primorum Pontificum, quas tractatores Catholici ob varias rationes supposititijs adjudicarunt, & editis hisce Catalogis post sæculum quartum nova adnotatione confectas constat ab eodem auctore: Consules enim in antiquiore & secundo Catalogis memoratos ad initium & finem Pontificatuum in usum suum transcripsisse reperitur, ac si nullos ferè alios pro subsignandis decretalibus illis epistolis habuerit, quam in Catalogis ad singulorum pontificatum reperit, ut sparsim adnotatur parte 2. dissert. 3. cap. 5. articulo unico.

2. Disputatum sæpius fuit de recta interpretatione Canonis sexti Nicæni, ubi potestatis similitudinem inter Romanum Episcopum & Alexandrinum Antistitem constituit. Qui ante hoc sæculum parvam

de

de Romano Patriarchatu notitiam habebant, in omnem ſeſe partem verterunt, ut parilem morem Romani Pontificis ſupremæ authoritati aptarent. Cœcutiebant viri eruditi non ſatis in antiquo Eccleſiæ regimine verſati, at peius hæretici, qui Salmaſio Duce in aliud extremum declinantes ex hiſce verbis Romani Pontificis authoritatem minuebant. Cùm enim viderent Alexandrino Patriarchæ in Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim poteſtatem concedi ſimilem Romano Epiſcopo, Pontifici quoque certos terminos aſſignandos prætenderunt, eoſque cum Ruffinus olim ſuburbicarijs concluſit, intra centum ab urbe lapides parilem Romani Epiſcopi poteſtatem coërcendam duxerunt. Erat gravis in Sedem Apoſtolicam injuria, quod ipſius jurisdictio in omnes Orbis Eccleſias ultrà centum ab urbe lapides ſeſe non poſſet extendere, unde virorum eruditorum ſtatim ſeſe oppoſuit induſtria refellens hoc hæreticorum figmentum, oſtendenſque in laudata comparatione non agi de ſupremâ Pontificis, ſed Patriarchali dumtaxat poteſtate, quam dum pro ipſius juriſdictionis exercitio ſumerent Dominus de Marca aliique, & viderent Romanum Pontificem initio Eccleſiæ poteſtatem Patriarchalem in ordinandis Epiſcopis vix exercuiſſe ultra decem ſuburbicarias regiones, perappoſitè oſtenderunt, Ruffinum poteſtatem Romani Patriarchæ intrà ſuburbicarias potuiſſe comparare. Et eo uſque hac in re profecerat eruditorum judicium; at cum iidem admitterent, hoc Canone hiſque verbis agi de plenâ poteſtate Patriarchali non modo Alexandrini & Antiocheni, ſed Romani quoque Epiſcopi, & illius Patriarchalis poteſtas ultrà 10. ſuburbicarias regiones per Occidentem univerſum ſeſe extendat, hic aqua hærebat, plenam Patriarchalem poteſtatem componere cum decem Regionibus intrà Italiæ terminos concluſis: nos autē qui Ruffini paraphraſim de ſuburbicarijs explodendam putamus, niſi per ſuburbicarias Eccleſias intelligantur Occidentales omnes Urbico, ut vocat S. Optatus lib. 1. Epiſcopo parentes, plenam Patriarchalem poteſtatē ſic à Nicæno Canone parilem dictam ſalvamus inter Alexandrinū & Romanum Epiſcopos eorumque Diœceſes, ut ſimilitudinem de ipſo jure non juris exercitio intelligendam dicamus, cum Romanū

 Epiſ-

Episcopum ipsum jus Patriarchale in Occidentem universum semper retinuisse constet, juris verò exercitium sæpiùs gratiosè alijs indulsisse, & indultum sibi iterum reservasse, prout parte 1. dissertatione 2. de Romani Episcopi Patriarchica in Occidentem universum potestate uberius, quam forsan hucusque factum est, exposuimus, idque tanto, ut putem Ecclesiæ bono, quanto facilè intelligent hi, qui orthodoxam sub cælo Ecclesiam per Orientis olim Provincias dilatatam, nunc intrà Romani Patriarchatus, id est Occidentis, terminos conclusam sciunt, & cum Romani Patriarchatus privilegijs jam plerasque difficultates sopiri agnoscunt.

3. Non minima quæstio hæreticos inter & Catholicos fuit circà factum Polycratis Ephesini Episcopi pro contentione de Paschate. Quantum enim ex Eusebio collegerunt plerique, Victor Papa excommunicarat Polycratem cum Asianis ipsius factionis Ecclesijs, & quantum ex alijs antiquitatis monumentis constabat, Asiani non obstante hac excommunicatione & inter se & cum Orientis Ecclesijs communionem retinuerunt, unde concluserunt novatores Hæretici, Pontificis excommunicationes non fuisse reveritas in Asia & Oriente universo, adeoque & ejus jurisdictionem sese non extendisse ad Orientis Ecclesias. Difficultati huic ingenuè occurrit Dominus de Marca, qui omnium primò restituit corruptum quemdam Zozomeni locum, ex quo colligitur, Victorem statim post excommunicationem pacem inijsse cum Asianis, ut mirum non sit, illos & communionem retinuisse inter se, & cæteros Orientales cum ipsis. At ubi res hæc eousque elucidata esset, nova difficultas movetur à Domino Ioanne Launoio circà errorem Victoris in excommunicando, cum enim Victor statim excommunicationem retractarit, videtur is meritò à S. Ireneo reprehensus, & Polycratis responsum justè à S. Hieronymo fuisse probatum. Novam hanc & gravem objectionem hactenùs insolutam ex Eusebio enodamus ostendentes Asianos sua observatione Paschatis more judaico errasse in fide, & insignem locum ex Tertulliano adducimus in hujus confirmationem. Cum autem constet ex Zozomeno de pace inita Victorem inter & Asianos, ostendimus in pacto illo Asianos

deser-

deseruisse errorem in fide: ut mirum non sit, Victorem, errore eorum relicto sustulisse excommunicationem, sicque pateat & Victorem ab omni errore purgatum, & ostendatur, nec Ireneum acriter reprehendisse Victorem, ut errat Eusebius, nec Hieronymum probasse judicium Polycratis, ut sinistrè interpretatus erat Launoius: videsis parte 2. dissert. 1. cap. 3.

4. Acerbissima, si ulla umquam extitit, erat contentio de rebaptizatione hæreticorum: sufficiebat damnum, quod ex lapsu Cypriani & Firmiliani hucusque senserat Ecclesia, ideoque verenda patris occultanda exclamabat Vincentius Lerinensis, & Cypriani irritamenta in Stephanum effusa retractare nolebat Augustinus. Iis tamen minimè obstantibus contentionem novissimè exagitat Ioannes Launoius, & lapsui Cypriani superaddit errorem Stephani, ut infallibilitatem Romanorum Pontificum debellaret. Scribit Stephanum approbasse omnium hæreticorum Baptismata, & cum plerique non baptizabant in nomine sanctissimæ Trinitatis, ejus errorem vehementer extollit, ut Cypriani sententiam errori Stephani prævaluisse in Orientis & Occidentis Ecclesijs fusè contendat. Grassanti huic & speciosè proposito errori, totis viribus omnium, quod sciam, primi obsistimus parte 2. dissert. 1. cap. 5. ostendimusque articulo 2. ex tribus istorum temporum testimonijs, Stephano Papæ errorem imponi, quem nunquam vel somniavit; admittebat vir sanctus hæreticorum Baptismata, sed ut exponit Firmilianus Stephano coëtaneus, quæ fiebant in nomine SS. Trinitatis, quæ erat incorrupta Sedis Apostolicæ sententia, ut ipsius vox fuerit, quam omnium Catholicorum edixit S. Optatus Milevitanus lib. 1. *Qui in Trinitate Baptismatis unionem defendunt.* Discussis insuper cunctis circa hanc contentionem in Ecclesia actis, ostenditur Stephani pluris quam Cypriani sententiam apud Orientis & Occidentis Ecclesias fuisse habitam, idque non fucatis antiquorum locis, sed indubitatis sanctorum testimonijs.

5. Lapsus Marcellini, qui nobis acta Synvessana peperit, incipiebat jam negari ab omnibus peritis ut antiquum Donatistarum figmentum, idque tanto avidius à quibusdam arreptum est, quo

ſublato Marcellini lapſu fides quoque auferebatur actis Sinveſſanis Pontificem à nemine judicari atteſtantibus. Verùm lapſus ab octo ſæculis ad hoc uſque tempus omnium ore verſatus ad ſuum originem recenſetur, nec hunc nec acta Synveſſana eſſe Donatiſtarum figmentum, clarè eruitur parte 2. diſſ. 1. cap. 6. Petilianus Donatiſtarum Princeps hunc lapſum propoſuerat Auguſtino, ut fundaret in eo lapſum Melchiadis, quem tempore lapſus ſtatuebat Marcellini Clericum. Quia verò Auguſtinus convicerat, Melchiadis lapſum fuiſſe confictum, nec probare poterat Petilianus, fuiſſe Comitem Marcellini, dum idolis thurificaret, ad aliud ſe poſteà conſilium verterunt Donatiſtæ in collatione 3. Carthaginenſi, cujus bræviculum à D. Auguſtino excerptum prodit, ipſos tunc excogitaſſe, Melchiadem habuiſſe quemdam traditorem Diaconum Stratonem nomine, indeque pollutum fuiſſe, *quod traditorem Stratonem in numero habuit Diaconorum*: quæ omnia eo tendebant, ut Melchiadis tanquam Traditoris de Donato judicium contemnerent Donatiſtæ, quorum appellationes non modo ab Arelatenſi Concilio, ſed à Romano cum præcipuis ad eorum hiſtoriam ſpectantibus fuſius pertractamus cap. 7. plura quoque elucidantes contrà Novatorum calumnias.

6. Plures poſt Turrianum uſi erant Canonibus Arabicis, qui ſub titulo Nicænorum ſæpius prodierunt, at quid de eorum authoritate ſentiendum ſit, nulli latius, quod ſciam, pertractarunt. Inquirimus de illorum authore & Origine parte 2. diſſ. 2. cap. 4. & numero 167. oſtendimus hos Canones habere quædam Canonibus & ſtatutis Nicænis adverſa, prout de Canonibus Apoſtolorum oſtenſum erat cap. 1. ejuſdem diſſert. habere tamen acta aliqua Nicæna, ſed ut colligitur numero 169. circa tempus Iuſtiniani primùm ab incerto nobis auctore collecta, unde Abrahami Ecchelenſis opinionem de auctore Iacobo Niſibenſi refellimus.

7. Antiocheni Concilij Canones poſt Cardinalem Baronium ab antiquis fuiſſe reprobatos, tenuerunt omnes periti, & cum perſpicerent à Concilio Chalcedonenſi & poſterioribus Patribus fuiſſe in authoritatem receptos, hic hæſit eorum induſtria, ita ut rationem

tionem rogati, nullam hactenus invenerint, fatente viro erudito Antonio Augustino: *non possum causam dicere.* Gravissimum hunc nodum hactenus insolutum dissolvimus, & Canones ab antiquioribus Patribus reprobatos ostendimus ex Palladio alijsque, non esse ex viginti quinque Canonibus Antiochenis, quos semper recepit & nunquam improbavit Ecclesia. Historiam itaque hujus Concilij elucidamus parte 2. dissert.2. cap. 5. ut quod Mendoza Concilio illiberitano ob aliquos Canones rejectos contulit, hoc nos Concilio Antiocheno si non contulimus, saltem viam aperuisse videamur, ut conferatur. Duo autem sunt modi, quibus Canones ab antiquis reprobati ostendi possint à Patribus Concilij Antiocheni non fuisse editos, primo nimirum si dicamus, Canones à Iulio primo alijsque reprobatos esse illos, quos ante Concilium Antiochenum erroneè constituerant Eusebiani, & huic aptari potest historia Zozomeni cum alijs antiquorum monimentis. Secundo autem si dicamus, Canones vigintiquinque à Catholicis & Eusebianis Catholicam fidem simulantibus esse editos, & tum postea 36. aut potius quadraginta Arianæ factionis Episcopos sese separasse à Catholicis, & edidisse Canones reprobatos, ut testatur Palladius S. Chrysostomi Discipulus, & hunc secundum modum exponendi historiam Concilij Antiocheni retinuimus, ita ut primum nondum improbemus.

8. Viderant antiquitatis peritissimi Antonius Augustinus & Baronius, fuisse antiquissimum Codicem Canonum sibi tunc temporis ignotum, quem è tenebris in lucem edidit Christophorus Justellus sub titulo Codicis Ecclesiæ universæ, ac si ille post quartum sæculum ab Ecclesia universa fuisset receptus. Edito antiquitatis monimento statim sub eodem titulo applausum meruit, unde & Parisiensium Archiepiscopus de Marca erroris sui stabiliendi occasionem desumpsit ad reijciendos Sardicensis Concilij de appellationibus Canones, qui in laudato Codice non extabant. Erat error Sedis Apostolicæ authoritati longè gravissimus, hinc & gravem contentionem peritorum excitavit in Galliâ, ostendentibus plerisque hunc non potuisse dici Codicem Ecclesiæ universæ utpotè qui

Cano-

Canones à Sede Apostolica & occidente universo improbatos includebat, & alios à Romanis Pontificibus receptos non contineret. Unica restabat difficultas de Concilio Chalcedonensi, cujus Canone primo hunc Codicem probatum fuisse admisit Christianus Lupus cum alijs, at contrarium probatur manifestè ex eo, quod Canones Constantinopolitanos includat, quos legati Leonis primi, dum Canonem primum constituerant actione 15., validè reiecerunt actione 16. tamquam non conscriptos & Nicænis adversos, quod mirari lubet, ab eruditis non fuisse animadversum.

9. Gravis hucusque dubitatio extitit de Clementis primi Pontificatu, plerisque adeo indubitatum existimantibus cum Tertulliano, Clementem à Petro Ordinatum, ut Christianus Lupus existimet, à nemine admitti, ipsum non nisi post Lini mortem fuisse ordinatum, alijque exindè constanter sentiant, Clementem cessasse Pontificatu vel antequam sedere cœperat, vel postquam aliquot annos jam sederat. Recensetur hæc opinio ad suum Originem, & ex supposititia Clementis ad Iacobum Epistola ortum ducere probatur, tantumque abesse à nemine admitti, Clementem nonnisi post mortem Lini ordinatum Episcopum, ut id ipsum clare sentiant Eusebius cum D. Hieronymo & S. Prospero in Chronicis, & ipsemet Epiphanius favere videatur, non modo cum illa de re dubitari insinuat, sed etiam cum cessationis fundamentum ex quadam Clementis Epistolâ desumendum ducat: illa enim Epistola est prima ad Corinthios, in qua S. Clemens non scribit de se ipso sed de Corinthianis, ut quisque eorum diceret ad sopiendum schisma: *Si propter me seditio, contentio & schismata orta sunt, emigrabo, abibo, quocumque volueritis.* Extat nunc ista Clementis Epistola, quam Baronius & Bellarminus perditam deplorarunt, & de ea tractamus p. 2. diss. 3. uti & de alijs Clementis, S. Ignatij Martyris, Dionysij Areopagitæ, aliorumque epistolis & operibus.

10. Contentio maxima inter Orientis & Occidentis Peritos ad hæc usque tempora manserat de Baptismo Constantini, quem plerique Orientales cum Eusebio Cæsareensi tuentur acceptum Nicomediæ ad finem vitæ, Occidentales vero complures Romæ in

Con-

Constantini *baptisterio*. Stant ab utraque parte firma antiquitatis monimenta, ex quibus dicimus, & Romæ baptizatum fuisse à S. Silvestro, & iterum Nicomediæ ab ejusdem Civitatis Episcopo & insigni Arianorum fautore Eusebio: adstipulare videtur S. Hieronymus, cum scribit Constantinum ab Eusebio in fine vitæ baptizatum ad dogma Arianum declinasse, Arianorum enim dogma fuit rebaptizare. Dum pro sopiendâ controversiâ de Baptismo Constantini hanc mentem nostram proponeremus Parisijs, viri quidam docti ut rem novam exceperunt, sed tantum abest, me novitatem sapuisse, ut perscrutanti antiquorum opiniones hanc à sexcentis ferè annis traditam repererim à Mariano Scoto, alijsque post ipsum: idque ut majorem confirmationem acciperet, dignum judico, ut annectatur, quod ad me perscriptum est à doctissimo Viro Joanne Mabillonio Parisijs ann. 1676: ratio scribendi, *ut puto, non ingrata futura est in gratiam operis, quod moliris. Quippe in libro Anselmi Havelbergensis Episcopi adversus Græcos, sententia tua de duplici Constantini Baptismo, uno per Silvestrum Pontificem, altero per Eusebium Nicomediensem disertè asseritur. Floruit hic auctor ante annos quingentos, opusque suum dedicat Eugenio Papæ tertio. Porro opus istud hactenus ineditum, profert in lucem noster D. Acherius in spicilegij sui tomo* xiij. *qui sub finem huius anni venalis erit. Id te monuisse visum est aliquod operæ pretium.* Hæc vir in Gallia celebris. Hisque habes specimina quædam nostri operis, reliquis omnibus omissis, quæ in unoquoque ferè capite aut nova methodo, aut testimonijs primo erutis confirmata occurrent.

ERRATA

In quibusdam non correctis exemplaribus.

Columna xj. Eusebianorum, *lege* Eusebianum. Col. xvij. *lin.* 35. invenire, *lege* inveniri. C. xl. Hadriani 16. & 17. *lege* 15. & 16. & seq. 17. & 18. *lege* 16. & 17. *pag.* 8. *lin.* 10. eumque, *l.* cumque. *p.* 33. *post* Cappadocia 1. *adde*: Cappadocia 2. *p.* 43. Heracleensi, *l.* Thracica. *p.* 115. *lin.* 10. Eustatius, & *p.* 179. *lin.* 26. Evastinus, *l.* Faustinus. *p.* 194. n. 68. Africanus, *l.* Africanos. *ibid.* n. 72. Relatense, *l.* Arelatense. *p.* 196. *lin.* 22. Episcopus, *l.* Episcopis. *p.* 199. *lin.* 5. Concilio, *l.* Concilium, *ibid. lin.* 22. attexerit, *l.* attigerit. *p.* 200. *lin. ult.* porrexit, *l.* perrexit. *p.* 226. *lin.* 3. Iuliani, *l.* Iustiniani. *p.* 453. *lin.* 31. oritur, *l.* orditur. *p.* 452. *vobiins*, *l.* *vobiim*. *p.* 462. *lin.* 27. obsecati, *l.* obcœcati. & *pag. ult. lin.* 4. *dele* &.

SYNOPSIS
DISSERTATIONUM & CAPITUM.
Dissertatio prævia de Chronotaxi Vitæ Christi, & Vicariorum Summorum Pontificum.

Caput I. *De æra vulgari, & annis Christi* Col. 1.
Series Chronologica vitæ Christi col. 3.
Caput II. *De Chronotaxi successorum Petri continente præambula de Chronicis Eusebij per Miraum, & Prosperi per Labbeum publicatis, uti & de duobus antiquis Catalogis iam pridem, & altero à nobis nunc primum editis.* col. 10.
Series Chronologica ab æra 34. ad Nicæni Concilij tempora continens æram vulgarem, Consules, Imperatores, & Pontifices iuxta variantium Chronicorum, trium antiquorum Catalogorum, & modernorum sententias. col. 25.

ANTIQUITATIS ILLUSTRATÆ PARS I.
De Institutione Ecclesiarum per Christum & Apostolos facta.
DISSERTATIO I.
De Institutione regiminis Ecclesiastici.

Caput I. *Institutio Regiminis Monarchici facta per Christum Dominum.* Pag. 3.
Caput II. *Refelluntur obiectiones Ioannis Launoij.* p. 12.
Articulus I. Firmatur locus Matthæi 16. tu es Petrus &c. p. 14.
Articulus II. De clavibus Petro promissis Matthæi 19. num in signum primatus, & immediatè potius Ecclesiæ quam Petro traditis? p. 19.
Caput III. *De institutione Ecclesiarum per Apostolos facta.* p. 30.
Articulus I. De regimine Ecclesiastico conformiter ad ordinem Imperij per Provincias distributo. p. 31.
Articulus II. De maioribus Imperij civitatibus, & instituta ibidem à Petro maiore dignitate Patriarchali. p. 40.
Articulus III. De exarchorum institutione in tribus Diœcesibus Asianâ, Ponticâ, & Thraciâ. p. 43.
Articulus IV. De institutione Patriarchatuum Ierosolymitanæ & Constantinopolitanæ Sedium, & trium Exarchatuum destructione. p. 47.

DISSERTATIO II.
De Iure Patriarchatus Romani.

Caput I. *De suburbicarijs locis & Ecclesijs.* p. 57.
Caput II. *Ruffinianam expositionem de suburbicarijs, si illæ sumantur pro decem Provincijs in notitia expressis, non convenire menti Nicænæ Synodi.* p. 64.
Caput III. *Quod Romanus Episcopus sit Patriarcha totius Occidentis.* p. 71.
Caput IV. *Quod Episcopus Romanus Iura Patriarchalia per totum Occidentem exercuerit.* p. 81.
Articulus I. De Iure Patriarchico Romano in ordinandis Occidentis Metropolitis, & firmandis judicio suo Episcopis. p. 82.

Arti-

Articulus II. De jure Patriarchico Romano in convocando ad Concilia totius Occidentis Episcopos. p. 93.
Articulus III. De Iure Patriarchico Romano in Occidentem ex relationibus & Iudicijs maiorum causarum. p. 110.
Caput V. *Num præter Romanum Episcopum creari possit alius in Occidente Patriarcha, & quid hic senserit Gallia?* p. 120.
Caput VI. *Conclusio huius partis.* p. 130.

ANTIQUITATIS ILLUSTRATÆ PARS II.

De rebus Ecclesiasticis à temporibus Apostolorum usque ad Nicænum Concilium.

DISSERTATIO I.

De factis trium primorum sæculorum usque ad Nicænum Concilium.

Caput I. *Elucidatur quæstio de legalibus subinde controversa ob Petrum & Paulum Apostolos.* p. 134.
Articulus I. De Concilio Ierosolymitano pro legalium decisione. p. 137.
Articulus II. Exponitur reprehensio Petri per Paulum circà observationem legalium. p. 139.
Articulus III. An Petrus hic erravit in doctrina fidei? p. 143.
Caput II. *Elucidatur Historia Marcionis, & ostenditur contra Ioannem Launoium, ab initio Ecclesiæ Pontificem absolvisse alterius excommunicatos.* p. 147.
Caput III. *Elucidatur contentio Polycratis contrà Victorem Papam pro observatione Paschatis.* p. 159.
Caput IV. *Elucidatur schisma Novatianum contrà Cornelium Papam.* p. 172.
Caput V. *Elucidatur contentio de rebaptizatione hæreticorum.* p. 181.
Articulus I. Texitur origo huius contentionis. p. 182.
Articulus II. Referuntur sententiæ D. Cypriani & Stephani Papæ, & num adversantes Stephano excommunicati sint? p. 186.
Articulus III. Quo tempore hæc quæstio de hæreticorum rebaptizatione fuerit sopita. p. 194.
Articulus IV. Quando & quomodo contentio de rebaptizatione hæreticorum secundò exorta & sopita fuerit in Ecclesia. p. 202.
Articulus V. Quænam sententia Cypriani an Stephani prævaluerit apud Orientis & Occidentis Ecclesias. p. 213.
Caput VI. *De lapsu Marcellini, & num suppositiitia sint acta Concilij Synuessani, in quibus Papam à nemine posse judicari asseritur.* p. 222.
Caput VII. *De schismate Donatistarum.*
Articulus I. Origo totius schismatis. p. 232.
Articulus II. De Concilio Romano Melchiadis in causa Cæciliani p. 234.
Articulus III. De Concilio Arelatensi 1. ob Donati pertinaciam coacto.
§. 1. *De appellatione Donatistarum, & quomodo Arelatense Concilium extra juris ordinem fuerit concessum.* p. 237.
§. 2. *De numero Episcoporum Arelatensium.* p. 244.
§. 3. *De Præsidentia Synodi Arelatensis.* p. 249.

§. 4. *De modo, quo causa Caciliani in Synodo transacta est, & Patrum Arelatensium erga S. Sylvestrum reverentiâ.* p. 254.

Articulus IV. Prosecutio schismatis Donatistarum post hoc Arelatense Concilium. p. 259.

DISSERTATIO II.

De Canonibus Conciliorum & de Collectionibus Canonum.

Caput I. *De prima Canonum collectione, qua Apostolorum intitulatur.* p. 263.

Caput II. *De Constitutionibus Apostolorum per Clementem Papam.* p. 270.

Caput III. *De Canonibus Concilij Illyberitani & Arelatensis primi, aliorumque Provincialium in Oriente celebratorum.* p. 274.

Caput IV. *De Canonibus Sacrosancti Concilij Nicani, & quid de Arabica versione.* p. 283.

Caput V. *De Concilio Antiocheno, ubi tota huius Concilij historia pertractatur, & quantum ab omnibus peritis huc usque erratum sit, exponitur.* p. 294.

Caput VI. *De Canonibus Sardicensis Concilij, illorumque authoritate.* p. 307.

Caput VII. *De Canonibus Concilij Constantinopolitani 1.* p. 313.

Caput VIII. *De prima Gracorum Canonum collectione, ubi & famosa quæstio de Codice Canonum Ecclesiæ universæ per Iustellum edito.* p. 317.

Caput IX. *De collectionibus Latinis Canonum, & signanter Dionysij Exigui.* p. 324.

Caput X. *De collectionibus Ioannis Scholastici, Fulgentij Ferrandi, Martini Braccarensis, Cresconij, Hadriani Papæ primi, & antiqua Romana Ecclesiæ Moguntiæ excusâ.* p. 334.

Caput XI. *De Capitulis Angilramni Episcopi, & collectione Isidori Mercatoris.* p. 345.

Caput XII. *De alijs collectionibus Canonum tam Gracorum, quàm Latinorum usque ad Gratianum.* p. 352.

Caput XIII. *De Decreto Gratiani.* p. 361.

DISSERTATIO III.

De scriptis & factis suppositiitijs, & in dubium revocatis.

Caput I. *De iis quæ Christo & Apostolis falso adscripta leguntur.* p. 367.

Caput II. *De Pontificatu & scriptis Clementis primi.* p. 379.

Caput III. *De scriptis & Episcopatu S. Dionysij Areopagita.* p. 394.

Articulus I. Refelluntur adversantium scriptis S. Dionysij Areopagitæ argumenta. p. 395.

Articulus II. Proferuntur fundamenta pro genuinis S. Dionysij Areopagitæ operibus. p. 408.

Articulus III. De Episcopatu S. Dionysij Areopagitæ. p. 415.

Caput IV. *De Epistolis S. Ignatij Martyris.* p. 428.

Caput V. *De Epistolis Decretalibus Primorum Pontificum, an sint suppositiitia.* p. 439.

Articulus unicus De Epistolis Decretalibus, num erroribus scateant, & obindè pœnitus improbandæ sint. p. 450.

Caput VI. *De Baptismo Constantini, num Romæ à S. Sylvestro, num Nicomediæ ab Eusebio collatus fuerit, an potius Romæ & Nicomediæ?* p. 465.

Caput VII. *De edicto aut Donatione Constantini.* p. 476.

Caput VIII. *De 2. Concilio Romano sub S. Sylvestro, an quoque suppositiitium sit?* p. 484.

Caput IX. *De initio Canonis sexti Nicani:* Ecclesia Romana semper habuit Primatum. p. 488.

DISSER-

DISSERTATIO PRÆVIA DE CHRONOTAXI VITÆ CHRISTI

& *Vicariorum Summorum Pontificum.*

CAPUT I.

De Æra vulgari & annis CHRISTI.

CUm accurata temporum notitia quàm maximè necessaria sit ad rei Ecclesiasticæ eruditionem, illaque haberi nequeat nisi observatis antiquorum subscriptionibus, in memoriam revocanda æra vulgaris, anni Natalis Dominici, Consules Romani, Imperatorum ac Pontificum tempora, quibus subnotari solebant pleraque Antiquitatis Monimenta. Viderat Eminentissimus Cardinalis Baronius non æram vulgarem, sed Consules Romanos initio Nascentis Ecclesiæ scriptis subnotari solitos, ideoque non ex æra vulgari Consules, sed ex Consulibus tanquam viâ regiâ ad notitiam æræ vulgaris aut anni Christiani perveniri statuebat. Verum hic labor; hic difficultas; antequam enim ex Consulibus colligi poterat annus Christianus aut æra vulgaris, nosci debebat, quinam Consules in unumquemque annum incidebant, & quibus subinde Consulibus præcipua rei Ecclesiasticæ facta essent assignanda, quæ omnia adeò incerta fuerunt tempore Cardinalis Baronij, ut eruditissimus ille Annalium Parens, nec quibus Consulibus æra inchoanda esset, nec, à quo pleraque dependent, quibus Consulibus CHRISTUS natus fuerit & mortuus, rectè statuere potuit. Auspicatus erat Annales suos à primo CHRISTI anno & æra vulgari primâ, quam collocabat anno Augusti 42. quo Consules fuere Augustus Cæsar 13. & M. Plautius Silvanus: at hosce Consules æram vulgarem duobus annis præcessisse adeò compertum fuit post primi tomi editionem Baronio, ut, quo cætera suis Consulibus & tempori convenirent, duos

 Con-

Consulatus expunxerit de Fastis, Fulvium Æmilianum scilicet & Pomponium Bassum anno 359. ac Cornelium Secularem, & Iulium Donatum anno 260. Posuerat & mortem Augusti cum initio Tiberij æra 16. duobus annis postponens, quem duorum annorum errorem in ceteris rebus Ecclesiasticis satis feliciter prosequi videbatur, donec in æram Diocletianam impingens vidit Diocletiani initium amoveri non posse ab anno 284. unde Imperium Probi aggressus duos ab illo annos abstulit, dans ipsi annos dumtaxat quatuor, quem sex annos imperasse, suadent certiora Antiquorum testimonia, & probat post Baronium communis omnium Eruditorum sententia.

Similem errorem commiserat Vir in antiquitate versatissimus Onuphrius Panuinus incipiens æram vulgarem cum anno primo CHRISTI, Cornelio Lentulo & Calpurnio Pisone, qui Consules æram vulgarem uno anno præcesserunt, ut Onuphrius in assignandis primorum sæculorum factis uno anno erraverit, donec in æram quoque Diocletianam se impingere animadvertens anno 277. de Fastis erasit M. Aurelium Probum & Anicium Paulinum. At displicuit hic modus eradendi de Fastis Consules subsequentibus Chronologis, qui erroribus Onuphrij & Baronij edocti, ex subsequentibus seculis, quibus certo Imperatoris anno Consules assignatos habebant, retronumerando computum fecêre, & quibuscumque tandem annis CHRISTUS natus statuatur & mortuus, æram vulgarem suo loco restituerunt, eamque inchoarunt C. Cæsare Nepote Augusti, & L. Æmilio Paulo Consulibus, quibus annum 44. Imperij agebat Augustus. Sicque de facto quantumcumque dissentiant in anno Nativitatis & Mortis CHRISTI, communiter de æra Consulibus, & anno Augusti Imperatoris conveniunt Herwartius in Chronologiâ novâ, Petavius in libris de Doctrinâ Temporum, Seneschallus in Triade Evangelicâ, Labbeus in Chronologiâ Gallicâ, Henschenius in tomo 1. Aprilis, aliique omnes in re Chronologicâ versati. Enimverò quantumcumque ante CHRISTI Nativitatem circà annos, Consules, aliaque maxima sit difficultas, hocce nunc tempore ut indubitatum retinetur ab omnibus Peritis, post CHRISTI Nativitatem annos vulgares, Consules, & Imperatores extrà omnem controversiam haberi sibi invicem concurrentes, quidquid de Pontificibus, rebus Ecclesiasticis & gestis CHRISTI ambigant eruditiores Catholici, quod ut pleniùs cognoscatur, placet Seriem Chronologicam Vitæ CHRISTI subnectere additis simul rationibus, ob quas in annis Vitæ CHRISTI variantium Sententiæ exurgunt.

Series

SERIES CHRONOLOGICA VITÆ CHRISTI.

Æra vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Eventus varij.*	*Anni Christi juxtà Veteres & Recentiores.*	*Observata varia.*
	D. Lælius Balbus, C. Antistius Vetus,	Augusti 38. usque ad Martium numerando à morte Iulij Cæsaris, aut ad Septembrem ab invaso Consulatu, aut ad Novembrem ab invaso Triumviratu,	Sentius Saturninus est Syriæ Præses. Ita Iosephus lib. 16. Antiquit. Iudaicarum cap. 17.	Hoc anno ponunt Christi Nativitatem, Keppletus & Cappellus, & ex iis Henschenius, tunc quoque cēsum à Luca memoratum fuisse factū, probat verbis Tertulliani lib. 4. contra Marcionem cap. 19. *Sed & census constat actos sub Augusto tunc in Iudæa per Sentium Saturninum.*	Scribit S. Lucas cap. 2. *Factum est in diebus illis exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis. Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino.* Hic Cyrinus tantum in Syriam missus est Lepido & Aruntio Coss. diu post Christi Nativitatem, unde prima difficultas, nisi tò *Prima* cum Herwartio interpreteris prior, ut descriptio tempore Nativitatis Christi prior fuit illâ, quæ facta est sub Cyrino aut Quirino Syriæ Præside.
	August. Cæsar. 12, L. Cornel. Sulla.	Augusti 39. & 40.		Hoc anno ponit Christi Nativitatem cum Deckerio Petavio aliisq; Seneschallus, idque præcipuè ob mortem Herodis, quæ anno sequenti contigit ante Pascha.	Scribit Mattheus c. 2. Christum natum *in Bethleem Iuda in diebus Herodis Regis*, mortuus autem censetur Herodes anno sequenti, itaque juxtà Mattheū ante sequentem annū natum oportuit Christum.
	C. Calvisius Sabinus, L. Passienus Rufus.	Augusti 40. & 41.	Moritur Herodes ante Pascha. Ita manifestum fit ex Iosepho lib. 17. cap. 8. narrante, Herodem jam ægrum seditiosos aliquos Iudæos jussisse comburi, additque, Eclipsim Lunæ eadem nocte contigisse. Kepplerus autem & Petavius	S. Sulpicius Severus libro 2. Historiæ, cap. 39. *Christus natus est Sabino & Rufino Consulibus 8. Kalendas Ianuarij.* Tertullianum quoque Nativitatem Christi assignare anno 41. Augusti testatur Eusebius in Chronico.	
	Cn. Cornelius Lentulus, M. Valerius Messalinus.	Augusti 41. & 42.		Chronicon sub Flavij Dextri nomine habet: *Lentulo & Messala Consulibus .... nascitur Christus.* Idem planè	Iam mortuus fuit Herodes ut pluribus probari posset, eo tamen vivente juxtà S. Mattheum natus est

Æra vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Eventus varij.*	*Anni Christi juxtà Veteres & Recentiores.*	*Observata varia.*
			ostendunt hanc Eclipsim Lunæ hoc anno contigisse tribus horis ante Solis ortum XIII. Martij & fuisse digitorum penè sex & annis duobus sequentibus nullam fuisse Eclipsim ante Pascha. Succedit verò Herodi Archelaus eodem tēpore.	Cassiodorus, & Eusebij Chronicon ex MSS. Codicibus Aquicinctino, Orteliano, & Lipsiano apud Mireũ, uti & ex alijs apud Arnaldum Pontacum, qui signant Christi Nativitatem anno 42. Augusti: eumdem annum Augusti signat Epiphanius hæresi 41. & Orosius libro 1. cap. 1. scribens de Nativitate, *quæ fuit anno Imperij Cæsaris* 42. Et his subscribit Baronius cũ sequacibus.	Christus, unde Baronius hic ponens Christi Nativitatem maximam difficultatem patitur, uti & majorem, qui Christi Nativitatem ad sequentes Cõsules protrahunt.
Malè hoc anno incipit æram Cæsar Baronius.	Augustus Cæsar 13. M. Plautius Silvanus, eique suffectus C. Caninius Gallus.	Augusti 42. & 43.		Eusebij Chronicon juxta Scaligerum, Hareum aliosque ponit Nativitatem Christi anno 43. Augusti idē planè Alexander Monachus in orat de Cruce assignans Christi Nativitatem dum Augustus *Consul esset* XIII. *Collega Sylvano die* 25. *Decembris.* Subscribunt Victor Tunnonensis in Calce sui Chronici, Gregorius Turonensis, Ado Viennensis aliique, quibus consentit Onuphrius Panuinus, quē sequitur Mireus in admonitione editi à se Eusebiani Chronici, citatque plures.	Quidam vocant hunc annum Imperantii Augusti quadragesimum secundum, alij quadragesimum tertium.
Malè hoc anno ponitur æra ab Onuphrio.	Cornelius Lentulus, L. Calpurnius Piso.	Augusti 43. & 44.	C. Cæsar in Orientem proficiscitur.	Hoc anno ponitur Christi Nativitas à S. Prospero in Chronico ubi: 44. *Imperij Augusti anno Quirinus ex consilio Senatus ad Iudæam missus, census hominum possessionesque describit. Eodem anno* IESUS *Christi Filius Dei in Bethleem Iuda nascitur.* Pro hoc quoque anno allegari posse Apollinarium Laodicenum fatetur Seneschallus citans ex recentioribus	Christianam æram circa Christi Nativitatem inchoandā suadet plurimorum sæculorum Traditio: ab eo tempore, quo Ecclesia Romana ab æra Diocletiani annos suos enumerare cessavit, Dionysius Exiguus Romæ æram & incarnationis tempus adeò confundendos duxit, ut annos ab Incarnatione Domini nostri intitularit teste Beda

Æra

Æra vulgaris.	Consules.	Imperatores.	Eventus varij.	Anni Christi juxtà Veteres & Recentiores.	Observata varia.
				Burgensem, Tostatum Abulensem, Genebrardum, & plures alios, quibus novissimè subscribit Labbeus.	c. 45. de ratione temporum. Addit Beda ipsam Romanam Ecclesiam anno ab Incarnatione 701. scripsisse in Cereis Paschalibus, *à Passione Domini nostri* IESU CHRISTI *anni sunt* 668. ita fratres suos tunc Romæ existentes exscripsisse testatur. Quod si annis 668. addas 33. vitæ, efficient annos 701. ut manifestum sit, Romanam Ecclesiam tēpore Bedæ æram inchoasse circa Christi nativitatem & incarnationem, prout post Bedam invaluit per Occidentem universum. Sic Isaac Lingonensis Episcopus meminit Zachariæ Papæ, quod certa capitula firmarit sub annū Incarnationis Dominicę 742. & acta Concilij Ravenatensis sub Ioanne 8. ex tabulario Ecclesiæ Eduensis habent hocce exordium *anno Dominicæ Incarnationis* 877. *indict.* 10. *nos Episcopi Ravennæ*, idem ostendi posset de centenis alijs adhæc usque tempora, unde patet illos non parū difficultatis subire, qui contra antiquam Ecclesiæ Traditionem, Christi incarnationem quatuor, quinque, aut sex annis ab æra vulgari collocant,
Hic incipit æra vulgaris.	C. Iulius Cæsar nepos Augusti, L. Æmilius Paulus,	Augusti 44. & 45.		Hoc anno Christi Incarnationem & Nativitatem ponunt Fasti antiqui à Cuspiniano recitati comment. in Cassiodorum, aiunt enim Christum natum Cæsare & Paulo Coss. die VIII. Kal. Ian. Dionysius quoque Exiguus testibus Beda, Sigeberto, Mariano Scoto aliisque, hoc anno suā Incarnationis Christi æram orditur. Subscribit Beda libro de Temporum Ratione cap. 45. & sequuntur Campanus, Bacchon, aliique. Prout variantium tenent sententiæ, hic quoque, variant anni Christi.	
2.	P. Vinitius Nepos, P. Alfenius Varus.	Augusti 45. & 46.	Lucius Cæsar moritur. Tiberius Romam redit.		
3.	P. Servilius Gemma, L. Ælius Lamia.	Augusti 46. & 47.			
4.	S. Ælius Catus, C. Sentius Saturninus.	Augusti 47. & 48.	Caius Cæsar moritur. Tiberius ab Augusto adoptatur.		
5.	C. Cornelius Cinna, L. Valerius Messala.	Augusti 48. & 49.			
6.	M. Æmilius Lepidus, Aruntius Nepos.	Augusti 49. & 50.	De Lepido & Aruntio scribit Dio libro 55. histor. hisque Cōsulibus Archelaus *à fratribus accusatus trans Alpes relegatus est.* Addit Iosephus lib. 17. cap. ult. id contigisse anno Principatus 10. nimirū currente: unde intelliges Eusebiū in Chronico Ar-		
7.	Q. Metellus Creticus, L. Licinius Nerva.	Augusti 50. & 51.		Kepplerus, Capellus & Henschenius hic ponunt annum 12. Christi, cumque in medio Doctorum. Alij postponunt prout variant in anno Nativitatis.	
8.	M. Furius Camillus, Sex. Nonius Quintilianus	Augusti 51. & 52.			
9.	C. Poppæus Sabinus, Q. Sulpit. Camerinus,	Augusti 52. & 53.			

Æra vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Eventus varij.*	*Anni Christi juxtà Veteres & Recentiores.*	*Observata varia.*
10.	P. Cornelius Dolabella. C. Iunius Silanus.	Augusti 53. & 54.	*chelaus nono anno Regni sui in Viennam urbem Galliæ relegatur.* Et S. Prosperum in Chronico: Archelaus in Viennam urbem Galliç relegatur anno Regni sui 9. post quem Herodes Tetrarches fuit anno 24.		
11.	M. Æmilius Lepidus, T. Statilius Taurus.	Augusti 54. & 55.	Suetonius in Tiberio cap. 21. *Dedicavit Concordiæ Ædem.* Idque		
12.	Germanicus Cæsar, C. Fonteius Capito.	Augusti 55. & 56.	juxtà Dioné factum est. Tauro & Lepido Cõsulibus: pergit Suetonius: *Lege per Consules latâ ut Provincias cũ Augusto communiter administraret, simulque censum a-*	Hic ponit Labbeus annum 12. Christi.	Ex eo quod Suetonius post concordiæ ædem à Tiberio dedicatam ærâ XI. tractet de eo in consortem Imperij assumpto, rectè colligitur ærâ sequenti id contigisse Biennio ante mortem Augusti, prout quoque collocat Seneschallus in Triade Evangelicâ, allegans GeorgiumSyncellum,
13.	C. Silius Nepos, L. Munatius Plancus.	Augusti 56. & 57.	*geret, condito lustro in Illyricum profectus est.* De hoc condito à se lustro *Conlegâ Tiberio, sexto Pompeio, & sexto Apuleio. Coss.* Testatur ipse Augustus in Monimento Ancyrano.		qui ad annum mundi 5513. Tiberium Privignum adoptatum illustrem totius Imperij successorem & tertium Romanorũ Imperatorem renuntiavit. Et ad an. 5515. *Romanorum tertius Monarcha Tiberius Imperium tenuit annis* 22
14.	Sextus Pompeius, Sextus Apuleius.	Augustus obit 19. Aug. & succedit Tiberius.	Augustus in Campaniã profectus Nolæ in morbum incidit vitâ & Imperio functus 19. Aug.		Quod si Biennio ante obitũ Augusti Tiberius consors Imperij factus sit anno vulgari 12. ab eo ad summum numerari possunt anni Tiberij à S. Luca, qui scribit anno 15. Tiberij S. Ioannem cœpisse prędicationem Baptismi Pœnitentiæ. Hoc autem multum officere videtur illi sententiæ, quæ tenet S. Lucam loqui de annis Tibe-
15.	Drusus Cęsar Fil. Tiberij, C. Norbanus Flaccus.	Tiberij 1. usque ad 19. Augusti, & 2. usque ad Kalend. Ian.	de quo Velleius Paterculus cap. 123. Augustum circumfusum amplexibus Tiberij sui, *in sua resolutum initia*		
16.	T. Statilius Siscnna Taurus, L. Scribonius Libo.	Tiberij 2. & 3 hic ponebat mortem Augusti Card. Baronius errans duobus annis, & inde errate pergens usque ad Imperium Probi, cui duos an-	*Pompeio Apuleioque Consulibus* 76. *anno.* Addit Eusebius in Chronico: *Defectis Se-lu facta, & Au-*		

Æra vulgaris.	Consules.	Imperatores.	Eventus varij.	Anni Christi juxtà Veteres & Recentiores.	Observata varia.
		nos abstulit, ut suprà notavimus.	*gustus LXXVI. ætatis suæ anno Atellæ in Campania moritur.*		rij ab eo tempore quo factus est Imperij consors, & Christum baptisatum scribunt anno Tiberij 16. 16. enim Tiberij annus ad summum cadere potest in æram 27. ab æra autem 27. ad 29. tantum sunt duo anni prædicationis, cum tribus annis Christum prædicasse constet.
17.	C. Cælius Rufus, L. Pompeius Flaccus.	Tiberij 3. & 4.			
18.	Tiberius Augustus 3. Germanicus Cæsar 2.	Tiberij 4. & 5.			
19.	M. Iulius Silanus, L. Norbanus Balbus Flaccus.	Tiberij 5. & 6.	Caiphas fit Pontifex ad annos 17.		
20.	M. Valerius Messala, M. Aurelius Cotta.	Tiberij 6. & 7.			
21.	Tiberius August. 4. Drusus filius Tiberij 2.	Tiberij 7. & 8.	Quirinus seu Cyrinus in Evãgelio memoratus moritur.		
22.	C. Sulpitius Galba, D. Haterius Agrippa.	Tiberij 8. & 9.			
23.	C. Asinius Pollio, C. Antistius Verus.	Tiberij 9. & 10.			
24.	Serg. Corn. Cethegus, L. Vitellius Varro.	Tiberij 10. & 11.			
25.	C. Lentulus Isauricus, M. Asinius Agrippa.	Tiberij 11. & 12.	Pilatus succedit Grato juxtà Henschenium & Seneschallũ. At juxtà Eusebium ad ann. 13. Tiber. Pilatus Procurator Iudeæ à Tiberio mittitur. Ita Codex Amandinus, & cum Mirco, Scaliger, & consonat Labbeus.		S. Lucas cap. 3. *Anno autem quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilea Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Ituræa & Traconitidis Regionis, & Lysania Abilinæ Tetrarcha sub Principibus Anna & Caipha, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium.* Addit Ioannem tunc cœpisse Baptismum Pœnitentiæ, ipsumque baptizasse Christum. *Et ipse* IESUS *erat incipiens quasi annorum triginta.* Variant periti in
26.	C. Cornelius Lentulus, C. Calvisius Sabinus.	Tiberij 12. & 13.		Hoc anno ponunt Cappellus, Hẽschenius aliique annum Christi 31. quo baptizatur à Ioanne 6. Ianuarij Dominica die annorum quasi 30. id est triginta & dierum 13.	
27.	M. Licinius Crassus, L. Calphurnius Piso.	Tiberij 13. & 14.		Victorius Aquitanus, & S. Prosper, videntur 14. anno Tiberij ponere Christi Baptismũ, assignantes tantum annum 1. Prædicationi.	

Æra

Æra vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Eventus varij.*	*Anni Christi juxtà Veteres & Recentiores.*	*Observata varia.*
28.	Ap. Iunius Silanus. P. Silius Nerva.	Tiberij 14. & 15.	Anno 15. Tiberij factum est verbum Domini super Ioannē Baptistā ad prædicandum pœnitentiæ Baptismum.	Baptizatur Christus juxtà Seneschallum mense Ianuarij. Alijs aliter.	annis triginta, quibusdam iis intelligentibus de annis inchoatis, alijs de annis 30. completis juxtà illud D. Ignatij ad Trallianos: *Et expletis tribus annorum Decadibus verè baptizatus est à Ioanne.*
29.	C. Rubellius Geminus. C. Fusius Geminus.	Tiberij 15. & 16.	Scribit Eusebius ad annum 16. Tiberij. IESUS CHRISTUS *Filius Dei salutarē cunctis prædicans viā miracula, quæ in Evangelijs scripta sunt, facit.*	Tertullianus lib. contra Iudæos scribit disertè: *Christi Passio perfecta est sub Tiberio Cæsare, Consulibus Rubellio * Gemino & Rufio Gemino, mense Martio temporibus Paschæ, die viij. Kal. April.* Lactantius lib. 4. instit. cap. 10. aiens Christum cruci affixum. *Tiberij anno 15. Geminis Coss.* Sulpitius Severus lib. 2. cap. 40. *Dominus Crucifixus est fusio Gemino & Rubellio Gemino Consulibus.* D. Augustinus lib. 8. de Civitate Dei cap. 54. *Mortuus est Christus duobus Geminis Consulibus* viij. *Kal. Aprilis.* Fasti Idacij. *his Consulibus* (Rufo & Rubellione) *passus est Christus die* 10. *Kalend. Aprilis, & Resurrexit* viij. *Kalend. easdem.* Idem Victorius Aquitanus, & S. Prosper in M.S. Codice cujus meminit Labbeus. *Usitatior Traditio habet, Dominum nostrum* XV, *anno Tiberij Cæsaris duobus Geminis Consulibus Crucifixū.* Demū prœmiū antiquissimi Catalogi: *Imperante Tiberio Cæsare Passus est Dominus noster* IESUS CHRISTUS *duobus Geminis Consulibus* viij. *Kalend. April.* Et hanc sententiam post Capellum cum approbatione Magistri sacri Palatij editam, tuetur novissimè Godefridus Henschenius.	
30.	M. Vinitius Quartinus, C. Cassius Longinus.	Tiberij 16. & 17.			* Non solum duobus Geminis Christū Crucifixum, sed etiam 25. Martij, quo mense & die mortuum plusquam ex 30. Martyrologijs etiam Hieronymi se probasse ad laudatum diem scribit Henschenius, unde & cum mors Christi à Tostato Abulensi tribueretur 3. Aprilis, scribit Salmeron tomo 1. Prolegomeno 38. inter Tractatus à Turrecremata manuscriptos unum se invenisse, qui inscribitur in quinque conclusiones Episcopi Abulensis de mandato Papæ examinatas prima inter eas damnatas hæc erat: *Dominum* IESUM *passum anno ætatis* 33. *currente.* Secunda: *Nequaquam vigesimo quinto Martij sed tertio Aprilis mortuum.*
31.	Tiberius August. 5. Ælius Seianus.	Tiberij 17. & 18.	Christus moritur anno 17. Tiberij juxtà Orosium, Gregorium Turonensem, aliosque apud Seneschallum, qui eos citat in Triade Evangelicâ, quęst. 3.		
32.	C. Domitius Ahenobarbus, A. Vitellius nepos, eique suffectus: Furius Camillus Scribonius.	Tiberij 18. & 19.	Christus moritur juxtà Eusebium hoc anno 18. & idem sequitur Baronius qui antevertit ęram vulgarem duobus annis.		

Æra vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Eventus varij.*	*Anni Christi juxta Veteres & Recentiores.*	*Observata varia.*
33.	Sulpicius Galba, L. Cornelius Sulla.	Tiberij 19. & 20.	Phlegon in 13. lib. scribit: *Quarto autẽ anno 202. Olympiadis, magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio solis facta: dies hora sexta ita in tenebrosam noctẽ versus, ut Stellæ in Cœlo visa sint, terraque motus in Bythenia Nicæna urbis multas ædes subvertit.*	Hoc anno 3. Aprilis CHRISTUM mortuum tuetur post alios Tostatus Abulensis 2. parte Defensorij & non obstante difficultate contra ipsum à Turrecremata motâ, subscripserunt plusquam triginta alij & inter eos Onuphrius Panuinus, Genebrardus, Scaliger, Pererius, & novissimè Philippus Labbeus. Ratio præcipua est Eclipsis in Evangelijs memorata tempore Plenilunij.	Annus 4. Olympiadis 202. concurrit cũ æra 33. Eclipsis autẽ illa existimatur ab Eusebio eadem, cujus meminit Phlegon, quam ait contigisse in morte Christi, & rectè, nam spectatis iis, quæ Evangelistæ tradunt de hora sexta Eclipsis & terræ motu per loca, planè consonant uti & illa, quæ Dionysius Areopagita in epistola ad Theophanem, quod *hora 6. Sol horribiliter subeunte Lunâ obscuratus fuerit.* Quæ cum ita sint, concludit Labbeus, Christum æra 33. & nullâ aliâ esse mortuum, præcipuè quia Eclipsis contigit tempore Plenilunij feria 6. feriâ autem 6. tempore Paschatis Iudæorum non fuerit Plenilunium, nisi hocce anno.

Produximus ad æram 33. Chronotaxim vitæ Christi, ex qua non solùm lucidè apparet, æram vulgarem firmam manere Julio Cæsare & Æmilio Paulo Consulibus, sed etiam mortis & Nativitatis Christi annos maximis perplexitatibus restare obnoxios. Profecit quidem inter variantium sententias ad id præsens difficultas, ut Christus anno 30. inchoato aut finito fuerit baptizatus & post tres annos prædicationis mortem obierit, sed manet præcipua quæstio circa ipsammet Christi Nativitatem, quam ex morte Herodis quidam firmiter existimant quatuor, quinque, aut sex annis ante æram vulgarem esse inchoandam, nec aliud respondent ad Pascha Judæorum tempore mortis Christi celebratum, quam Judæos non fuisse perfectos Astronomos, nec ita exactè observasse plenilunia: alij verò ex plenilunio Feriâ sextâ tempore Paschatis Judæorum colligant mortuum Christum ærâ 33. nihil aliud reponentes ad mortem Herodis, quàm eam erroneè à Josepho aliisque narrari. Et hæc sunt, quæ hanc difficultatem eo majoribus perplexitatibus involvunt, quò minora ad eorum solutionem argumenta suppetunt.

 CAPUT

CAPUT II.

De Chronotaxi Successorum Petri usque ad tempora Nicæni Concilij.

Petavius.

QUàm diversæ fuerint æræ, & Periodi annorum, quibus usa est Antiquitas, nemo eruditus ignorat: „ ut enim ab urbis conditu „ annos olim suos Romani putare consueverant (inquit eruditus Petavius parte 2. Rationarij Temporum lib. 4. cap. 1.), „ ab Olympiadum „ exordio Græci veteres: ab initio Seleuci Syri & Orientales plerique: „ ab orbe condito Constantinopolitani, Græcique hodie reliqui: ita „ nos ab Incarnatione vel Nativitate Christi tempora nostra numeramus. „ Respicit Petavius ad recentiores Latinos, qui post tempora Dionysij Exigui primùm annos ab Incarnatione Christi numerare cœperunt, cum ante illa tempora ab initio Diocletiani infestissimi Christianorum hostis annos suos numerarent Occidentis & Orientis pleræque Ecclesiæ, & facta Ecclesiastica aut annis à Passione Domini, aut certis Pontificibus aut Imperatoribus, & Consulibus assignarent. Patet quidem ex dictis de vita Christi, annos à Passione numeratos dubiam reddere temporis notam, & certiorem haberi ex Consulibus & Imperatoribus, quos post Christi Nativitatem & Passionem habemus certæ æræ assignatos, sed quæstionem sibi movet Eminentissimus Cardinalis Baronius ad annum 337. quisnam ex citatis subnotandi modis pro firmanda Chronotaxi securior sit & amplectendus? quæstionem proponit ad annum 337. occasione desumpta ex quadam Synodo vitiosè subnotatâ annis Imperatorum, indictione, & Consulibus: „ Si igitur moveatur controversia (inquit Baronius) quænam „ harum trium Chronographia fidelior habenda sit, meâ quidem sen„ tentiâ notatis Consulibus potius inhærendum existimaverim illâ po„ tissimùm inter alias ratione persuasus, quod facilius sit in notas „ numeri errores illabi, quàm in ipsa nomina, quod omnes puto ju„ stissimè concessuros. Hinc enim est, quod mos inolevit, ut cum vel „ anni Imperatoris, vel indictionis in legibus ab Imperatoribus latis „ mentio haberetur, Consulum quoque nomina adderentur, eam ni„ mirum ob causam, ut Fastorum soliditate, annorum Imperatorum „ numerus vel indictionis semper integer servaretur, vel si librariorum vitio

Baronius.

„ vitio corrumperetur, ex notatis Consulibus restitui posset.„ Hinc & ad annum 69. nu. 36. scripserat idem Baronius: „ Tempora annumerata per Consules, libentioribus sunt accipienda auribus, cum „ cæteris illa frequentior, liberalior, & verior noscatur esse Chronographia, atque in usum frequentiorem accepta, quæ à Fastis deducta „ est Consularibus. Certè quidem cum vetera monumenta in antiquis „ Scriptoribus interdum invenimus esse Consulibus consignata, magno afficimur gaudio, perinde ac si in tenebris oberranti fax aliqua „ exoptata præfulgeat.„ Hæc Baronius, cujus verba excipit novissimè Godefridus Henschenius in Prologo ad suam Chronotaxim tomo 1. Aprilis præfixam, & quam Baronius pro primis Pontificibus facem accendere neglexit, sese accensurum promittit ex antiquissimo Catalogo, de quo an rectè glorietur, statim videbimus, cum aliorum Chronica, quæ hoc Catalogo antiquitate præstant, & à nobis inferiùs exhibenda sunt, pertractaverimus.

Chronicon Eusebij à S. Hieronymo Latinitate donatum.

Ac primò quidem occurrit Chronicon Eusebij Cæsareensis in Palestina Episcopi, qui dum circa annum 320. quàm maximè floruit in omni Historiâ Ecclesiasticâ versatissimus, meritò ejus Chronicon ob antiquitatem operis & eruditionem Scriptoris Principem locum obtinere consuevit accedente præsertim auctoritate Magni Ecclesiæ Doctoris Hieronymi, qui non solùm Libro de Scriptoribus editam ab Eusebio Cæsareensi *Chronicorum Canonum omnimodam historiam* testatus est, sed à se quoque pluribus additis Latinitate donatam: *sciendum etenim est* (inquit D. Hieronymus in Præfatione ad Chronicon Eusebij) *me & interpretis & Scriptoris ex parte officio usum, quia & Græca fidelissimè expressi, & nonnulla, quæ mihi intermissa videbantur, adjeci in Romanâ maximè historiâ, quam Eusebius hujus conditor libri non tam ignorasse, utpote eruditus, quam ut Græcè scribens parum suis necessariam perstrinxisse mihi videtur. Itaque & à Nino & Abraham usque ad Troiæ captivitatem pura Græca translatio est, à Troiâ usque ad vicesimum Constantini annum, nunc addita nunc mixta sunt plurima, quæ de Tranquillo & cæteris illustribus Historicis curiosissimè excerpsimus.* Addit D. Hieronymus de suo ad Eusebianum Chronicon Supplemento, quod à 20. Constantini anno usque ad Consulatum Augustorum Valentis sextum & Valentiniani deduxit, at cum hocce nostro opere trium primorum sæculorum & quarti sæculi facta Ecclesiastica illustraturi simus usque ad Nicæni Concilij tempora, seu Constantini Vicennalia, sufficit de Eusebiano Chronico agere, quod & ob rationes jam citatas opus Hieronymianum censeri potest. Extant

D. Hieronymus.

Eusebiani Chronici editiones quam-plurimæ habentes notatos in margine Christi annos, quos certum est nec ab Eusebio positos, nec à D. Hieronymo additos, quandoquidem hic modus numerandi auctore Dionysio Exiguo primùm sit introductus post sæculum quintum tempore Justiniani Imperatoris, unde & in manuscripto Codice Amandino nusquam anni Christi notantur. Exhibentur tamen in M. SS. Codicibus anni Imperatorum, per quos facta Ecclesiastica adeò notare solebant Antiqui, ut ipsemet Eusebius in Historiâ Ecclesiasticâ passim per annos Imperatorum assignet Romanorum Pontificum tempora & illustriora sub ipsis circa Ecclesiam gesta. Hinc & Eusebij Chronicon per annos Imperatorum exhibituri, certam juxtà fidem Eusebij Romanorum Pontificum Epocham figeremus, si certum & fidele Eusebiani Chronici exemplar nancisci potuissemus, at cum antiquiora exemplaria etiam varient in notandis Imperatorum annis, ut notat Aubertus Miræus de M. SS. Codicibus Aquicinctino, Orteliano, Lipsiano, editione Arnaldi Pontaci Vazatensis Episcopi ex pluribus M. SS. exemplaribus elucubratâ, uti & de Scaligeri correctione, aliorumque omnium, lucet profectò vacillare Codicum & editionum authoritatem, etiam ipsius Auberti Miræi, quæ habet regnante Ælio Pertinace suscepisse Victorem Episcopatum, ubi ipse Eusebius docet lib. 5. cap. 20. Eleutherum obiisse 10. anno Commodi Imperatoris tribus annis antequam Ælius Pertinax ad Imperium pervenit, & tunc quoque Eleuthero successisse Victorem. Habet plura similia Chronicon Eusebij, quæ pugnant cum iis, quæ traduntur in ipsius historia, quinimò & plura, quæ correctione indigent, signanter verò de Cleto & Anacleto, quem in unum Pontificem conflat, & quod magis mirandum est de Marcellino & Marcello, quorum temporibus floruit, pro uno tamen Pontifice insigni errore habuit. Finit subinde Pontificatum Melchiadis anno 3. Constantini, cum anno 7. aut 8. Constantini sub S. Melchiade celebratum fuisse Romanum in causa Donati Concilium, constet apud omnes. Habet denique Nicænum Concilium ad annum 15. Imperantis Constantini, quod 20. anno celebratum fuisse non solùm constat ex aliis, sed & ex ipso Eusebio libro 3. de vita Constantini cap. 14. ut ex his omnibus appareat, Chronicon Eusebij valdè corruptum ad manus nostras devenisse, neque ab ipso quidem Hieronymo, qui plura de suo addidit, fuisse plenè ab erroribus purgatum, aut veritati suæ restitutum.

Sequi-

Sequitur Chronicon S. Prosperi fidelissimi quondam Magni Augustini Discipuli, cujus Supplementum post Chronicon Eusebij & D. Hieronymi, sæpiùs typis prodijt, unde creditum fuit à plerisque, S. Prosperum nihil amplius quàm Eusebiani & Hieronymiani Chronici Supplementum exarasse, in quo eos graviter errasse, scribit Labbeus tomo 1. novæ Bibliothecæ manuscriptorum librorum in syllabo Scriptorum: „ deceptos fuisse quam-plurimos etiam eruditissimos, qui „ Prosperum arbitrati sunt Hieronymiano dumtaxat Chronico appen- „ dicem attexuisse. Certum quippe est, multisque Veterum testimo- „ nijs comprobatum, ab initio rerum ad sua usque tempora uno veluti „ filo ac tenore Chronicam epitomen perduxisse. Testatur id Victor „ Aquitanus in præfatione Canonis Paschalis ad Hilarum urbis Romæ „ Archidiaconum posteà Papam: *Cujus Eusebij tenorem vir venerabilis Pro- „ sper secutus iisdem Chronicis hæc eadem egregia brevitate composuit, ut eorum „ initium à mundi inchoaretur exordio.* „ Addit & testimonium Gennadij in Catalogo de Viris Illustribus: *Prosper homo Aquitanicæ Regionis, sermone Scholasticus & assertionibus nervosus multa composuisse dicitur. Ex quibus ego Chronica nominis illius prætitulata legi continentia à primi hominis conditione juxtà Divinarum Scripturarum fidem usque ad obitum Valentiniani Augusti & Captivitatem urbis Romæ à Genserico Vuandalorum Rege factam.* Edidit hoc S. Prosperi Chronicon Philippus Labbeus tomo superiùs citato Parisijs anno 1657. & ex illo videre licet, S. Prosperum juxtà Eusebij & Hieronymi fidem sua Chronica iisdem plerumque verbis exhibuisse, præterquam, quod Consules addiderit à morte Christi ad sua usque tempora: *Consules* (inquit) *à manifestatione Domini, id est à Rufino Gemino & Rubellio Gemino Consulibus inchoamus*, sicque *incipit adnotatio Consulum cum historia Rufino Gemino & Rubellio Gemino Coss.* & finit *Valentiniano* viij. *& Anthemio.* Habet & S. Prosper in hocce Chronico errores Eusebij circa Cletum & Anacletum, Marcellinum & Marcellum ex quibus duos tantum Pontifices conflat, facta quoque Ecclesiastica certis Consulibus perperam quandoque apposita, lacunam insuper manifestam post Sotheris Episcopatum Aproniano & Paulo Consulibus adscriptum, omittit enim Eleutheri Pontificatum, non quidem vitio authoris, sed temporis injuria corrosum, ut insinuat ordo Romanorum Pontificum quorum undecimus ibi scriptus est Sother, Victor autem decimus tertius nullâ mentione duodecimi Pontificis factâ.

Chronicon S. Prosperi à Labbeo publicatū.

Labbeus.

Victor Aquitanus.

Gennadius

S. Prosper in Chronico.

Post S. Prosperi Chronicon exhibuimus antiquiorem Catalogum per Consules quoque singulorum Pontificatus exhibentem. Eum habuit

Antiquior Catalogus sæculo 4. exaratus.

Eusebiani Chronici editiones quam-plurimæ habentes notatos in margine Christi annos, quos certum est nec ab Eusebio positos, nec à D. Hieronymo additos, quandoquidem hic modus numerandi auctore Dionysio Exiguo primùm sit introductus post sæculum quintum tempore Justiniani Imperatoris, unde & in manuscripto Codice Amandino nusquam anni Christi notantur. Exhibentur tamen in M. SS. Codicibus anni Imperatorum, per quos facta Ecclesiastica adeò notare solebant Antiqui, ut ipsemet Eusebius in Historiâ Ecclesiasticâ passim per annos Imperatorum assignet Romanorum Pontificum tempora & illustriora sub ipsis circa Ecclesiam gesta. Hinc & Eusebij Chronicon per annos Imperatorum exhibituri, certam juxtà fidem Eusebij Romanorum Pontificum Epocham figeremus, si certum & fidele Eusebiani Chronici exemplar nancisci potuissemus, at cum antiquiora exemplaria etiam varient in notandis Imperatorum annis, ut notat Aubertus Miræus de M. SS. Codicibus Aquicinctino, Orteliano, Lipsiano, editione Arnaldi Pontaci Vazatensis Episcopi ex pluribus M. SS. exemplaribus elucubratâ, uti & de Scaligeri correctione, aliorumque omnium, lucet profectò vacillare Codicum & editionum authoritatem, etiam ipsius Auberti Miræi, quæ habet regnante Ælio Pertinace suscepisse Victorem Episcopatum, ubi ipse Eusebius docet lib. 5. cap. 20. Eleutherum obiisse 10. anno Commodi Imperatoris tribus annis antequam Ælius Pertinax ad Imperium pervenit, & tunc quoque Eleuthero successisse Victorem. Habet plura similia Chronicon Eusebij, quæ pugnant cum iis, quæ traduntur in ipsius historia, quinimò & plura, quæ correctione indigent, signanter verò de Cleto & Anacleto, quem in unum Pontificem conflat, & quod magis mirandum est de Marcellino & Marcello, quorum temporibus floruit, pro uno tamen Pontifice insigni errore habuit. Finit subinde Pontificatum Melchiadis anno 3. Constantini, cum anno 7. aut 8. Constantini sub S. Melchiade celebratum fuisse Romanum in causa Donati Concilium, constet apud omnes. Habet denique Nicænum Concilium ad annum 15. Imperantis Constantini, quod 20. anno celebratum fuisse non solùm constat ex alijs, sed & ex ipso Eusebio libro 3. de vita Constantini cap. 14. ut ex his omnibus appareat, Chronicon Eusebij valdè corruptum ad manus nostras devenisse, neque ab ipso quidem Hieronymo, qui plura de suo addidit, fuisse plenè ab erroribus purgatum, aut veritati suæ restitutum.

Sequi-

Sequitur Chronicon S. Prosperi fidelissimi quondam Magni Augustini Discipuli, cujus Supplementum post Chronicon Eusebij & D. Hieronymi, sæpiùs typis prodijt, unde creditum fuit à plerisque, S. Prosperum nihil amplius quàm Eusebiani & Hieronymiani Chronici Supplementum exarasse, in quo eos graviter errasse, scribit Labbeus tomo 1. novæ Bibliothecæ manuscriptorum librorum in syllabo Scriptorum: „ deceptos fuisse quam-plurimos etiam eruditissimos, qui „ Prosperum arbitrati sunt Hieronymiano dumtaxat Chronico appen-„ dicem attexuisse. Certum quippe est, multisque Veterum testimo-„ nijs comprobatum, ab initio rerum ad sua usque tempora uno veluti „ filo ac tenore Chronicam epitomen perduxisse. Testatur id Victor „ Aquitanus in præfatione Canonis Paschalis ad Hilarum urbis Romæ „ Archidiaconum posteà Papam: *Cujus Eusebij tenorem vir venerabilis Pro-„ sper secutus iisdem Chronicis hæc eadem egregia brevitate composuit, ut eorum „ initium à mundi inchoaretur exordio.* „ Addit & testimonium Gennadij in Catalogo de Viris Illustribus: *Prosper homo Aquitanicæ Regionis, sermone Scholasticus & assertionibus nervosus multa composuisse dicitur. Ex quibus ego Chronica nominis illius prætitulata legi continentia à primi hominis conditione juxtà Divinarum Scripturarum fidem usque ad obitum Valentiniani Augusti & Captivitatem urbis Romæ à Genserico Vuandalorum Rege factam.* Edidit hoc S. Prosperi Chronicon Philippus Labbeus tomo superiùs citato Parisijs anno 1657. & ex illo videre licet, S. Prosperum juxtà Eusebij & Hieronymi fidem sua Chronica iisdem plerumque verbis exhibuisse, præterquam, quod Consules addiderit à morte Christi ad sua usque tempora: *Consules* (inquit) *à manifestatione Domini, id est à Rufino Gemino & Rubellio Gemino Consulibus inchoamus*, sicque *incipit adnotatio Consulum cum historia Rufino Gemino & Rubellio Gemino Coss.* & finit *Valentiniano viij. & Anthemio.* Habet & S. Prosper in hocce Chronico errores Eusebij circa Cletum & Anacletum, Marcellinum & Marcellum ex quibus duos tantum Pontifices conflat, facta quoque Ecclesiastica certis Consulibus perperam quandoque apposita, lacunam insuper manifestam post Sotheris Episcopatum Aproniano & Paulo Consulibus adscriptum, omittit enim Eleutheri Pontificatum, non quidem vitio authoris, sed temporis injuria corrosum, ut insinuat ordo Romanorum Pontificum quorum undecimus ibi scriptus est Sother, Victor autem decimus tertius nullâ mentione duodecimi Pontificis factâ.

Chronicon S. Prosperi à Labbeo publicatū.

Labbeus.

Victor Aquitanus.

Gennadius

S. Prosper in Chronico.

Post S. Prosperi Chronicon exhibuimus antiquiorem Catalogum per Consules quoque singulorum Pontificatus exhibentem. Eum habuit

Antiquior Catalogus sæculo 4. exaratum

buit Joannes Cuspinianus, & commentario suo in Aurelij Cassiodori Consules inseruit. Eumdem habuit in antiquis membranis Nicolaus Fabricius Pieresci Dominus & Senator Aquensis, uti testatur Antonius Capellus de Cœna & Passione Christi cap. 5. eum deinde à Jacobo Bollando acceptum edidit omnium primò Ægidius Bucherius commentario suo in Canonem Paschalem, & anno 1675. iterùm ex Bollandi Apographo reexcusit Godefridus Henschenius ante tomum 1. Aprilis de Vitis Sanctorum, qui & existimat hunc Catalogum esse illum, quem olim petierat à Damaso Papâ D. Hieronymus, & Hieronymo transmiserat idem Damasus juxtà fidem sequentium epistolarum, quas nunc primò in lucem edidit laudatus Henschenius:

1. Hieronymi Presbyteri
Ad Damasum Papam urbis Romæ.

Hieronym. *Beatissimo Papæ Damaso Hieronymus: gloriam Sanctitatis tuæ nostra humilitas deprecatur, ut secundùm Apostolicæ Sedis authoritatem, quam cognovimus per tuam sanctitatem gubernari, actus gestorum à B. Petri Apostoli principatu, usque ad vestra tempora, quæ scilicet in Sede tua gesta sunt, nobis per ordinem paucis enarrare digneris: quatenùs nostra humilitas sentiens recognoscat, quis meruerit de Episcopis supradictæ Sedis Martyrio coronari, vel si quis contra Canones Apostolorum excessisse cognoscatur. Ora pro nobis Beatissime Pater.*

2. Damasi Papæ
Ad Hieronymum Presbyterum.

Damasus. *Damasus Episcopus urbis Romæ Hieronymo Presbytero: gaudet Ecclesia tuo fonte jam satiata, & amplius sitit curiositas temporum Sacerdotalium, ut quod dignum est, cognoscatur, quod indignum, respuatur. Verumtamen gesta Pontificum quæ potuimus reperire in nostræ Sedis studio ad tuam caritatem gaudenter direximus. Ora pro nobis ad Sanctam Resurrectionem frater & compresbyter. Vale in* CHRISTO *Deo & Domino nostro. Dat. x. Kalendas Iunij & accepta Kalendas Octobris. Missa de Româ Hierosolymam.*

Henschen. Editis hisce duabus epistolis pergit notare Henschenius: „Non „ videtur autem S. Damasus ipse conscripsisse priorem Catalogum de „ vitis Pontificum; sed solùm has ad Liberium decessorem suum à „ varijs deductas approbasse, & ad S. Hieronymum direxisse. Igitur

Ptolomeus Lucensis. „ cum Ptolomæus Lucensis apud Milesium pag. 21. dicit: *Quod usque* „ *Damasum Chronica summorum Pontificum vigorem recipiunt Damaso scribente*, eodem approbante seu subscribente id fieri intelligimus; & quod ipsi

,, ipsi vitę Pontificum ut primo Scriptori passim tribuantur à Sabellico, ,, Panuino, & alijs, minus probamus. ,, Ipso itaque Henschenio teste, Damasus non est propriè author hujus antiquioris Catalogi, sed approbator dumtaxat, quod alij præsertim duarum partium Catalogi auctores existant : ,, Prima (inquit in Prologo) completur cum S. ,, Urbano Pontifice anno 230. Martyrium passo. In hac priore Parte ,, nulli Consules bis repetuntur, quamvis sub iisdem, sub quibus sede- ,, re inceperunt, quidam fuerint vita functi aut Martyrio coronati eo- ,, rum decessores. . . . . auctor huius partis videtur posse statui S. An- ,, therus Papa, *qui gesta Martyrum diligenter à notarijs exquisivit, & in Ecclesia recondidit*. Sedit is solùm uno mense in suo Pontificatu, videturque gesta Martyrum potissimùm Summorum Pontificum exqui- ,, sivisse necdum Pontifex sub S. Pontiano successore S. Urbani. . . . ,, Secunda ergo pars inciperet à dicto Pontiano, & in hac passim ma- ,, jora Pontificum elogia referuntur, iidem Consules repetuntur, dies ,, ordinationis & mortis Pontificum assignantur. Et hæc pars ad finem ,, ferè deducitur, ubi S. Julij elogium præter morem aliorum habet ,, accuratam Basilicarum ab eo extructarum narrationem : ex qua XII. ,, Aprilis ad hujus S. Julij vitam confirmamus hujus Catalogi emi- ,, nentem soliditatem. Successit *S. Iulio Liberius, cujus tempore hunc veterem indiculum Romanorum Pontificum contextum fuisse*, asserit Dionysius ,, Petavius lib. 5. Rationarij Temporum, cap. 5. qui eum penes se ha- ,, buit. Post obitum Liberij constitutus est Pontifex Romanus S. Da- ,, masus, qui rogatus à S. Hieronymo, *gesta Pontificum, quæ potuit reperire in suæ Sedis studio, ad eum direxit*, quæ Damasi verba arbitramur in- ,, telligenda de jam indicato Catalogo usque ad Liberium eius deces- ,, sorem deducto. Epistolas utriusque hac de re & S. Hieronymi, & ,, S. Damasi, ex Codicibus M.SS. præponimus. Idem S. Hieronymus ,, de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 15. statuit S. Clementem quartum ,, post Petrum Romanum Pontificem, *si quidem* (inquit) *secundus Linus fuit & tertius Anacletus, etsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem*. Ubi opinamur nomine Latinorum in- ,, dicari hunc Catalogum à S. Damaso missum ad S. Hieronymum, ,, qui etiam libro 1. adversus Jovinianum appellat Clementem, suc- ,, cessorem Apostoli Petri, & in caput 52. Isaiæ scribens, ait : eum *post Petrum Romæ Romanam rexisse Ecclesiam*, scilicet interposito ad modicum ,, tempus S. Lino, cui successisse Clementem tradunt Optatus Mile- ,, vitanus lib. 2. & S. Augustinus epist. 165.

Henschen. Catalogus in vita Antheri. Petavius. Damasus. Hieronym.

Huc-

Hucusque Henschenius de Catalogo à nobis priori loco & sub titulo antiquioris exhibendo, quod licet ab Anthero Papa confectum, & à Damaso probatum negemus, omnium tamen Catalogorum antiquissimum credamus, & cum Bucherio fontem videri existimemus, ex quo alij omnes Originem ducunt. Adfert quidem Godefridus Henschenius in confirmationem editarum sub nomine Hieronymi & Damasi epistolarum alias hisce planè similes inter Opera S. Damasi à Martio Milesio Sarazanio J. C. Romano typis Vaticanis anno 1638. editas: at effugit, has quoque epistolas de Psalmodiâ ante Martium publicatas anno 1516. in editione Basileensi ab Erasmo, qui ad priorem de Psallentia epistolam à Damaso ad Hieronymum conscriptam, sequentem censuram adjunxit: *Clarius est, quam ut admoneri debeat, hanc epistolam eiusdem esse artificis, cuius est ea, quæ proximè sequitur, & eadem febri laborantis. Deum immortalem, quæ fuit impudentia, hoc tribuere Damaso.* Addit de epistolâ Hieronymi ad Damasum Responsoriâ: mirum est inventum fuisse, *qui speravit futurum, ut hac epistola, qua nihil fingi potuit insulsius, nec indoctius, nec infantius à quoquam pro Hieronymiana legeretur.* Erasmi censuras novissimè confirmat tomo 2. collectionis maximæ in notis marginalibus ad duas epistolas à Milesio publicatas Philippus Labbeus: *Supposititia, apocrypha, & ineptissima viris doctis habentur, tantumque à stylo Damasi & Hieronymi distant, quantum cælum à terra, & polus antarcticus ab arctico.* Nec ulteriori probatione hæc indigent, cum vel literas inspicienti eadem planè occurrent, ut ex epistolis per Martium Milesium publicatis nullatenùs ostendi possit: *Consuetudo literarum circa libros inter S. Damasum & Hieronymum*, adeoque nec juvari possint aliæ duæ epistolæ nunc primùm publicatæ, quæ dum fatente Henschenio à Milesio editis planè similes existunt, & similis suppositionis indicia non obscurè præ-se-ferunt, pro ut ex contentis ulteriùs confirmatur: petit enim in priori epistola S. Hieronymus à Damaso Papâ seriem Romanorum Pontificum, ut cognoscat inter alia: *Si quis contra Canones Apostolorum excessisse cognoscatur.* Hæc autem nullatenùs Hieronymo conveniunt, uti nec illa Damaso in posteriori epistolâ: *Gaudet Ecclesia tuo fonte jam satiata, & amplius sitit curiositas temporum Sacerdotalium:* Quid enim significant hæc verba? *Sitit curiositas temporum Sacerdotalium*: Si dixisset: *Sitit curiositas Sacerdotum*: Sensus fuisset optimus: sed *sitit curiositas temporum Sacerdotalium*, nec sensum reddunt, nec Damaso Papæ adscribi possunt, cujus elegantissima scribendi methodus à similibus imposturis est longè aliena, ut colligi potest ex eius epistolis per Lucam Holste-

Erasmus.

Labbeus.

Hensche-

Holstenium publicatis in Romanâ historiâ bipartitâ, parte 1. aliisque per alios editis: & hæc quidem de ipsis epistolis, quarum authoritate Catalogus prætenditur à Damaso Papa transmissus, & à D. Hieronymo expostulatus, quod ne quidem admittendum videtur, etiamsi epistolæ genuinæ sint, & auctoribus, quos præ-se-ferunt, adscribendæ.

Enimverò ut Catalogus iste sit idem planè à D. Hieronymo desideratus & Damaso transmissus per laudatas suprà epistolas, debent ipsi convenire, quæ in citatis epistolis de eo ponuntur; at in priori quærit Hieronymus à Damaso Papa *Actus gestorum* à B. Petri Apostoli Principatu usque ad sua tempora, & quæ in Sede Apostolicâ gesta sunt per ordinem paucis enarrari, ut agnosceret, *quis meruerit de Episcopis supradictæ Sedis Martyrio coronari, vel si quis contrà Canones Apostolorum excessisse cognoscatur.* Et ad hanc Hieronymi epistolam rescribit Damasus: *Gesta Pontificum, quæ potuimus reperire in nostræ Sedis studio, ad tuam Caritatem gaudentes direximus.* Quæ omnia clarissimè indicant, Catalogum Pontificum à D. Hieronymo expostulatum, & à Damaso transmissum continuisse *Actus gestorum* aut *gesta Pontificum*, in quibus eorum obitus & mortis genus breviter adnectitur. Horum autem omnium nihil habet antiquus Catalogus, qui solos annos Pontificatus, & Consules, quibus Romani Episcopi cœperunt & desierunt, instar indiculi exhibet: ut nec prior pars S. Antero adscribi possit, qui traditur *gesta Martyrum* diligenter à Notarijs exquisiisse, & recondidisse in Ecclesia, nec posterior pars Notarijs aut alijs à Damaso hanc ob rem adhibitis, cum nec gestorum nomine secunda indiculi pars venire possit, nec gesta Martyrum contineat, quæ ultrà duorum Pontificum Martyria non attingit, adeoque nec Catalogus esse possit, quem Magnus Hieronymus expostulavit, aut Damasus ad S. Hieronymum transmisit, sed si epistolarum auctoritas sustinenda foret, alius de Romanis Pontificibus Catalogus desiderandus esset, ubi Pontificum Gesta & Martyria pleniùs exponuntur. Nec crediderim ego M. S. Catalogo, aut potiùs indiculo Pontificum hic controverso olim præpositas laudatas epistolas, cum illas ipse Godefridus Henschenius aliunde ediderit, & citet M. SS. Gesta Pontificum à Zeno Patavino Episcopo sub Eugenio quarto elucubrata, quibus inquit: „ suprà indicatæ epistolæ SS. Hieronymi & Damasi præponebantur. „ Addit alibi quoque inveniri, non tamen ante M. S. Catalogum reperiri potuisse, superiora demonstrant. Accedunt plura in hujus veritatis confirmationem: ac primò illud Henschenij, quod D. Hieronymus libro de Viris Illustribus ad

Hieronym.

Damasus.

Henschen.

hunc Catalogum respiciat à Damaso Papâ susceptum, cum scribit in Clemente, eum fuisse quartum, *tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem.* Secundum post Petrum fuisse Clementem habet Catalogus, quem si tunc penes se retinebat Hieronymus ab Antero Papa pro priori parte confectum, & Operâ Damasi pro posteriori parte ex studio Apostolicæ Sedis in ordinem redactum, quis credet S. Hieronymum eius authoritatem impugnare ausum, qui adeò Sedis Apostolicæ authoritati se ipsum submittere consueverat, ut & in prætensâ ad Damasum epistolâ ideò Sedis Apostolicæ auctoritatem implorarit, quatenùs hac in re haberet, quod sentiens recognosceret, &, ut decebat, amplecteretur? scribit itaque magnus Hieronymus plerosque Latinorum statuisse, secundum post Petrum fuisse Clementem, respiciens ad S. Optatum Milevitanum aliosque Latinos cum D. Augustino tradentes, Clementem ante Cletum fuisse Romanum Pontificem, quod meritò improbasse Hieronymum, latiùs ostendetur Parte 2. Dissertatione 3. cap. 2. & hic est primus Catalogi error, quem mallem alteri quam Antero tertij sæculi Pontifici adscribere ut auctori, & Damaso ut confirmatori adjudicare. Secundo habet prior Catalogi pars Antero tributa Pium post Anicetum, & hunc esse alterum Catalogi errorem, ostendunt istorum temporum Scriptores duo, Ireneus Lugdunensis in Galliâ Episcopus, & Egesippus Historicus, qui sub Aniceto & Eleuthero Romam venerunt, & quorum testimonia confirmant Eusebius, Hieronymus aliique cum communi Romanæ Ecclesiæ sententiâ, ut suo loco fusiùs exponetur. Tertiò ponit Catalogus annos Pontificum & Consules exordio & fini Pontificatus assignatos, sed adeò in plerisque locis sibi repugnat, ut anni & menses adversentur Consulibus, & Consules pauciores pluresve annos, quàm à Catalogo exhibeantur, designent. Unum è pluribus adduxisse sufficiat. Habet de octavo Pontifice Catalogus: *Sixtus annis decem, mensibus tribus, diebus 21. fuit temporibus Hadriani à Consulatu Nigri & Aproniani usque Vero 3. & Ambibulo.* Anni signantur decem, & menses tres, ubi Niger & Apronianus fuêre Consules ærâ 117. & Verus 2. cum Ambiguo Bibulo, malè à Catalogo Verus 3. & Ambibulus vocati, fuerint Consules ærâ 126. ab ærâ autem 117. ad 126. non possunt enumerari anni decem, & menses tres, ideoque & Godefridus Henschenius in sua Chronotaxi producit Pontificatum Sixti ad annum 127. quod & alibi factum videtur contrà morem Catalogi, qui ultimos Consules exhibere consuevit, quibus occubuerunt Pontifices.

Hieronym.

Prior Catalogus.

tifices. Quartò sæpiùs Consules unius Pontificatus miscentur cum Consulibus alterius Pontificatui assignatis, unde provenit, quod frequenter recurrendum sit ad Vicariatum, ut quo tempore prædecessor adhuc sedebat verus Pontifex, ibi & successori assignaretur Vicariatus, quo verificari posset, eum aliquatenus saltem fuisse Pontificem. Sic de 24. Pontifice habet Catalogus: *Stephanus annos quatuor, menses duos, dies viginti unum. Fuit temporibus Valeriani & Gallieni à Consulatu Volusiani & Maximini, usque Valeriano 3. & Gallieno 2.* Volusianus & Maximinus fuerunt Consules anno 253. quibus ponitur à Catalogo initium Pontificatus Lucij, ut ex tunc S. Stephanum Lucij Vicarium fuisse scribat Henschenius, qui Stephano tantum tribuit menses quinque post mortem Lucij, iisdem Consulibus Valeriano 3. & Gallieno 2. assignatam in Catalogo. Sed quamvis aptus sit hic locus communis de Vicariatu ad supplendum Catalogi defectus, hic tamen in Pontificatu Stephani vix ullo fuco adhiberi potest, cum ei non solùm duos aut tres annos Pontificatus tribuant antiquiores & moderni omnes, sed etiam res ipsa id expostulet. Enimverò S. Stephanum ultrà quinque menses contrà rebaptizantes egisse ut verum Pontificem, clamat Cypriani authoritas, dum hac in re eum authoritate Pontificiâ tanquam Episcoporum Episcopum egisse insinuat, uti & Firmiliani testimonium de Petra Ecclesiæ fundamentali, in quâ Stephanum gloriari solitum manifestè declarat.

Prior Catalogus.

Plura hucusque de priori Catalogo, quem ne quisquam ideò penitus improbandum existimaret, quod à Sede Apostolicâ authoritatem non obtineat, repono cum Bucherio, eum quidem confusiorem & vitiosum videri plerisque in locis, nec ab Antero Papa pro priori parte conscriptum, nec studio Damasi Pontificis pro posteriori parte collectum, reliquorum tamen Catalogorum fontem videri, & ut magnum antiquitatis monimentum meritò ab Henschenio publicatum, utpotè ex quo secundus Catalogus Consules suos mutuarit, ut vel consideranti patebit. Secundum hunc Catalogum ex illustri Bibliotheca Serenissimæ Christinæ Reginæ Sueciæ contentum in Codice Membranaceo valdè magno sub num. 58. publicarunt quoque Godefridus Henschenius & Daniel Papebrochius ante tomum priorem Aprilis. Complectitur Acta Pontificum ab Apostolorum Principe Petro usque ad Felicem tertium tempore Justiniani Imperatoris, quo consequenter confectus existimatur. Habet annos Pontificum in plerisque variantes à priori Catalogo, unde lucidè apparet, alio auctore

Secundus Catalogus tempore Iustiniani Imperatoris exaratus ante mille & centū quadraginta annos.

elucubratum. Habet etiam Consules à Petro ad Liberium Papam, in quo finit prior Catalogus, & ex illo quoque suos Consules sumpsisse posterioris Catalogi auctorem, suadent eadem omninò Consulum nomina, & iidem planè errores in eorum relatione expressi, ac confirmat, quod secundi Catalogi auctor post Liberium Papam non posuerit Consules, præterquam in Joanne I. & Felice 4. quando auctor vixit volens imitari auctorem primi Catalogi. Habet & hic secundus Catalogus acta primorum Pontificum, mortis genus, ordinationes Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, ac diem sepulturæ cum tempore sedis vacantis recentiori manu adjuncto, hoc verò animadvertendum, quod acta sua ex varijs antiquorum monumentis desumpta ordinaverit sub iisdem Imperatoribus, sub quibus prior Catalogus eorum Pontificatum statuerat, etiam errore in eorum relatione retento. Sic nonum Pontificem Telesphorum statuerat prior Catalogus *temporibus Antonini Macrini*, quæ ignota nomina & secundus Catalogus retinuerat. Sic etiam 30. Pontificem Marcellinum *temporibus Diocletiani & Maximiani* collocaverat antiquior Catalogus, & ab eodem Diocletiano quoque Marcellinum Martyrio affectum auctor secundi Catalogi scripsit, quod erroneum esse non malè nuper indicabat vir eruditus obiiciens, Diocletiano 9. & Maximiano 8. à Diocletiano Marcellinum non potuisse Martyrio affici Romæ, ut habet Catalogus, quandoquidem Romæ tunc temporis non fuisse Diocletianum constet ex historicis, & Fasti Idacij Diocletianum Nicomediæ istis Consulibus purpuram deposuisse testentur. Hinc tamen inferri non debet Lapsum Marcellini esse confictum, quia ut jam animadverti auctor secundi Catalogi gesta Pontificum ex antiquorum monumentis desumpsit, & sub iisdem Consulibus & Imperatoribus ordinavit, sub quibus Pontifices vixisse statuerat prior Catalogus.

Tertius Catalogus nunc primò publicatus, & ante annos 870. confectus.

Secundo huic Catalogo adiicimus tertium, quem Viris eruditis Henschenio & Papebrochio quondam Romæ obtulerat commendatus ipsis ab Alexandro 7. Lucas Holstenius Bibliothecæ Vaticanæ tunc custos. „Obtulit (inquiunt) Catalogum Summorum Pontificum ex „antiquissimis membranis Palatinis Vaticanæ Bibliothecæ descrip„tum, in cujus Codice 40. Armarij 20. ante pœnitentiales Psalmos „Davidis continebatur. Hunc Catalogum ipsi descripsimus dedu„ctum usque ad Stephanum III. Papam, sive ad tempora Pipini & „Caroli Magni Regum Francorum; eumque constitueramus aliquan„do alijs Catalogis minimo charactere excusum subjungere. Verum

quia

„ quia ibi non indicantur Consules Romani, vix posset ille alium „ usum habere, quam ut ex crebris eius erroribus disceremus, quàm „ parum fidendum sit Computui annorum, cui Consules aut anni „ Imperatorum desunt. „ Hæc de tertio Catalogo, qui dum ordinem Romanorum Pontificum à priori Catalogo in Clemente & Pio inversum correxit, & per solos Pontificum annos procedat neglectis Consulibus & Imperatoribus, ab Henschenio quoque ut minus instituto suo Idoneus relictus est ineditus. Nos autem, cum ordinem Romanorum Pontificum in eo observatum, observandum quoque ducamus, & annos Pontificum non adeò discordare inveniamus, quin in Silvestri Pontificatu sicut & in alijs cum Eusebio, Hieronymo, & S. Prospero ferè coincidat, tantum antiquitatis monumentum utile judicavimus, ut prælo mandetur, quod nos ex concessione suprascriptorum Patrum omnium primi producimus eo libentiùs, quo ex illo apparebit, circa trium primorum sæculorum Pontifices Chronotaxim esse dubiam, & temporum rationem circa facta Ecclesiastica valdè perplexam. Habet hic Catalogus nunc primùm publicatus acta pauciora ex secundo tamen Catalogo desumpta, ut vel exinde patet, quod gesta Pontificum iisdem verbis plerumque referat, quæ inter plura secundus Catalogus exhibet, etiam retinens secundi Catalogi errores, ut vel ostendunt hæc verba sub Eusebio: *Hujus tempore inventa est Crux Domini nostri* JESU CHRISTI: hæc utrobique sub Eusebio, cum ad alium Pontificem sint referenda. Habet hic tertius Catalogus annos Pontificum non quidem ex priori aut secundo Catalogo sed aliundè desumptos, & licet eorum Series in aliqua impingat, in alijs tamen feliciter succedit, uti & anteriores Catalogi.

Anxiè hucusque quæsierunt Viri eruditi, ex quibusnam auctoribus Pontificale sub nomine Damasi fuerit confectum, de quo Bellarminus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in Damaso „ tribuitur S. Damaso „ liber de Vitis Pontificum, qui extat in primo tomo Conciliorum, „ sed liber ille est Anastasij Bibliothecarij, non Damasi, ut notum est. Et Antonius Possevinus in Apparatu sacro sub Damaso: „ Quæ autem „ nomine Damasi fertur brevis Series vitarum Romanorum Pontifi- „ cum, alterius fuit, non hujus Damasi. „ Et Severinus Binnius ex Eminentissimi Cardinalis Baronij Annalibus „ hujus libri Pontifica- „ lis Damasus auctor non est, sed potiùs è duobus diversis auctoribus „ consarcinatus esse inde probatur, quod in unoquoque ferè Pontifi- „ ce pugnantia inter se contineat. „ Hæc variorum de libri Pontificalis

Bellarmin.

Antonius Possevin.

Baronius & Binnius.

auctore judicia, quorum ultimum ex Cardinali Baronio allatum magis veritati accessit, licet & hæserit in assignandis auctoribus, ex quibus confectum fuerit, qui editis hisce antiquorum Pontificum Catalogis facilè sunt assignandi. Enimverò non ex duobus sed tribus hisce Catalogis vitas Pontificum consarcinavit Anastasius Bibliothecarius, qui ex primo Catalogo posuit Consules usque ad Liberium Papam, vitio tamen exscriptorum in plerisque mutatos: ex secundo Catalogo mutuavit acta Pontificum à Petro usque ad Felicem IV. Omittens cum secundo Catalogo Consules post Liberium, & cum eodem illos ponens in vitâ Joannis primi & Felicis IV. cuius tempore auctorem secundi Catalogi floruisse diximus. Ex tertio autem Catalogo sumpsit annos Pontificum, quos unicè ex illo vitis singulorum præposuit, ut patebit consideranti: ponit enim solos annos à tertio Catalogo memoratos, qui in referendis Pontificum annis longè differt ab alijs Catalogis. Et ex hisce, paucis mutatis & additis, Pontificale, quod sub nomine Damasi circumfertur, edidit quondam Anastasius Bibliothecarius, qui & post Felicem IV. non solos Pontificum annos cum tertio Catalogo, sed ampliora quoque ipsorum gesta produxit ad sua usque tempora, post quæ & alij eumdem Pontificalem librum prosecuti sunt, prout editus est in tomis Conciliorum Severini Binnij, Collectoris Regij, & Philippi Labbei.

Anastasius Bibliothecarius in libro Pontificali sub nomine Damasi Papæ.

Restant nunc Recentiorum opiniones, quorum ideo Chronotaxes adiecimus, quod licet antiquorum errores correxerint, & post æram Diocletiani plerumque conveniant, in primis tamen Pontificibus non rarò dissentientes inveniantur, signum manifestum, huc usque nihil certi haberi circa priscorum Pontificum Chronotaxim, ut jam sæpiùs quoque insinuavimus. Non allegamus omnium Recentiorum sententias sed præcipuorum dumtaxat, quas ad tres redigimus, quarum prior est Onuphrij Panuini, cuius sententiam inter alios secutus fuit Antonius Augustinus Tarraconensis Episcopus in Serie Chronologicâ Romanorum Pontificum ante decretum Gratiani editâ. Accedit horum Chronologia circà primos Pontifices illis, quas exhibent Catalogi tres à nobis exhibiti, idque contigit, quod circa primos Pontifices secuti sunt Consules in Catalogis memoratos, cum autem Onuphrius in successu Chronici videret Consules instituto suo obesse, cœpit paulatim in viam redire, ut observat Binnius. Secunda est Eminentissimi Cardinalis Baronij in suis Annalibus, quam secuti sunt Bellarminus, Binnius, aliique passim: habuit Baronius complura antiquitatis mo-

Chronologia Onuphrij Panuini, & Antonij Augustini, ac sequacium.

Chronologia Baronij & Bellarmini ac sequacium.

monumenta, à nemine tunc temporis edita, & quia putabat Consules à Catalogis memoratos esse vitioso & confuso ordine positos, aliunde etiam innotesceret, Seriem ab Onuphrio juxtà Catalogos antiquiores exhibitam in plura Antiquitatis monimenta impingere, tempora ex illis petita cum Consulibus negligenda duxit, aliunde confirmans eruditissimos suos Ecclesiasticæ historiæ Annales. Correxit in iis errores, quos Onuphrius ex duobus Catalogis hauserat circà Pontificatum Lini, Cleti, & Clementis, & Eusebij, Hieronymi, ac S. Prosperi Chronica secutus, Vicariatum ab antiquis excogitatum neglexit, eos sibi invicem successisse ut veros Pontifices rectæ conscribens, uti & ex alio Catalogo tempore Honorij 3. confecto, Pontificali libro aliisque emendans errores Eusebij & subsequentium Chronologorum. Tertia denique est Dionysij Petavij, quem novissimè secutus est Philippus Labbeus, cum pluribus alijs. Viderunt cum Petavio viri eruditiores. Eminentissimi Cardinalis Baronij primorum sæculorum errare Annales tam ob neglectum æræ initium, quàm ob errorem Consulum in morte Augusti & Principatu Tiberij, & æram in primis restituendam duxerunt Consulibus C. Julio Cæsare & L. Æmilio Paulo, quâ restitutione correcti sunt errores Onuphrij Panuini, & subinde mortem Augusti posuerunt duobus sextis Consulibus ærâ dumtaxat 14. unde factum est singulorum Imperatorum initia duobus annis esse citiùs auspicanda, quàm Baronius ea posuerat errans, mortem Augusti & initium Tiberij collocanda esse ærâ 16. cum autem per annos Imperatorum, præcipua Historiæ Ecclesiasticæ monimenta Baronius consignarat: patet quàm rectè Petavius & Labbeus singula facta Ecclesiastica duobus Consulum paribus ante eos, quos cum ærâ jungit Baronius, citiùs inchoarint usque ad initium Imperatoris probi, cui duos annos Imperij addiderunt, uti & Consules annis 259. & 260. à Baronio sublatos.

Chronologia recentior Dionysii Petavij & Labbei.

Adductis hisce variorum circà primos Pontifices sententijs, prævideo quidem aliquos conquærituros, ex iis nihil certi haberi in re Chronologica: at sicut æquum est, relictâ multitudine unum imitari, ubi unius sententia veritatem attingit, ita vitio verti non potest, plures referre, ubi nullius sententia indubitata existit. Patet quidem ex dictis suprà, quam inconstans sit antiquorum circa Romanos Pontifices & præcipua sub ipsis gesta, opinio, at quàm graviter ipsi Recentiores discordent circa pleraque nascentis Ecclesiæ facta Ecclesiastica, latiùs patebit ex dicendis infrà, quamvis & fateri necesse

sit

ſit, plures libentiùs noſtro tempore Chronologos accedere Euſebio & ſequacibus, quam duobus antiquioribus Catalogis ab Onuphrio & Antonio Auguſtino pleriſque in locis imitatis. Quidquid tamen ſit, quàm graves difficultates ubique remaneant, indicabunt obſervationes variæ ad marginem exhibitæ, quæ ulteriorem lucem pro veritatis indagatione ſuppeditant. Addidimus ſub Onuphrij Serie Chronologica perſecutiones & ſchiſmata, ſub Baronij & Bellarmini hæreſes & inventorum nomina, ſub Petavio & Labbeo demùm Scriptores inſigniores, quæ ſuis ferè temporibus aſſignavimus, ut parum fuſior notitia hauriretur ex Serie Chronologicâ, quàm ex ampliori aliorum, correctis tamen erroribus, hic ſubjungimus.

SERIES CHRONOLOGICA AB ÆRA TRIGESIMA-QUARTA AD NICÆNI CONCILII TEMPORA.

Continens Æram Vulgarem, Consules, Imperatores, & Pontifices juxtà variantium Sententias, ex Chronicis Eusebij, S. Hieronymi & S. Prosperi collectas, uti & ex antiquis Romanorum Pontificum Catalogis, ac Recentioribus, adjunctis Persecutionibus, Hæresibus, & Scriptoribus, cum varijs Observationibus ad plurimorum factorum tempora investiganda utilissimis.

Æra Vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Pontifices juxta Chronicon Eusebij & Hieronymi.*	*Pontifices juxta Chronicon S. Prosperi.*	*Pontifices juxta antiquiorem Catalogũ saeculi quarti.*
34.	Paulus Fabius Priscus, L. Vitellius Nepos.	Tiberij 20. & 21.			Prœmium Prioris Catalogi de anno & die mortis Christi.
35.	Cestius Gallus Camerinus, M. Servilius Rufus.	Tiberij 21. & 22.	Tiberij 22. *Pilato de Christianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad Senatum: ut inter cetera sacra reciperentur. Verum cum ex consultu Patrũ Christianos eliminari urbe placuisset, Tiberius per edictum accusatoribus Christianorum cõminatus est mortem.*		*Imperante Tiberio Cæsare passus est Dominus noster* IESUS CHRISTUS *duobus geminis Consulibus, viij. Kalendas Aprilis: & post ascensum eius Beatissimus Petrus Episcopatum suscepit. Ex quo tempore per successionem dispositum, quis Episcopus, & quot annis præfuit, vel quo Imperante.*
36.	Q. Plautius Lælianus, Sextus Papinius Gallienus.	Tiberij 22. & 23.			
37.	Cn. Acerron. Proculus, C. Pontius Nigrinus.	Tiberius obit 16. Martij, & succedit Caius Caligula.			1. S. Petrus Apostolus.
38.	C. Caligula 2. L. Aphronius Cælianus.	Caligulæ 1. & 2.			*Petrus annis viginti quinque, mense uno, dieb. novem. Fuit temporibus Tiberij Cæsaris, & Caij, & Tiberij Claudij, & Neronis a Consulatu Vinitij & Longini usque Nerva & Vestini. Passus autem cum Paulo die tertia Kalendas Iulias Consulibus supradictis, Imperante Nerone.*
39.	M. Aquilius Iulianus, P. Nonius Asprenas. Fasti Idacij præponunt hos Cõsules proximè citatis.	Caligulæ 2. & 3.	Caligulæ 2. *Matthæus in Iudæa Evangelium primus scribit.*		
*40.	Caius Caligula 3. L. Gellius Poblicola.	Caligulæ 3. & 4.	Caligulæ 3. *Pontius Pilatus in multas incidens calamitates, propria se manu interficit.*		* Si à Nervæ & Vestini Consulatu retrò enumeres annos 25. invenies quod erã 40. consequenter ad Catalogum rectè ponatur, Petrum venisse Romam. Obest tamẽ veterum sententia id assignans secundo anno Claudij.
41.	C. Caligula 4. Cn. Sentius Saturninus.	Caligula occiditur 24. Ian. & succedit Claudius Drusus			
42.	Claudius 2. C. Licinius Cæcina Largus.	Claudij 2. à Febr.	Claudij 2. * c *Petrus Apostolus cum primus Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam mittitur, ubi Evangelium prædicans 22. annis eiusdẽ urbis Episcopus perseverat.* * *Mittitur.* lege *proficiscitur.* Ita mea editio & S. Prosper.		
43.	Claudius 3. L. Vitellius Nepos 2.	Claudij 3. à Febr.			Petri 4.
44.	C. Quintius Crispinus, T. Statilius Taurus 2.	Claudij 4. à Febr.		Crispino & Tauro. *Claudius V. regnavit annis xiij. mensibus viij. diebus xxviij.*	Petri 5.
45.	M. Vinitius Quartinus, 2. M. Statilius Corvinus.	Claudij 5.			Petri 3.

Fon-

Pontifices juxtà secundum Catalogum saeculi sexti.	*Pontifices juxtà 3. Catalogum saeculi octavi nunquam anteà editum.*	*Pont. juxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices juxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices juxtà Petaviū & Labbeum.*	*Observata varia.*
S. Petri Elogium Ex altero Catalogo tempore Iustiniani Imperatoris conscripto. *Beatissimus Petrus Antiochenus, filius Ioannes Provincia Galatia, Vico Bethsaida, frater Andreae, & Princeps Apostolorum. Primum sedit Cathedram Episcopalem in Antiochiâ annis decem. Hic Petrus ingressus in urbem Romam (Tiberio) Nerone Caesare, ibique sedit Cathedram Episcopatus annos viginti quinque, menses duos, dies tres. Fuit temporibus Tiberij Caesaris & Caij & Tiberij Claudij & Neronis. Hic scripsit duas epistolas, quae Canonica nominantur & Evangelium Marci, quia Marcus auditor eius fuit, & filius eius de Baptismo. Post omnem quatuor Evangeliorum fontem, quae ad interrogationem Petri firmata sunt, dum alius Graecè, alius Hebraicè, alius Latine consonent. Hic Martyrio cum Paulo coronatur. Hic fecit ordinationes tres, Presbyteros decem, Episcopos tres, Diaconos septem, per mensem Decembrem quia & sepultus est via Aurelia in templo Apollinis, juxta Palatium Neronianum in Vaticano inter Zetarium triumphale tertio Kalendas Iulij.*	Episcoporum urbis Romae nomina. *Beatus Petrus Apostolus & Princeps Apostolorum, Antiochenus filius Ioannis, Provincia Galilea, Vico Bethsaida, frater Andreae, primùm sedit Cathedram Episcopatus in Antiochiâ annos vj. & in Romam ingressus sub Nerone Caesare ibique sedit annos xxv. menses ij. dies iv. hic scripsit duas Epistolas, quae Canonica nominantur, & Evangelium Marci, & ordinavit Episcopos III.* b*Linum & Cletum & Clementem, & Presbyteros* 8. *& Diaconos* viij.	Passionis Christi anno primo Hierosolymis persecutio, in qua S. Stephanus lapidibus obruitur.	Simō Magus primus haeresiarcha voluit donū Dei pecuniâ possideri. Posteà se Deū praedicavit. Aliosque errores seminavit vide D. Ireneum libro 1. cap. 20. & August. de haeres. cap. 1. *b An. 39. S. Petrus Antiochiae annis 7. Discipuli Simonis Magi, Menander Saturninus aliique inter quos Basilides priorum erroribus addēs, Salvatorem putativè visum hominem. Ita Ireneus libro 1. cap. 22.	Anno 37. S. Petrus Antiochiae Sub Caio Caligula Philo Iudeus publica legatione fungitur pro Iudaeis Alexandrinis.	Apollonius Romanae urbis Senator sub Cōmodo Imperatore circa annum 185. Martyrio coronatus, apud Eusebium lib. 5. cap. 18. *Tanquam ex veterū Traditione refert, Dominum Apostolis suis praecepisse, ne infrà* 12. *annos Ierosolymis discederent.* Plures id amplectuntur: quidquid tamen sit, scribit S. Lucas Actorum cap. 8. post lapidatum S. Stephanum, primam fidelium persecutionem ortam, ita *ut omnes dispersi sunt per regiones Iudaeae & Samariae praeter Apostolos.* Rationem verò cur Apostolis Ierosolymis manere concessum fuit, petit ex dictis Baronius ad an. 34. dicens: esse opus Dei, *qui Apostolis dedit implere, quod jusserat, ut inter infensissimos hostes ad* 12. *annos, ut habet Apollonij Traditio, versarentur.* *a Petrum Antiochiae Sedem suam collocasse indubitatū est apud omnes, quonam verò anno, sub judice lis est. Eum annis decem Sedem illam gubernasse irrepsit in secundum Catalogum, cuius errorem rectè corrigit tertius Catalogus attribuens annos 6. nimirum integros, cum praeter sex annos plures menses adiiciendi sint, & hinc annis septem sedisse Antiochiae tradit Anastasius Bibliothecarius in Pontificali, cui adstipulantur passim recentiores.
Assignatur in priori Catalogo initium Pontificatus Petri C. Cassio Longino & M. Vinitio Quartino, qui Consules fuère anno 30. & rationem reddit Henschenius *Quod juxtà modum procedendi in priore parte hujus Catalogi semper observatum, iidem Consules numquam repetantur.* Quia igitur aerae 29. adscripserant Pontificis Pontificum mortem	Si sub Claudio Nerone Romā ingressus sit Petrus & Romanam Sedem annis 25. tenuit, hic ponendum est initium Pontificatus Petri. Petri 3.	*Petrus Apostolus coepit Romae anno Christi* 44.	Iuxtà Bellarminum Petrus sedere coepit Romae anno 44. Iuxtà Baroniū ann. 45.	*c Petrus sedem Romanā instituit an. 43. Petri 2. Petri 3.	*c Petrum 2. Claudij anno, qui duravit usque ad Februariū anni Æra

Æra Vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Pontifices iuxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.*	*Pontifices iuxtà Chronicon S. Prosperi.*	*Pontifices iuxtà antiquiorem Catalogum sæculi quarti.*
46.	C. Valerius Asiaticus, M. Iunius Silanus.	Claudij 6.	Petri 4.	Asiatico & Silano. *Petrus Apostolus, cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset Romam proficiscitur, ubi Evangelium prædicans 25. annis eiusdem urbis Episcopus perseverat.*	Petri 7.
47.	Claudius 4. L. Vitellius Nepos 3.	Claudij 7.	Petri 5.		Petri 8.
48.	A. Vitellius Nepos, Vipsanius Poblicola.	Claudij 8.	Petri 6.		Petri 9.
49.	C. Pompeius Longinus Gallus, Q. Verånius Lætus.	Claudij 9.	Petri 7.	Petri 4.	Petri 10.
50.	C. Antistius Vetus, M. Statilius Rufus.	Claudij 10.	Petri 8.	Petri 5.	Petri 11.
51.	Claudius 5. Ser. Cor. Scipio Orfitus.	Claudij 11.	Petri 9.	Petri 6.	Petri 12.
52.	P. Cornel. Sylla Faustus, L. Salvius Otho Titianus.	Claudij 12.	Petri 10.	Petri 7.	Petri 13.
53.	D. Iunius Silanus Torquatus, Q. Haterius Antoninus.	Claudij 13.	Petri 11.	Petri 8.	Petri 14.
54.	Q. Asinius Marcellus, Manius Acilius Aviola.	Claudius veneno occumbit 13. Octobris cum imperasset an. 13. mens. 8. diebus 20. & succedit Nero.	Petri 12.	Petri 9.	Petri 15.
55.	Nero Augustus, L. Antistius Vetus.		Petri 13.	Petri 10.	Petri 16.
56.	Q. Volusius Saturninus, P. Corn. Scipio.	Neronis 2. & 3.	Petri 14.	Petri 11.	2. S. Linus. *D *Linus annis duodecim, mensibus quatuor, diebus decem, fuit temporibus Neronis à Consulatu Saturnini & Scipionis usque Capitone & Rufo.*
57.	Nero 2. L. Calpurnius Piso.	Neronis 3. & 4.	Petri 15.	Petri 12.	
58.	Nero 3. M. Valerius Messala. Fasti Idacij hic ponunt mortē Petri & Pauli.	Neronis 4. & 5.	Petri 16.	Petri 13.	Petri 19. & Vicariatus Lini 3.

Pon-

Pontifices juxtà secundum Catalogum sæculi sexti.	*Pontifices juxtà 3. Catalogum sæculi octavi nunquam anteà editum.*	*Pont. juxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices juxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices juxtà Petaviũ & Labbeum.*	*Observata varia.*
(see text below)	Petri 4.	Petri 3.	Petri juxtà Bellarm. 3. & Bar. 2.	Petri 4.	(see text below)
	Petri 5.	Petri 4.	Petri Bell. 4. Bar. 3.	Petri. 5.	
	Petri 6.	Petri 5.	Petri 5. 4.	Petri 6.	
	Petri 7.	Petri 6.	Petri 6. 5.	Petri 7.	
	Petri 8.	Petri 7.	Petri 7. 6.	Petri 8.	
	Petri 9.	Petri 8.	Petri 8. 7.	Petri 9.	
	Petri 10.	Petri 9.	Petri 9. 8.	Petri 10.	
	Petri 11.	Petri 10.	Petri 10. 9.	Petri 11.	
	Petri 12.	Petri 11.	Petri 11. 10.	Petri 12.	
		Petri 12.	Petri 12. 11.	Petri 13.	
		Petri 13.	Petri 13. 12.	Petri 14.	
		Petri 14. *Linus vivo Petro anno* 57.	Petri 14. 13.	Petri 15. Seneca his temporibus floret.	
		Petri 15. Lini 2.	Petri 15. 14.	Petri 16.	

tem, Consulibus sequentis anni assignat initium Successoris Petri, quem Christo immediatè successisse ætà 29. tenet Henschenius, & addit ætà 33. egisse cum Paulo Hierosolymam, & eodem quoque anno collocasse Sedem Antiochiæ. Cumque ibi sedisset annos 7. Romam adiisse, ibique collocasse Sedem anno 40 & post annos 25. Episcopatus obiisse ætà 65. die 29. Iunij præsente tunc Romæ Nerone Atque hoc modo potuit *Petrus tenuisse Cathedram in Oriente annis quatuor, Antiochia septem, ac Roma* 25. ut habet & ex M. S. Masarinieo Henschenius in notis ad priorem Catalogum.

*D *Linus natione Italus Regionis Tuscia, patre Erculano, sedit an. undecim, menses tres, dies duodecim. Fuit autem temporibus Neronis à Consulatu Saturnini & Scipionis, usque Capitone & Rufo Consulibus, Martyrio coronatus. Hic ex præcepto B. Petri constituit, ut mulier in Ecclesiam velato capite introiret, qui & sepultus est juxtà corpus B. Petri in Vaticano.*

*D Cum Linus & Cletus juxtà Catalogum à Petro ordinati sunt Episcopi, aut Vicarij, hic ponẽda eorum ordinatio. De iis Catalogus. *Linus natione Italus Regionis Tuscia Patre Herculano, sedit annos xj. menses iij. dies xj. Ordinavit Episcopos xv. Presbyteres xviij.*

Cletus natione Romanus de Regione Vicepatricij, Patre Æ

43. venisse Romam claré habet Eusebius in Chronico, & consentit D. Hieronymus libro de Scriptoribus in Petro: *Secundo Claudij anno ad expugnandũ Simonẽ Magum Romam pergit, ibique 25. annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum annum Neronis, id est 14.* Idem planè Ado Viennensis in Chronico, & Hugo Flaviacensis, seu Chronicon Virdunense. Quibus consonant Orosius lib. 7. & Eutropius lib. 8. scribentes, in exordio Regni Claudij Petrum venisse Romam. Coincidunt Isidorus in vità Petri, Pontificale Damasi, aliique passim id ita unanimiter testantes, ut Onuphrius Panuinus scribat in notis ad Platinam: *Inter omnes auctores convenit, secundo Imperij Claudij anno ex Agrippa vinculis divinitus liberatus Romam venit.* Et Christianus Lupus in cap. 20. Tertulliani de Præscriptionibus: *Attestatur etiam Constantissima omnium Ecclesiarum Traditio, quæ affirmat S. Petrum 44. aut 45. Christi Domini anno abiisse Antiochiâ Romam, & hoc illi fuisse Romani Episcopatus exordium.* 44. aut 45. inquit Lupus, respiciens ad Onuphrij & Baronij sententias, quæ reducendæ sunt ad æram 43.

*D Non modò Linum sed & ipsummet Cletum vivente Petro Romæ fuisse Vicarios claré indicat tertius Catalogus ubi de Cleto

Æra Vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Pontifices iuxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.*	*Pontifices iuxtà Chronicon S. Prosperi.*	*Pontifices iuxtà antiquiorem Catalogum saeculi quarti.*
59.	C. Vipsanius Apronianus Poblicola, C. Fonteius Capito.	Neronis 5. & 6.	Petri 17.	Petri 14.	Petri 20. & Vicariatus Lini 4.
60.	Nero 4. Cossus Corn. Lentulus.	Neronis 6. & 7.	Petri 18.	Petri 15.	Petri 21. & Vicariatus Lini 5.
61.	C. Cæsonius Pętus, C. Petronius Talernus Turpilianus.	*e Neronis 7. & 8.	Petri 19.	Petri 16.	Petri 22. & Vicariatus Lini 6.
62.	P. Marius Celsus, L. Asernius Gallus. Fasti Idacij: *His Consulibus Iudæa capta est.*	Neronis 8. & 9.	Petri 20. 8. Neronis anno *Iacobus frater Domini, quem omnes iustum appellant à Iudæis lapidibus opprimitur.*	Petri 17.	Petri 23. & Vicariatus Lini 7.
63.	L. seu C. Memmius Regulus, P. seu L. Virginius Rufus.	Neronis 9. & 10.	Petri 21.	Petri 18.	Petri 24. & Vicariatus Lini 8.
64.	C. Lecanius, seu Q. Licinius Bassus, M. Licinius Crassus Frugi.	Neronis 10. & 11.	*f Petri 22. 10. Neronis. *Nero ut similitudinem Troiæ ardentis inspiceret, plurimam partem Romanæ urbis incendit.*	Petri 19.	Petri 25. & Vicariatus Lini 9.
65.	P. Silius Nerva, C. Iulius Atticus Vestinus.	Neronis 11. & 12. Epiphanius hęr 26. cap. 6. *Petri & Pauli mors in 12. Neronis annum incurrit.*		Petri 20.	Mors Petri & Pauli 3. Kal. Iul. Nervâ & Vestino Consulibus. Lini Pontificatus 1.
66.	C. Suetonius Paulinus, L. Pontius Telesinus.	Neronis 12. & 13.	Petri 24.	Petri 21.	Lini Pontificatus 1. & 2.
67.	L. Fonteius Capito, C. Iulius Rufus.	Neronis 13. & 14.	14. Neronis. *Primus Nero super omnia scelera sua etiam persecutionem in Christianos facit, in qua Petrus & Paulus gloriosè Romæ occubuerunt. Post Petrum primus Romanam Ecclesiam tenuit Linus annis xj.* Quia vero ponitur ab Eusebio ad an. 14. in ann. 68. hæc reiicienda sunt.	Petri 22.	Hic ponitur à Catalogo mors Lini postquã sedisset à Morte Petri annos 2 menses 2. dies 6. & pergit: III. S. Clemens. *Clemens annis novem, mensibus undecim, diebus duodecim, fuit temporibus Galbæ & Vespasiani, a Consulatu Trachali & Italici usque Vespasiano vij & Tito.*
68.	C. Silius Italicus, M. Galerius Turpilianus seu Trachalus. Fasti Idacij: *His Consulibus Nero non comparuit.*	Nero de Gręcia reveniens, *Neapoli de motu Galliarum cognovit*, inquit Sueton. & *Consules ante tempus privavit honore... Nuntiata cæterorum exercituum defectione*, & percepto se hostem à Senatu iudicatũ, ferrũ iugulo adegit 10. Iunij, & succedit Galba.		Petri 23.	

Pon-

Pontifices juxtà secundum Catalogum seculi sexti.	*Pontifices juxtà 3. Catalogum seculi octavi nunquam anteà editum.*	*Pont. juxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices juxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices juxtà Petaviū & Labbeum.*	*Observata varia.*
Notat Henschenius priores Consules, quibus juxtà utrumque Catalogum cœpit Linus, incidere in Episcopatum Petri, ut fuerit Vicarius ab anno 56. ad an. 65. quo Petrus obiit 29. Iunij, & à quo anno verè Pontifex esse cœperit Linus usque ad annum 67. quo obiit 23 Septembris Cō sulibus in Catalogis citatis. Quos etiam citare consueverunt, Anastasius, Luitprandus, M. SS gesta Pontificum auctore Zeno Patavino, & antiqua Romanæ Ecclesiæ Breviaria manuscripta & excusa anno 1479. 1490. 1522. & 1524.	*militano sedit an. xij. mens. j. dies xj. Hic ex Beati Petri precepto xxv. Presbyteros ordinavit in Roma.*	Petri 16. Lini 3.	Petri 16. 15.	Petri 17.	scribit ex B. Petri præcepto ordinasse xxv. presbyteros. Illud quid est, an hoc subsistit: nam quidquid auctor hujus Catalogi statuit de Vicariatu Cleti & Lini, provenit ex eo, quod putet Cletum, Linum & Clementem à Petro ordinatos Episcopos, qui vel ab eo ordinati non sunt, ut probatur parte 2. Dissert. 3. cap. 2. vel pro alijs civitatibus quam Romana ordinati sunt, ut ulterius probari posset.
	Petri 18. Lini & Cleti 6.	Petri 17. Lini 4.	Petri 17. 16.	Petri 18.	
	Petri 19. Lini & Cleti 7.	Petri 18. Lini 5.	Petri 18. 17.	Petri 19.	
	Petri 20. Lini & Cleti 8.	Petri 19. Lini 6.	Petri 19. 18.	Petri 20.	
	Petri 21. Lini & Cleti 5.	Petri 20. Lini 7.	Petri 20. 19.	Petri 21.	* z Teste Hieronymo de Scriptorib. Iacobus *triginta annos Hierosolymis rexit Ecclesiam, id est usque ad septimum Neronis annum.*
	Petri 22. Lini & Cleti 10.	Petri 21. Lini 8.	Petri 21. 20.	Petri 22.	* r Habet Baronius in notis ad 24. Iunij de urbis Romanæ incensione per Neronem, quod cœpta sit 13. Kal. sextilis, sexque diebus duravit Basso ac Frugi Consulibus. qui annus *a recentioribus numeratur à Christo* 65. Quinimò 64. a Petavio & Labbeo ac communi aliorum. Anno itaque 65. qui est secundus Persecutionis, Petrum & Paulum mortuos exinde probat Hēschenius, quod teste Xiphilino in Dionis epitome Nero in Græciam abierit *Consulatu C. Suetonij & L. Telesini*, iterū nimirum 66 neque redierit nisi ad instantiā Helij præfecti urbis, cumque Neapolim adveniens 21. Martij audiret Galliarum defectionē, submotis Consulibus Silio Italico &
Mortem Apostolorum in persecutione ex incensione urbis ortā huic anno vindicat Henschenius, quod præsente Nerone uccubuerint Romæ 3. Kal. Iulij, Nero autem illo die Romæ non fuerit sequentibus annis. Vide notas in margine.	Petri 23. Lini & Cleti 11.	Petri 22. Lini 9. Neronis persecutio hoc an. fideles exagitat. Crudelia tormenta enarrat Sulpitius Severus lib 2 cap. 41.	Petri 22. 21.	Petri 23. Seneca Biennio ante mortem Petri & Pauli *à Nerone interfectus est.* Iis Hieron.	
	Petri 24. Linus obit. Cleti 12.		Petri 23. 22.		
	Petri 25. Cletus obit.		Petri 24. 23.	Petri 25. *Anno Christi 67. Neronis exeunte 13. Petrus inversis vestigijs Cruci suffixus est, & Paulus ead. die gladio truncatus est.* Ita Petav,	
Clemens natione Romanus de Regione Cælio-Monte, ex Patre Faustino, sedit annos novem, menses duos, dies decem. Fuit temporibus Galba & Vespasiani, a Consulatu Trachali & Italici, usque Vespasiano vij. & Tito.... Hic fecit septem regiones dividi notarijs fidelibus Ecclesia, qui gesta Martyrum sollicite & curiosè unusquisque per Regionem suam diligenter perquirerēt, & fecit duas epistolas. Hic fecit ordinationes tres, Presbyteros	*G S Petrus obit 3. kalend. Iulij & ante obitū ordinat Clementē de quo Catalogus: *Clemens natione Romanus de regione Cælio-Monte, ex Patre Faustino sedit annos ix. menses ij. dies x. hic ordinavit Episcopos xv. Presbyteros x. Diaconos ij.*	Clemens *à die 3. Kal Iul. anni eiusdem 68. usque ad an. 77. diē 9 Kal. Decēb*	Petri 25. 24.		

Æra

Æra Vulgaris.	Consules.	Imperatores.	Pontifices juxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.	Pontifices juxtà Chronicon S. Prosperi.	Pontifices juxtà antiquiorem Catalogum sæculi quarti.
69.	Galba Augustus, T. Vinius Rufinus.	Galba occiditur 16 Ianuar. & post ipsum hoc anno occiso Othone & Vitellio, Vespasianus succedit à Kal. Iulij.	Lini 1. & 2. Hoc anno *Antiochiæ secundus Episcopus ordinatur Ignatius.*	Petri 24.	Clementis 2. & 3.
70.	Vespasianus 2. Titus Cæsar.	Vespasiani 1. & 2. anno 2. Vespasiani Hierosolymā destructā esse scribit Iosephus lib. 6 cap. 47.	Lini 2. & 3. 2 Vespasiani. *H *Titus Iudæâ captâ & Hierosolymis subversis &c.*	Petri 25.	Clementis 3. & 4.
71.	Vespasianus 3. M. Cocceius Nerva.	Vespasiani 2. & 3.	Lini 3. & 4.	Vespasiano 3. & Nerva. *Prima persecutio primus Nero super omnia scelera sua etiam persecutionem in Christianos facit, in qua Petrus & Paulus Apostoli gloriose Romæ occubuerunt.*	Clementis 4. & 5.
72.	Vespasianus 4. Titus Cæsar 2.	Vespasiani 3. & 4.	Lini 4. & 5.		Clementis 5. & 6.
73.	Domitianus 2. M. Valerius Messalinus.	Vespasiani 4. & 5.	Lini 5. & 6.		Clementis 6. & 7.
74.	Vespasianus 5. Titus 3.	Vespasiani 5. & 6.	Lini 6. & 7.	*Post Petrum primus Romanam Ecclesiam tenuit Linus, annis xij. sive xiij.*	Clementis 7. & 8.
75.	Vespasianus 6. Titus 4.	Vespasiani 6. & 7.	Lini 7. & 8. Vespasiani 6. *Achaia, Lycia, Rhodus, Bizantiū, Samus, Thracia, Sicilia, Comagene, in Provincias redacta.*		Clementis 8. & 9.
76.	Vespasianus 7. Titus 5.	Vespasiani 7. & 8.		Vespasiano 6. & Tito 5. *Iudæa capta.*	Si fides danda Catalogo, his Consulibus finiit Pontificatū Clemens, quem tamen anno sequenti cessisse Pontificatu, ponit Henschenius, pergit verò Catalogus. iv. S. Cletus. *Cletus annis sex, mensibus duobus, diebus septem: fuit temporibus Vespasiani & Titi, & initio Domitiani a Consulibus Vespasiano viij. & Domitiano vj. usque Domitiano nono & Rufo.*
77.	Vespasianus 8. Titus 6.	Vespasiani 8. & 9.		Lini 6. & 7.	
78.	L. Ceionius Commodus Verus, C. Cornelius Priscus.	Vespasiani 9. & 10.	Lini 10. & 11.	Lini 7. & 8.	
79.	Vespasianus 9. Titus 7.	Moritur Vespasianus 24. Iunij & succedit Titus.	Lini 11. & 12.	Lini 8. & 9.	
80.	Titus 8. Domitianus 7.	Titi 1. & 2.	Titi 2. *Romanæ Ecclesiæ 2. constituitur Episcopus Anacletus an. xij.*	Lini 9. & 10.	
81.	M. Plautius Sylvanus, M Annius Verus pollio.	Titus moritur 13. Septemb. & succedit Domitianus.		Lini 10. & 11.	Cleti 5. & 6.
82.	Domitianus 8. T. Flavius Sabinus.	Domitiani 1. & 2.	Anacleti 3.	Lini 11. & 12.	Cleti 6. & 7.

Pon-

Pontifices iuxtà secundum Catalogum sæculi sexti.	*Pontifices iuxtà 3. Catalogum sæculi octavi nunquam anteà editum.*	*Pont. iuxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices iuxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices iuxtà Petaviū & Labbeum.*	*Observata varia.*
byteros decem, Diaconos duos Episcopos per diversa loca quinque, per mensem Decembrim. Obiit Martyr tertio Traiani, qui sepultus est in Græcia viij. Kalendas Decembris.	Clementis 2.	Clem. 2,	Anno 69. juxtà Baroniū & Bellarminum mors Petri & succedit	Lini 2.& 3.	Galerio Turpiliano se ipsum Consulem creasse, hac quasi ration Gallias debellaturū; at contrà successit, ideoque se eodem ann. 10. Iunij occidit.
Notat Henschenius Clementem sedisse ab ann. 67. post obitum Lini, usque ad annum 77. at in anni 76. Consulibus si	Clementis 3.	Clem. 3.	eodem an. S. Linus.	Lini 3 &4.	*G Eusebij Chronico accedit Hieronymus in Paulo : *Hic ergo decimo quarto Neronis anno eodē die quo Petrus Romæ pro Christo capite truncatus*
stit prior Catalogus & hic secundus, unde nos ibidem posuimus, juxtà fidem horum Catalogorum	Clementis 4.	Clem. 4.	Lini 2.& 3.	Lini 4.& 5	*sepultusque est anno post Passionem* 37. Conlonai Flavij Dextri Chronicon : an. Christi 68.
cessisse tunc Pontificatu.	Clementis 5.	Clem. 5.	Lini 3.& 4 Paulò pôst excidium	Lini 5.& 6 Sub Vespasiano floret Quintius Curtius.	At obest huic tempori mors Neronis, quæ contigit anno 68. 10. Iunij,
	Clementis 6.	Clem. 6.	Hierosolymitanū teste Epiphanio viguit		cum 29. Iunij Petrum & Paulum sub Nerone occisos, conveniat inter omnes :
	Clementis 7.	Clem. 7.	Ebion, qui Christum purū ho-	Lini 7.& 8	Itaque vel mors Apostolorū incidit in ann. 67. Nerone absente, ut
	Clementis 8.	Clem. 8.	minē docuit ex semine Iose-	Lini 8.& 9.	probari posset, vel incidit in aliquē ex annis præcedentibus, jux-
Cletus natione Romanus de Regione Vico Patricij,	Clemens obit.	Clem. 9.	phi natū, ita Eusebius lib. 3. c.	Lini 9. & 10.	tà quod non male ab Henschenio ponitur æra 65. à qua si subdu-
Patre Æmiliano, sedit annos duodecim. Fuit autem temporibus Vespasiani & Titi & Domitiani, à Consulatu Vespasiani viij. *& Domitiani* vj.	*Anacletus natione Græcus de Athenis ex Patre Antiocho sedit an.* xiv. *menses* ij *dies* x.	Cletus an. 77.	21. legalia quoq; servavit Iren. lib. 1. c. 26.	Lini 10. & 11.	cas 37. annos Petri post Passionem Christi requisitos à Hieronymo, Chrysol. Hono-
usque Domitiano ix. *& Rufo Consulibus Martyrio coronatus.*	*hic ordinavit Episcopos* vj. *Presbyt.* v. *Diacon.* iij.	Cleti 1. & 2.	Lin. 9& 10 Cerinthus cum Ebione Christū	Cletus an. 78.	rio, Isidoro, Beda, Rabano, &c. manebit æra 29. mors Christi. *H Secundo anni Ves-
Hic ex præcepto B. Petri vigintiquinque Presbyteros ordinavit in urbe Roma mense Decembri, qui etiam sepultus est juxta Corpus B. Petri	Anacleti 3.	Cleti 2. & 3.	Deum negat & alia fingit.	Cleti 1, & 2.	pasiani Iudæam captā sentiunt ferè omnes. Scribit Petavius lib. 12. de Doct. Temp. cap. 12.
in Vaticano, vj. *Kalendas Maias.* Notat Henschenius Cletum	Anacleti 4.	Cleti 3. & 4.	Iuxtà Bar. obit Linus & succedit Cletus.	Clet 2.& 3 Plinius senior Titi ann. 2. Vesuvij mōtis incendio consumitur.	Clementem Alexand. Originem aliosq; numerare annos 42. à passione : unde juxtà
cœpisse Pontificatum anno 77. & Martyrem obiisse anno 83.	Anacleti 5.	Cleti 4.& 5	Hic juxtà Bellarmin. obit Linus an 81.		illos Christus mortuus fuisset anno 28. aut 29 Eusebius in chronico ab anno 15. Tiberij & ab exordio prædica-
	Anacleti 6.	Cleti 5. & 6.	Cleti juxtà Baron. 3. Bellar. 2,	Cleti 4. & 5.	tionis numerat annos 43. unde Christi Passio contigisset anno 31. at Hie-

Æra Vulgaris.	Consules.	Imperatores.	Pontifices iuxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.	Pontifices iuxtà Chronicon S. Prosperi.	Pontifices iuxtà antiquorum Catalogum seculi quarti.
83.	Domitianus 9. T. Virginius Rufus 2.	Domitiani 2. & 3.	Anacleti 4.	Lini 12. & 13.	His Consulibus ponit mortem Cleti Catalogus, & pergit. V. S. Anacletus. *Anacletus annis duodecim, mensibus decem, diebus tribus. Fuit temporibus Domitiani, à Consulibus Domitiano x. & Sabino, usque Domitiano XVII. & Clemente.*
84.	Domitianus 10. Appius Iunius Sabinus.	Domitiani 3. & 4	Anacleti 5. Domit. 4. *Secundus Alexandrinæ Ecclesiæ constituitur Episcopus Abilius, qui præfuit annis 13.*	Lini 13. & 14.	
85.	Domitianus 11. Titus Aurelius Fulvus.	Domitiani 4. & 5.		Lini 14. & 15.	
86.	Domitianus 12. Ser. Cornelius Dolabella.	Domitiani 5. & 6.	Anacleti 7.	Domitiano v. & Dolabella. *Romanæ Ecclesiæ 2. constituitur Episcopus Cletus annis xij.*	Anacleti 3. & 4.
87.	Domitianus 13. A. Volusius Saturninus.	Domitiani 6. & 7.	Anacleti 8.		Anacleti 4. & 5.
88.	Domitianus 14. L. Minutius Rufus	Domitiani 7. & 8.	Anacleti 9.	Cleti 3.	Anacleti 5. & 6.
89.	T. Aurelius Fulvus 2. A. Sempronius Atratinus.	Domitiani 8. & 9.	Anacleti 10.	Cleti 4.	Anacleti 6. & 7.
90.	Domitianus 15. M. Cocceius Nerva 2.	Domitiani 9. & 10.	Anacleti 11.	Cleti 5.	Anacleti 7. & 8.
91.	M. Vlpius Traianus Crinitus, M. Acilius Glabrio.	Domitiani 10. & 11.	Anacleti 12.	Cleti 6.	Anacleti 8. & 9.
92.	Domitianus 16. A. Volusius Saturninus 2.	* L Domitiani 11. & 12.	12. Domitiani. *Tertius Romanæ Ecclesiæ Episcopus præfuit Clemēs annis nouem.*	Cleti 7.	Anacleti 9. & 10.
93.	Sext. Pōpeius Collega, Cornelius priscus.	Domitiani 12. & 13.	Clementis 2.	Cleti 8.	Anacleti 10. & 11.
94.	L. Nonius Asprenas. Torquatus, M. Arricinius Clemens.	Domitiani 13. & 14.	Clementis 3. Domitiani 13. *Flavius Iosephus vicesimum librum antiquitatū hocce tempore scribit.*	Cleti 9.	Anacleti 11. & 12.
95.	Domitianus 17. T. Flavius Clemēs.	* M Domitiani 14. & 15.	Clementis 4. Domitiani 14. *Secundus post Neronem Domitianus Christianos persequitur.*	Cleti 10.	His Consulibus ponitur mors Anacleti à Catalogo, qui pergit. VI. S. Evaristus. *Evaristus annis tredecim mensibus septem. Fuit tem-*

Pon-

Pontifices juxtà secundum Catalogum sæculi sexti.

**k *Anacletus natione Græcus de Athenis ex Patre Antiocho, sedit an. duodecim, menses decem, dies tres. Fuit autem temporibus Domitiani, à Consulatu Domitiani x. & Sabini, usque Domitiano xvij. & Clemente Consulibus. Hic memoriam B. Petri construxit, & compositus dum Presbyter factus fuisset a B. Petro, ubi Episcopi reconderentur: ubi tandem & ipse sepultus est. Hic fecit ordinationes duas, Presbyteros quinque, Diaconos tres, Episcopos per diversa loca septem: & cessavit Episcopatus dies quindecim.*

*x Ponit Henschenius sedisse Anacletum juxta Consules in Catalogis memoratos ab anno 48 ad an. 95. quo *Anacletus mortuus est xiij. Iuly. cum scilicet sedisset annos xij. menses non decem, sed duos prout apud Anastasium, Luitprandum, in M. SS. gestis Pontificum, & citatis Breviariys legitur.*

Evaristus natione Græcus, ex Patre Iudæo de Civitate Bethlem, sedit annos novem, menses decem, dies duos. Fuit autem temporibus Domitiani, &

Pontifices iuxtà 3. Catalogum sæculi octavi nunquam anteà editum.	*Pont. iuxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices iuxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices iuxta Petaviū & Labbeum.*
Anacleti 7.	Cleti 6. & 7.	Cleti Bar. 4. Bel. 3.	Cleti 5. & 6.
Anacleti 8.	Anacletus anno 84.	Cleti Bar. 5. Bel. 4.	Cleti 6. & 7.
Anacleti 9.	Anacl. 2.	Cleti Bar. 6. Bel. 5.	Cleti 7. & 8.
Anacleti 10.	Anacl. 3.	Cleti Bar. 7. Bel. 6.	Cleti 8. & 9.
Anacleti 11.	Anacl. 4.	Cleti Bar. 8. Bel. 7.	Cleti 9. & 10.
Anacleti 12.	Anacl. 5.	Cleti Bar. 9. Bel. 8.	Cleti 10. & 11.
Anacleti 13.	Anacl. 6.	Cleti Bar. 10. Bel. 9.	Cleti 11. & 12.
Anacleti 14.	Anacl. 7.	Cleti Bar. 11. Bel. 10.	Cleti 12. & 13.
Evaristus natione Græcus ex Patre Iudæo nomine Iuda de Civitate Bethlehem, sedit an. ix. mens. x. dies ii. hic ordinavit Episc. v. Presbyt. vj. Diac. ij.	Anacl. 8.	Cleti Bar. 12. Bel. 11.	Cletus obiit 27. Aprilis & succedit Clemens.
	Anacl. 9.	Cleti Bar. 13. Bel. 12.	Clem. 1. & 2.
Evaristi 3.	Anacl. 10.	Clemens juxta Bar. & Bel. hoc anno 93.	Clem. 2. & 3.
Evaristi 4.	Anacl. 11. persecutio sub Domitiano, de qua Sulpit. ca. 45. lib. 2.	Clemens 2.	Clem. 3. & 4. Flavus Iosephus absolvit anno 13. Domitiani 20. librum antiquitatum.
Evaristi 5.		Clem. 3. Nicolaitæ paulo post Cerinthiani teste Eusebio uxores	

Observata varia.

Hieronymus in cap 6. Danielis: *Regni Persarum 230 supputantur anni. & Macedonum trecenti, & post illos usque ad Nativitatem Domini anni 30 hoc est ab initio Cyri Persarum usque ad Adventū Salvatoris anni 560.* & infrà: *juxtà diligentissimam supputationem a primo anno Cyri usque ad eversionem tēpli supputantur anni sexcenti triginta.* Hincque deducit Labbeus, juxtà diligētissimam supputationem à Nativitate Christi ad excidiū Ierosolymitanum intercessisse annos 70. ex quo suam Chronologiam confirmat,

*i Clementem Papā cessisse pontificatu nō tam probatur quam ad defendendum Catalogum asseritur, quid ea de re sentiendum sit latius pertractatur parte 2. dissert. 3 cap. 2.

* κ Notandum pro Chronologia, quam ex Consulibus à Catalogo 1. memoratis stabilire conatur Henschenius, quod Imperatores & Consules in duobus Catalogis memorati, etiam habeantur apud Anastasium Bibliothecarium, Luitprandum, Iacobum Zenum in M. S. Gestis Pontificum, uti & in antiquis Breviarijs Romanis manuscriptis & excusis an. 1479. & 1490. alijsque. Hocque semel notasse sufficiat.

* L Scribunt plures, missum à S. Clemente in Gallias Dionysium Areopagitam & movente hoc anno persecutionē Domitiano, in eadem occubuisse, de quo

Æra Vulgaris.	Consules.	Imperatores.	Pontifices iuxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.	Pontifices iuxtà Chronicon S. Prosperi.	Pontifices iuxtà antiquorum Catalogum saeculi quarti.
96.	C. Fulvius Valens, C. Antistius Vetus. Fasti Idatij: *Valente & Vetere. His Consulibus excessit Domitianus in Palatio Romæ.*	Domitianus *occisus est 14. Kal. Octob. anno ætatis 54. Imperij 15.* ita Suetonius & alij. Succedit M. Cocceius Nerva.	Clemens 5. Domit. 16. *Domitianus occisus in Palatio.*	Cleti 11.	*poribus novissimis Domitiani & Nervæ & Traiani, à Consulatu Valentis & Veri usque Gallo & Bradua.*
97.	Nerva 3. T. Virginius Rufus 3. Et Morienti Rufo substituitur Cornelius Tacitus historicus.	Nervæ 1. & 2.	Clementis 6.	Cleti 12.	Evaristi 2. & 3.
98.	Nerva 4 Traianus 2.	Moritur Nerva 27. Ianuarij, & succedit Traianus.	Clementis 7.	Nerva 3. & Traiano 3. *Romæ III. Ecclesiæ præfuit Episcopus Clemens annis IX.*	Evaristi 3. & 4.
99.	C. Sosius Severio 2. Antonius Cornelius palma.	Trajani 2. à 27. Ianuar.	Anno 2. Traiani ponitur obiisse Clemẽs in Chronico.		Evaristi 4. & 5.
100.	Traianus 3. M. Cornelius Fronto 3.	Traiani 3. à 27. Ianuarij.	*N An. 3. Traiani obiisse Clementem, habet Eusebius in historia, unde *Romanum Episcopatum 4 suscepit Evaristus an. 9.*	Clementis 3. Traiano 4. & Frontone *Secunda persecutio. Secundus post Neronem Domitianus Christianos persequitur.*	Evaristi 5. & 6.
101.	Traianus 4. Sext. Articuleius pætus.	Traiani 4.			Evaristi 6. & 7.
102.	C. Sosius Severio 2. L. Sicinnius Sura 2.	Traiani 5.	Evaristi 2.	Clementis 5.	Evaristi 7. & 8.
103.	Traianus 5. L. Appius Maximus 2.	Traiani 6.	Evaristi 3.	Clementis 6.	Evaristi 8. & 9.
104.	Suranus 2. L. Neratius Marcellus.	Traiani 7.	Evaristi 4.	Clementis 7.	Evaristi 9. & 10.
105.	Iulius Candidus 2. A. Iulius Quadratus 2.	Traiani 8.	Evaristi 5.	Clementis 8.	Evaristi 10. & 11.
106.	L. Ceionius Commodus Verus, L. Tutius Cerealis.	Traiani 9.	Evaristi 6.	*Commodo & Cereali Romanæ Ecclesiæ iv. Episcopus præest Evaristus annis IX.*	Evaristi 11. & 12.
107.	L. Licinius Sura 3. C. Sosius Severio 4.	Traiani 10.	Evaristi 7. Traiani persecutio.		Evaristi 12. & 13.
108.	Appius Annius Trebonius Gallus, M. Atilius Bradua.	Traiani 11. *o	Evaristi 8. Traiani 11. *Ignatius quoque*	Evaristi 3.	Evaristi 13. & 14. obiit. vii. S. Alexander. *Alexander annis octo,* *Pone*

Pontifices iuxtà secundum Catalogum sæculi sexti.	*Pontifices iuxtà 3. Catalogum sæculi octavi nunquam anteà editum.*	*Pont. iuxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices iuxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices iuxtà Petaviũ & Labbeum.*	*Observata varia.*
& Nerva, & Traiani à Consulatu Valentis & Veteris, usque Gallo & Bradua Consulibus. Hic titulos in urbe Roma divisit Presbyteris & septem Diaconos ordinavit, qui custodirent Episcopum prædicantem pro-	Evaristi 6.	Anaclet. obiit & succedit Evaristus anno 96.	cõmunes habebant, contra eos scribit Ioannes in Apocalipsi ita Ireneus lib. 1. cap. 27.	Clem. 5. & 6. Florent Ignatius Martyr. & Dionysius Areopagita.	quo latiùs parte 2. & infrà. *M Scribit D. Hieronymus libro de Viris Illustribus in Ioanne: *Quartodecimo anno secundã post Neronem persecutionem movente Domitiano in Patmos insulam relegatus,*
pter stylum veritatis. Hic fecit ordinationes quatuor, Presbyteros septemdecim, Diaconos novem, Episcopos per diversa loca quindecim. Qui & sepultus est iuxtà corpus B. Petri in Vaticano	Evaristi 7.	Evar. 2.		Clem. 6. & 7.	*scripsit Apocalypsim, quam interpretatur Iustinus Martyr, & Ireneus. Interfecto autem Domitiano, & Actis eius ob nimiam cru-*
vj. Kalendas Novembris & cessavit Episcopatus dies novemdecim. Notat Henschenius sedisse Evaristum ab anno	Evaristi 8.	Evar. 3.	Clem. 5. & 6.	Clem. 7. & 8. Tacitus componit libros Historiarum.	*delitatem à Senatu rescissis sub Pertinace Principe redit Ephesum ibique usque ad Traianum Prin-*
95. ad annum 109. circà finem Februarij, sicque annos tredecim, menses	Evaristi 9.	Evar. 4.	Clem. 6. & 7.		*cipem perseverans totas Asiæ fundavit, rexitque Ecclesias, & confectus senio 68. post Passionẽ Do-*
septem, dies duos in primo Catalogo & antiquis Breviarijs signatos optimè cohærere.	Evaristi 10. & obiit circa finem anni centesimi.	Evar. 5.	Clem 7. & 8.	Clemens Martyr 23. Novemb. & vacat sedes usq; ad 3. April.	*mini anno mortuus iuxtà eamdẽ urbem sepultus est. usque ad Traiani tempora* venisse Ioannẽ, scribit quoque ex Ireneo
	Alexander natione Romanus ex Patre Alexandro de Regione caput Tauri, sedit an x mens. vj. dies ij hic constituit aquã sparsionis cum sale benedici. Hic ordinavit Epis v. Presbyt. vj. Diac. ij.	Evar. 6.	Clem. 8. & 9.	Anacletus à 3. Aprilis	Eusebius in Chronico ad annum 2. Traiani. *N Clementem Papam anno 3. Traiani
		Evar. 7.	Clemens Martyr.	Anacleti 1. & 2.	Martyrio coronatum scribit cum Eusebio
		Evar. 8.	Anacletus fit Pontifex.	Anacl. 2. & 3.	loco citato D. Hieronymus libro de Scriptoribus: *Obiit tertio Traiani anno.* Idem
	Alexandri 4.	Evar. 9.	Anacl. 2.	Anacl. 3. & 4.	planè secundus Catalogus suprà. *Obiit Martyr tertio Traiani.* Consentit Beda in Marty-
	Alexandri 5.	Evar. 10.	Anacl. 3.	Anacl. 4. & 5.	rologio: xi. *Kalendas Decembris Romæ natale S. Clementis Episcopi, qui iubente Traiano missus*
	Alexandri 6.	Evar. 11.	Anacl. 4.	Anacl. 5. & 6.	*est in exilium &c.* Anastasius Bibliothecarius in Pontificali lib. *obijt Martyr anno Traiani 3.*
	Alexandri 7.	Evar. 12. Tertia persecutio sub Traiano.	Anacl. 5.	Anacl. 6. & 7.	& subscribit cum Nicephoro Callisto lib. 3. cap. 18. communis Pe-
Alexander natione Romanus, ex Patre Alexandro de Regione caput Tauri. sedit	Alexandri 8.		Anacl. 6.	Anacl. 7. & 8. S. Ignatius Martyr obiit.	ritorum Baronij, Petavij aliorumque, cum Breviario Romano ad 23. Nov. *O Tra-

Æra Vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Pontifices iuxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.*	*Pontifices iuxtà Chronicon S. Prosperi.*	*Pontifices iuxtà antiquiorem Catalogum saeculi quarti.*
109.	P. Ælius Hadrianus, Publilius Celsus.	*P Traiani 12.	*Antiocnens Ecclesia Episcopus Romam perductus bestiys traditur.*	Evaristi 4.	*mensibus duobus, die uno fuit temporibus Traiani a Consulatu Palma & Tuli usque Æliano & Veteri;*
110.	Cl. Crispinus, Solenus Orfitus.	Traiani 13.	An. 13. Traiani. *Romana Ecclesia 5. Episcopatum tenet Alexander an.* 10. consonat lib. 4 cap. 1.	Evaristi 5.	Alexandri 2.
111.	C. Calp. Piso, Vettius Rusticus Bolanus.	Traiani 14.		Evaristi 6.	Alexandri 3.
112.	Traianus 6. C. Iulius sive Sextius Africanus 2. Fasti Idacij habēt: *His Consulibus persecutio Christianorum.*	Traiani 15.	Alexandri 3.	Evaristi 7. Traiano 7. & Africano. *Tertia persecutio Ignatius quoque Antiochena Ecclesia Episcopus Romam perductus bestiys traditur.*	Alexandri 4.
113.	L. Publius Celsus 2. C. Iulius Crispinus 2.	Traiani 16.	Alexandri 4. Traiani 16 *Traianus Armeniam, Assiriam, Mesopotamiā, fecit Provincias.*		Alexandri 5.
114.	Q. Ninnius Hasta, Maxilius Vopiscus.	Traiani 17.		Evaristi 9.	Alexandri 6.
115.	M. Valerius Messala, C. Popilius Carus Pedo.	Traiani 18.	Alexandri 6.	Messala & Pedone. *Quintus Romana Ecclesia praeest Alexander annis* 10.	Alexandri 7.
116.	L. Æmilius Ælianus. L. Antistius Verus.	Traiani 19.	Alexandri 7. Traiani 19. *Traianus morbo in Seleunti perit.*	Alexand 2.	His Consulibus ponitur mors Alexandri à Catalogo, qui pergit. viij. S. Sixtus.
117.	Quintius Niger, Titus Vipsanius Apronianus.	Traianus moritur 10. Augusti, & succedit Hadrianus.	Alexandri 8.	Alexand. 3.	*Sixtus annis decem, mensibus tribus, diebus viginti uno, fuit temporibus Hadriani à Consulatu Nigri & Aphroniani usque Vero III. & Ambibulo.*
118.	Hadrianus 2. Tib Claudius Fuscus Salinator.	Hadriani 1. & 2. *Q	Alexandri 9.	Alexand. 4.	
119.	Hadrianus 3. Q. Iunius Rusticus.	Hadriani 2. & 3.	Alexander obit & an. 3. Hadriani *Romana Ecclesia 6. Episcopatum teget Sixtus anno* 10. consonat lib. 4. cap. 4.	Alexand. 5.	Sixti 4.
120.	L. Catilius Severus, Tit. Aurelius Fulvus.	Hadriani 3. & 4.		Alexand. 6.	Sixti 5.
121.	M. Annius Verus 2. L. Augur.	Hadriani 4. & 5.	Sixti 3.	Alexand. 7.	Sixti 6.
122.	Manius Acilius Aviola, C. Corellius Pansa	Hadriani 5. & 6.	Sixti 4.	Alexand, 8.	Sixti 7.

Pontifices iuxtà secundum Catalogum sæculi sexti.	*Pontifices iuxtà 3. Catalogum sæculi octavi nunquam anteà editum.*	*Pont. iuxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices iuxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices iuxtà Petaviũ & Labbeum.*	*Observata varia.*
sedit annos decem, menses septem, dies duos. Fuit autem temporibus Traiani..... usque Æliano & Vetere.	Alexandri 9.	Alexander an. 109.	Anacl. 7.	Anacl. 8. & 9.	*o Traiani anno xij passum quoque S. Ignatium, tradit D. Hieronymus lib. de Scriptoribus, & communis omnium.
Hic Passionem Domini miscuit in prædicatione Sacerdotum. Martyrio coronatur	Alexandri 10.	Alexan. 2.	Anacl. 8.	Euaristus 26. Iulij.	
cum eo Eventius Presbyter, & Theodulus Diaconus. Hic constituit aquam sparsionis cum sale benedici in habitaculis hominum.	Alexãder obit circa mensem Iulij & pergit Catalogus: *Xystus natione Romanus, ex Patre Pastore de Regione Viâ Latâ, sedit an. x mens. ij. diem j. hic constituit, ut ministeria sacrata non tangerentur, nisi à ministris. Hic ordinavit Episc. iiij. Presb. xi. Diac. iiij.*	Alexan. 3.	Anacl. 9.	Evar. 1. & 2.	*p Anno Traiani 12. sub Palma & Tullo Consulibus ponitur à duobus Catalogis initium Pontificatus Alexandri, qui & sub eodem Imperatore ponitur mortuus, quod defendit Henschenius ex Consulibus etiam à Luitprando, Anastasio, & libro Pontificali allatis. Habent acta Alexandri: *eodem anno post mortem S. Alexandri nutu Dei defunctus Traianus Imperator.* Et Martyrologium Bedę: *Alexander punctis creberrimis per tota membra peremptus sub Aureliano Iudice, tempore Traiani Principis.* Ado asserens passum *sub Traiano Principe iudice Aureliano.* Notkerus: *qui iubente Traiano Principe ab Aureliano Comite &c.* Consonat tertius Catalogus à nobis publicatus, & adstipulantur Breviaria Romana anni 1479. 1490. 1522. 1524. & demum ipsum Romanum Breviarium *Traiano Imperatore* scribens *rexisse Ecclesiam*, quibus consentit Molanus in secundâ & tertiâ editione Vsuardi.
Hic fecit ordinationes tres, Presbyteros sex, Diacones duos, Episcopos per diversa loca quinque, per mensem Decembris: qui & sepultus est		Alexan. 4.	Evaristus anno 112.	Evar. 2. & 3.	
via Nomentana, ubi decollatus est ab urbe Romà milliario septimo, v. nonas Maij, & cessavit Episcopatus dies triginta septem.		Alexan. 5.	Evar. 2.	Evar. 3. & 4.	
Ponit Henschenius sedisse Alexandrum ab an. 109. & die 2. Martij, ad annũ 117. & diē 3. Maii.	Xysti 3. & 4.	Alexan. 6.	Evar. 3.	Evar. 4. & 5.	
at ultimi Consules à Catalogis exhibiti fuerunt an. 116. Traiani 19. quo Alexander obiit.	Xysti 4. & 5.	Alexan. 7.	Evar. 4.	Evar. 5. & 6.	
Xistus natione Romanus, ex Patre Pastore de regione Viâ Latâ, sedit annos decem, menses duos, diem unum.	Xysti 5. & 6.	Alexan. 8.	Evarist. 5. Sub Traiano & Hadriano viguit Carpocrates, docens Iesum tantũ modò hominem & omne peccatum esse exercendũ hinc & auctore Carpocrate orta est & secta gnosticorum.	Evar. 6. & 7.	
Fuit autem temporibus Adriani....usque Vero & Angulo. Martyrio coronatur. Hic constituit, ut ministeria	Xysti 6. & 7.	Xystus fit Pontifex anno 117.		Evar. 7. & 8. Floret Aquila interpres scripturæ.	
sacrata non tangerentur, nisi a ministris. Hic constituit, ut quicumque Episcopus evocatus fuerit ad Sedem Re-	Xysti 7. & 8.	Xysti 2.			
manam Apostolicam; rediens ad Parochiam suam non susciperetur, nisi con-	Xysti 8. & 9.	Xysti 3.		Evaristus Martyr 26. octob. succedit Alexander 23 Novemb.	
firmata salutationis plebe ad Sedem Apostolicã. Hic constituit, ut infrà actionem	Xysti 9. & 10.	Xysti 4.			*q Dionysium Areopagitam ad tempora Hadriani pervenisse & sub eo Athenis passũ, testis est apud Adonē in Martyrologio Aristides Atheniensis. Idem habet vetustissimum Martyrologium Romanũ à Rosweido edi-
Sacerdotis, incipiens populus hymnũ decantaret Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth, &c. Hic fecit ordinationes tres, Presbyteros undecim. Diacones tres, Episcopos per diversa loca quatuor.	Xystus obit circa mensem Octobris & pergit Catalogus: *Telesphorus natione Græcus ex Anachorita sedit annos*	Xysti 5.	Evar. obit succedit Alexander anno 121.	Alexand. 2. & 3.	
		Xysti 6.		Alexand. 3. & 4.	

Æra Vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Pontifices iuxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.*	*Pontifices iuxtà Chronicon S. Prosperi.*	*Pontifices iuxtà antiquiorem Catalogum sæculi quarti.*
109.	P. Ælius Hadrianus, Publilius Celsus.	*P Traiani 12.	*Antiochena Ecclesia Episcopus Romam perductus bestijs traditur.*	Evaristi 4.	*mensibus duobus, die uno fuit temporibus Traiani à Consulatu Palma & Tulo usque Æliano & Vetere.*
110.	Cl. Crispinus, Solenus Orfitus.	Traiani 13.	An. 13. Traiani. *Romana Ecclesia 5. Episcopatum tenet Alexander an.* 10. consonat lib. 4 cap. 1.	Evaristi 5.	Alexandri 2.
111.	C. Calp. Piso, Vettius Rusticus Bolanus.	Traiani 14.		Evaristi 6.	Alexandri 3.
112.	Traianus 6. C. Iulius sive Sextius Africanus 2. Fasti Idacij habēt: *His Consulibus persecutio Christianorum.*	Traiani 15.	Alexandri 3.	Evaristi 7. Traiano 7. & Africano. *Tertia persecutio Ignatius quoque Antiochena Ecclesia Episcopus Romam perductus bestijs traditur.*	Alexandri 4.
113.	L. Publius Celsus 2. C. Iulius Crispinus 2.	Traiani 16.	Alexandri 4. Traiani 16 *Traianus Armeniam, Assyriam, Mesopotamiā, fecit Provincias.*		Alexandri 5.
114.	Q. Ninnius Hasta, Maxilius Vopiscus.	Traiani 17.		Evaristi 9.	Alexandri 6.
115.	M. Valerius Messala, C. Popilius Carus Pedo.	Traiani 18.	Alexandri 6.	Messala & Pedone. *Quintus Romana Eclesia praest Alexander annis* 10.	Alexandri 7.
116.	L. Æmilius Ælianus. L. Antistius Vetus.	Traiani 19.	Alexandri 7. Traiani 19. *Traianus morbo in Selenunti perit.*	Alexand 2.	His Consulibus ponitur mors Alexandri à Catalogo, qui pergit, viij. S. Sixtus.
117.	Quintius Niger, Titus Vipsanius Apronianus.	Traianus moritur 10. Augusti, & succedit Hadrianus.	Alexandri 8.	Alexand. 3.	*Sixtus annis decem, mensibus tribus, diebus viginti uno. fuit temporibus Hadriani a Consulatu Nigri & Aproniani usque Vero III. & Ambibulo.*
118.	Hadrianus 2. Tib Claudius Fuscus Salinator.	Hadriani 1. & 2. *Q	Alexandri 9.	Alexand. 4.	
119.	Hadrianus 3. Q. Iunius Rusticus.	Hadriani 2. & 3.	Alexander obiit & an. 3. Hadriani *Romana Ecclesia 6. Episcopatum reget Sixtus anno* 10. consonat lib. 4. cap. 4.	Alexand. 5.	Sixti 4.
120.	L. Catilius Severus, Tit. Aurelius Fulvus.	Hadriani 3. & 4.		Alexand. 6.	Sixti 5.
121.	M. Annius Verus 2. L. Augur.	Hadriani 4. & 5.	Sixti 3.	Alexand. 7.	Sixti 6.
122.	Manius Atilius Aviola, C. Corellius Pansa	Hadriani 5. & 6.	Sixti 4.	Alexand. 8.	Sixti 7.

Pon-

Pontifices juxtà secundum Catalogum sæculi sexti.	*Pontifices juxtà 3. Catalogum sæculi octavi nunquam anteà editum.*	*Pont. juxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices juxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices juxtà Petaviū & Labbeum.*	*Observata varia.*
sedit annos decem, menses septem, dies duos. Fuit autem temporibus Traiani..... usque Æliano & Vetere.	Alexandri 9.	Alexander an. 109.	Anacl. 7.	Anacl. 8. & 9.	*o Traiani anno xij passum quoque S. Ignatium, tradit D. Hieronymus lib. de Scrip-
Hic Passionem Domini miscuit in prædicatione Sacerdotum. Martyrio coronatur	Alexandri 10.	Alexan. 2.	Anacl. 8.	Evaristus 26. Iulij.	toribus, & communis omnium.
cum eo Eventius Presbyter, & Theodolus Diaconus. Hic constituit aquam sparsionis cum sale benedici in habitaculis hominum.	Alexāder obit circa mensem Iulij & pergit Catalogus: *Xystus natione Romanus,*	Alexan. 3.	Anacl. 9.	Evar. 1. & 2.	*p Anno Traiani 12. sub Palma & Tullo Consulibus ponitur à duobus Catalogis ini-
Hic fecit ordinationes tres, Presbyteros sex, Diaconos duos, Episcopos per diversa loca quinque, per mensem Decembris: qui & sepultus est via Nomentana, ubi decollatus est	*ex Patre Pastore de Regione Viâ Latâ, sedit an. x men. ij. diem j. hic constituit, ut ministeria sacrata non tangerentur, nisi a ministris.*	Alexan. 4.	Evaristus anno 112.	Evar. 2. & 3.	tium Pontificatus Alexandri, qui & sub eodem Imperatore ponitur mortuus, quod defendit Henschenius ex Consulibus etiam à Luitprando, Anastasio, & libro Pontificali al-
ab urbe Româ milliario septimo, v. nonas Maij. & cessavit Episcopatus dies triginta septem.	*Hic ordinavit Episc.* iiij. *Presb.* xi. *Diac.* iiij.	Alexan. 5.	Evar. 2.	Evar. 3. & 4.	latis. Habent acta Alexandri: *eodem anno post mortem S. Alexandri nutu Dei defunctus Traia-*
Ponit Henschenius sedisse Alexandrum ab an. 109. & die 2. Martij, ad annū 117. & diē 3. Maii.	Xysti 3. & 4.	Alexan. 6.	Evar. 3.	Evar. 4. & 5.	*nus Imperator.* Et Martyrologium Bedæ: *Alexander punctis creberrimis per tota membra per-*
at ultimi Consules à Catalogis exhibiti fuerunt an. 116. Traiani 19. quo Alexander obiit.	Xysti 4. & 5.	Alexan. 7.	Evar. 4.	Evar. 5. & 6.	*emptus sub Aureliano Iudice, tempore Traiani Principis.* Ado asserens *passum sub Traiano Principe judice Aureliano.*
Xistus natione Romanus, ex Patre Pastore de regione Viâ Latâ, sedit annos decem, menses duos, diem unum.	Xysti 5. & 6.	Alexan. 8.	Evarist. 5. Sub Traiano & Hadriano viguit Carpocrates, docens Iesum tantū modò hominem & omne peccatum esse exercendū hinc & auctore Carpocrate orta est & secta gnosticorum.	Evar. 6. & 7.	Notkerus: *qui jubente Traiano Principe ab Aureliano Comite &c.* Consonat tertius Catalogus
Fuit autem temporibus Adriani.....usque Vero & Angulo, Martyrio coronatur. Hic constituit, ut ministeria	Xysti 6. & 7.	Xystus fit Pontifex anno 117.		Evar. 7. & 8. Floret Aquila interpres scripturæ.	à nobis publicatus, & adstipulantur Breviaria Romana anni 1479. 1490. 1522. 1524. &
sacrata non tangerentur, nisi a ministris. Hic constituit, ut quicumque Episcopus evocatus fuerit ad Sedem Ro-	Xysti 7. & 8.	Xysti 2.			demum ipsum Romanum Breviarium *Traiano Imperatore* scribens *rexisse Ecclesiam,* quibus
manam Apostolicam; rediens ad Parochiam suam non susciperetur, nisi con-	Xysti 8. & 9.	Xysti 3.		Evaristus Martyr 26. octob. succedit Alexander 23 Novemb.	contentit Molanus in secundâ & tertiâ editione Usuardi.
firmata salutationis plebe ad Sedem Apostolicā. Hic constituit, ut infrà actionem Sacerdotis, incipiens populus hymnū decantaret	Xysti 9. & 10.	Xysti 4.			*Q Dionysium Areopagitam ad tempora Hadriani pervenisse & sub eo Athenis passū,
Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth, &c. Hic fecit ordinationes tres, Presbyteros	Xystus obit circa mensem Octobris & pergit Catalogus: *Telesphorus natione Græcus ex Anachorita sedit annos*	Xysti 5.	Evar. obit succedit Alexander anno 121.	Alexand. 2. & 3.	testis est apud Adonē in Martyrologio Aristides Atheniensis. Idem habet vetustissimum
undecim, Diaconos tres, Episcopos per diversa loca qua-		Xysti 6.		Alexand. 3. & 4.	Martyrologium Romanū à Rosweido edi-

Æra Vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Pontifices juxtà Chronicon Eusebij & Hieronimi.*	*Pontifices juxtà Chronicon S. Prosperi.*	*Pontifices juxtà antiquiorem Catalogum sæculi quarti.*
123.	Q. Atrius Pætinus, C. Ventidius Apronianus.	Hadriani 6. & 7.	Sixti 5. Hadriani 6.& 7. *Cephisus Fluvius Eleusinam innundavit, quem Hadrianus ponte cōjungens Athenis Hyemem exegit.*	Alexand. 9.	Sixti 8.
124.	Manlius Acilius Glabrio, C. Bellicius Torquatus.	Hadriani 7. & 8.		Glabrione & Aproniano: *Romana Ecclesia* vj. *Episcopatū suscepit Xystus annis* ix.	Sixti 9.
125.	P. Cornelius Scipio Asiaticus, Q. Vettius Aquilinus.	Hadriani 8. & 9.	Sixti 7.	Xysti 2. Asiatico & Quintillo *Cephissus Fluvius Eleusinam innundavit, quē Hadrianus Ponte conjungens Athenis Hyemem exegit.*	Sixti 10.
126.	Vespronius Candidus Verus 2. Ambiguus Bibulus seu Vibullus.	Hadriani 9. & 10.	Sixti 8. Hadrian. 9. & 10. *Quadratus Discipulus Apostolorum & Aristides Atheniensis noster Philosophus, Libros pro Christiana Religione Hadriano dedere.*		His Consulibus ponitur mors Sixti à Catalogo, qui prosequitur: viiij, S. Telesphorus. *Telesphorus annis undecim mensibus tribus. Fuit temporibus Antonini Macrini à Consulatu Titiani & Gallicane usque Cæsare & Balbine,*
127.	Gallicanus, Cælius Titianus.	Hadriani 10. & 11.		Xysti 4.	
128.	L. Nonius Asprenas, Torquatus, M. Annius Libo.	Hadriani 11. & 12.		Xysti 5.	
129.	P. Iuventius Celsus 2. Q. Iulius Balbus.	Hadriani 12. & 13.	12. Hadriani. *Romana Ecclesia Episcopatum suscepit 7. Telesphorus annis* 11.	Xysti 6.	Telesphori 3. & 4.
130.	Q. Fabius Catullinus, M. Flavius Aper.	Hadriani 13. & 14.		Xysti 7.	Telesphori 4. & 5.
131.	Ser. Octavius Lenas Pontianus, M. Antonius Ruffinus.	Hadriani 14. & 15.	Telesphori 3.	Xysti 8. Potian. & Ruffin *Quadratus Discipulus Apostolorum & Aristides noster Philosophus, Libros pro Christiana Religione compositos edidere.*	Telesphori 5. & 6.
132.	Sentius Augurinus, Atrius Severianus 2.	Hadriani 15. & 16.	Telesphori 4. Hadriani 15. *Adrianus Athenis Hyemem exigens Eleusinam invisit.*		Telesphori 6. & 7.
133.	Hiberus, Iulius Silanus Sisenna.	Hadriani 16. & 17.		Tiberio & Silano. *Roma 7. Episcopus ordinatur Telesphorus annis* xj.	Telesphori 7. & 8.
134.	C. Iulius Servilius Ursus Severianus 3 C. Vibius Iuventius Verus.	Hadriani 17. & 18.	Thelesphori 6.		Telesphori 8. & 9.
135.	Pompeianus Lupercus, C. Iunius Atticus Acilianus.	Hadriani 18. & 19.	Telesphori 7.	Telesphori 3.	Telesphori 9. & 10.

Pon-

Pontifices juxtà secundum Catalogum seculi sexti.	*Pontifices juxtà 3. Catalogum seculi octavi nunquam anteà editum.*	*Pont. juxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices juxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices juxtà Petaviũ & Labbeum.*	*Observata varia.*
quatuor. Qui etiam sepultus est juxta corpus B. Petri in vaticano, iij. nonas Aprilis, & cessavit Episcopatus menses duos.	xxj. *mens.* iij. *hic constituit, ut septem hebdommadas ante Pascha jejunium celebra-*	Xysti 7.	Alexan. 3.	Alex. 4. 5.	editum, in quo ad 5. nonas Octobris: *Athenis Dionysii Areopagita sub Hadriano diversis tor-*
* *Confirmato &c.* Corrige: *nisi cum formata salutationis plebe per Sedem A:* Addit Henschenius Xy-	*retur, & in natale Domini in nocte ut missa celebrarentur, & Gloria in excelsis Deo caneretur. Hic*	Xysti 8. Sub Adriano 4 persecutio: ita Sulpitius	Alexan. 4.	Alex. 5. 6.	*mentis passi.* Idem Venerabilis Beda, & Ado Viennensis suprà: neque refert, Quadratum poni tertium à Dio-
stum sedisse ab anno 117. ad vj. Aprilis anni 127.	*ordinavit Presb.* xij. *Diac.* viij. * xxj lege xj.	lib. 2. cap. 46.	Alexan. 5.	Alex. 6. 7.	nysio Atheniensem Episcopũ, & hunc Quadratum Hadriano Athenis Hyemanti Apologiam dedisse pro
Telesphor. natione Græcus ex Anachoreta, sedit annos undecim, menses sex, dies viginti unum. Fuit autem temporibus Antonini & Marci. hic constituit ut sep-	Telesphori 5. & 6.	Xysti 10.	Alexan. 6.	Alex. 7. 8. Quadratus & Aristides Philosophus A-	Christianis, quia constat ex Eusebio, S. Prospero aliisque, hanc Apologiam datam nõ fuisse anno 6. Hadria-
tem hebdomadis jejunium celebraretur Pascha: Martyrio coronatur. Hic fecit ut	Telesphori 6. & 7.	Telesphorus fit Põtifex anno	Alexan. 7.	theniensis florent &	ni, ut putat Sirmondus, sed diu posteà, ut restet
natali Domini Nostri IESU CHRISTI *noctu missa celebrarentur, & in ingressu sacrificii Hymnus diceretur Angelicus, Gloria in excel-*	Telesphori 7. & 8.	127.	Alexan. 8.	Apologias pro Christianis Hadriano offerunt.	sufficiens tempus Publii inter mortem Dionysii & initium Quadrati, ut videre licet parte 2. dissert. 3.
sis Deo &c. Tantum noctu natalis Domini.. Hic fecit ordinationes quatuor, Pres-	Telesphori 8. & 9	Telesp. 3.	Alexan. 9	Alex. 10. 11.	cap. 3. art. 1. *R Loco Antonini Macrini posuerat Hẽschenius Hadriani, sub
byteros duodecim, Diaconos octo, Episcopos per diversa loca quatuordecim, per mensem Decembris: qui etiam	Telesphori 9. & 10.	Telesp. 4.	Alex. 10.	*s Alexander Mart. 3. Maii, & succedit	quo Imperatore Telesphorũ sedisse, malo notare in margine. *s Index Romano-
sepultus est juxtà corpus B. Petri in Vaticano iv. *nonas Ianuarii, & cessavit Episcopatus dies sex.*	Telesphori 10. & 11. obit circa finẽ anni, pergit Catalogus: *Iginus natione Græcus ex Philippo de*	Telesp. 5.	Alex. 11.	Sixtus post 25. dies. S. Iustinus fit Christianus, &	rum Pontificum ab Honorio 3. confectus & in Bibliotheca Vaticana servatus habet, post Evaristum anno
Notat Henscenius: *Tempus sedis videtur statuendum ab initio Octobris an.* CXXVj. *usque ad Ianuarii diem* iij. *aut*	*Athenis, cujus genealogiam non inveni, sedit an.* iiij. *mens.* iij. *dies* iiij.	Telesp. 6	Alex. obiit & succedit Sixtus anno 132.	Aquila vertit S Scripturam.	121. successisse Alexandrum, & sedisse annos 10. Baronius mortem refert ad annum
V. *anni* CXXXVIIj. *sed quia diximus ad vitam S. Sixti, hunc vixisse usque ad* iij. *aut* vj. *Aprilis anni* CXXVIj. *ar-*	*Hic clerum composuit, & divisit gradus Ecclesiasticos, hic ordinavit Epis.* vj. *Presb.* xv. *Diac.* v.	Telesp. 7.	Sixti 2.	Sixti 3. 4.	132. anno nimirum 13. Hadriani. At cum 13. Hadriani annus incidat in æram 130.
bitramur S. Telesphorum ante illius obitum Episcopum creatum, ejusque Vicarium extitisse. Nos autem, qui Putamus ab auctore Catalogi per ultimos Con-		Telesp. 8.	Sixti 3. Marcionẽ Ponticum circa annũ 134.	Sixti 4. 5.	rectè juxta laudatum indicem obiisse Alexandrum anno 15. Hadriani statuunt Petavius & Labbeus, sicque
sules semper expressum annum obitus, consequẽter ad Catalogum ponimus seriem Pontificum.	*Pius natione Italus, ex Patre Rufino, frater Pastoris de civitate Aquileia, sedit*	Telesp. 9.	virus suum sparsisse ostendit Petavius anim-	Sixti 5. 6.	acta per Surium edita tom. 3. die 3. Maii, loco Traiani legunt Hadriani, & sub ipso non

Æra Vulgaris.	Consules.	Imperatores.	Pontifices iuxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.	Pontifices iuxtà Chronicon S. Prosperi.	Pontifices iuxtà antiquiorem Catalogum sæculi quarti.
136.	L. Ceionius Commodus Verus, Sex. Vetulenus Pōpeianus.	Hadriani 19. & 20.	Telesphori 8. Hadriani 19. *Ælia ab Ælio Hadriano condita & in fronte eius porta qua Bethleē egredimur suis sculptus.*	Telesphori 4.	Telesphori 10. & 11.
137.	L. Ælius Verus Cæsar, P. Cælius Balbinus.	Hadriani 20. & 21. Libri Phlegeontis Hadriani familiaris finiunt anno 1. olympiadis 229. id est æra 137.		Telesphori 5.	His Consulibus ponitur mors S. Telesphori à Catalogo, qui pergit. x. S. Hyginus. *Hyginus annis duodecim mensibus tribus diebus decem fuit temporibus....*
138.	Sulpitius Camerinus, Quintius Niger Magnus.	Hadrian. ante mortem adoptat T. Aurelium Fulvum, qui idem est cum Ælio Antonino Pio sub	Telesphori 10.	Telesphori 6.	
139.	Antoninus August. 2. Brutius Præsens.	conditione, quod in filios adoptaret Annium Verum & Marcum Aurelium	Antonini 2. *Romana Ecclesiæ Episcopatū 8. suscepit Hyginus an. 4*	Telesphori 7.	Hygini 2. & 3.
140.	Anton. Aug. 3. M. Aurelius Cæsar.	hæc 25. Febr. & 12. Iul. moritur Hadr.	consonat lib. 4. cap. 10.	Telesphori 8.	Hygini 3. & 4.
141.	Pedanius seu Peducæus Syloga Priscinus, T. Henius Severus.	Antonini Pii 4.	Hygini 3. *Iustinus Philosophus librū pro nostra religione conscriptum Antonino tradit.*	Telesphori 9	Hygini 4. & 5.
142.	L. Cuspius Rufinus, L. Statius Quadratus.	Antonini Pii 5.	Antonini 5. *Romæ nonus ordinatur Episcopus Pius annis 15* cōsonat lib. 4. c. 10.	Rufino & Torquato. *Romæ viij. ordinatur Episcopus Hyginus annis iv.*	Hygini 5. & 6.
143.	Tit. Bellicius Quadratus, Tib. Claudius Atticus Herodes.	Antonini Pii 6.		Hygini 2.	Hygini 6. & 7.
144.	Lollianus Avitus. C. Gavius Maximus.	Antonini Pii 7.	Pii 3.	Hygini 3.	Hygini 7. & 8.
145.	Anton. Pius 4. M. Aurelius Cæsar.	Antonini Pii 8.	Pii 4.	Hygini 4.	Hygini 8. & 9.
146.	Sex. Erucius Clarus 2. Cn. Claudius Severus.	Antonini Pii 9.	Pii 5.	Grato & Seleuco. *Romæ 9. Episcopus ordinatur Pius annis 15.*	Hygini 9. & 10.
147.	M. Valerius Largus, M. Valerius Messalinus.	Antonini Pii 10.	Pii 6.	Pii 2.	Hygini 10. & 11.

Pon-

Pontifices juxtà secundum Catalogum seculi sexti.

**v Yginus natione Graecus ex Philosopho de Athenis, sedit annos quatuor, dies tres, menses sex. Fuit autem a Consulatu magni & Camerini, usque Orfito & Prisco. Hic Clerum composuit, & constituit gradus, & fecit ordinationes tres, per mensem Decemb. Presbyteros quindecim, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca sex: qui etiam sepultus est juxta corpus B. Petri in Vaticano. iii. Kalend. Ianuarij, & cessavit Episcopatus dies tres.*

Notat Henschenius Hyginum sedisse ab anno 138. ad diem 8. aut xj. Ianuarij anni 150. Antonini Pii undecimo. Et de sequente Pontifice Aniceto arbitratur ordinatum, S. Pio, ante S. Hyginum Vicario, morbo, exilio, aut aliâ de causâ impedito, ita exigentibus Consulibus in Catalogis memoratis. Putat itaque, quae spectant ad tempus Sedis SS. Hygini, Soteris, & Pij ita exponenda esse, ut Hygino per quadriennium carceri incluso ordinatus sit Vicarius S. Pius anno 146. mortuo autem Hygino, & S. Pio morbo exilio, aut alia de causa impedito, ordinatum esse anno 153. succedit S. Pius verus Pontifex ab eodem anno usque ad annum 161. sicque Pius Papa fuisset verus Pontifex per annos octo, ac intelligeretur, qua ratione S. Optatus, Augustinus aliique Pium Aniceto praeponant.

Pontifices juxtà 3. Catalogum seculi octavi nunquam anteà editum.	*Pont. juxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices juxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices juxtà Petaviū & Labbeum.*
annos xvlij. mens. iiij. dies iij. hic Angelo ammonente praecepit Pascha die Dominico celebrari. Hic ordinavit Episc. xij. Presb. xix. Diac. xxj.	Telel. 10.	animad. ad Epiphaniū p. 83. erravit duo principia	Sixti 6. & 7.
	Teles. 11.	unum bonum & alterū malū.	Sixti 7. & 8. Phlegon Hadriani Libertus Floret.
Pii 4.	Hygin. fit Pontifex anno 138.	Sixti 7. Sub Antonino Serpunt Caiani	*v His tēporibus viguit Iustinus martyr.
Pii 5.	Hygini 2.	negantes resurrectionem & Iudam, Chore,	S. Iustinus apologeticum offert Ant. Pio.
Pii 6.	Hygini 3.	Dathan, Abiron, Sodomitas &	Sixtus obiit 6. Aprilis & 8. April.
Pii 7.	Hygini 4.	Cain salvatos esse dicentes. Iren. lib. 1. cap. 35. & August.	succedit Telesphorus.
Pii 8.	Pius fit Pontifex anno 142.	Telesphorus fit Pōtifex anno 142.	Teles. 2. & 3.
Pii 9.	Pii 2.	Telesph. 2. Sub Antonin. viguit Apelles inter plura	Teles. 3. & 4.
Pii 10.	Pii 3.	errās Christū absūpsisse corpus ex elemētis mundi,	Teles. 4. & 5.
Pii 11.	Pii 4.	& mundo reliquisse	Teles. 5. & 6.
Pii 12.	Pii 5.	resurgēdo sine corpore ita Aug. cap. 23.	Teles. 6. & 7.
Pii 13.	Pii 6.	Telesp. 6.	Teles. 7. & 8.

Observata varia.

sub Traiano floruisse, habet Breviarium Romanum à Patribus Tridentinis correctum.

*r Yginum sedisse annos 12. ex consulibus à Priori Catalogo allatis collegit Henschenius, at quatuor annos dumtaxat sedisse, testatur 2. Catalogus, & consentit tertius nunc primo publicatus, ex quo Anastasius in Pontificali habet sedisse annos quatuor, menses tres, dies quatuor. Confirmat Eusebius in Chronico & in historiae libro 4. cap. 10 *Hygino post quartum Pontificatus sui annum decedente è vita, Pius Romanae Ecclesiae &c.* Idem plane Nicephorus Callistus lib. 3. cap. 25 Idque adeo cum Baronio ex omni antiquitate retinendum duxit Onuphrius Panuinus, ut qui ante solebat tempus ex allatis Consulibus metiri, hic eos despiciat ut erroneos. Laudat id Binnius in notis ad Pontificale, & addit Latinos & Graecos cum Vaticanis indicibus consentire, de Pontificatu quatuor annorum.

*v Habet D. Hieronymus libro de Scriptoribus in Iustino in tantum pro religione Christi laboravit, *ut Antonino quoque Pio & filijs eius, & Senatui librum contrà gentes scriptum daret, ignominiamque Crucis non erubesceret.* Habet & Sulpitius Severus lib. 2. historiae cap. 46. *Antonino Imperante pax Ecclesijs fuit.*

Æra Vulgaris.	Consules.	Imperatores.	Pontifices juxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.	Pontifices juxtà Chronicon S. Prosperi.	Pontifices iuxtà antiquiorem Catalogum seculi quarti.
148.	C. Bellicius Torquatus 2. M. Salvius Iulianus 2.	Antonini Pii 11.	Pii 7.	Pii 3.	Hygini 11, & 12.
149.	Sex. Corn. Scipio Orfitus, Q. Nonius Priscus.	Antonini Pii 12.	Pii 8.	Pii 4.	Hyginus his Consulibus obit & pergit Catalogus. xj. S. Anicetus.
150.	Romulus Gallicanus, Antistius Vetus.	Antonini Pii 13.	Pii 9.	Pii 5.	*Anicetus annis, ... à Consulatu Gallicani & Veteris usque Præsente & Rufino.*
151.	Sex Quintilius Gordianus, Sex. Quintilius Maximus.	Antonini Pii 14.	Pii 10.	Pii 6.	Aniceti 3.
152.	Sex. Acilius Glabrio, C. Valerius Omollus Verianus.	Antonini Pii 15.	Pii 11.	Pii 7.	Aniceti 4.
153.	Brutius Præsens 2. A. Iunius Rufinus apud Grut. P. 300. inscript.	Antonini Pii 16.	Pii 12.	Pii 8.	Anicetus moritur his Consulibus, & pergit Catalogus. xij. S. Pius. *Pius annis xv. mensibus iv. diebus xx. Fuit temporibus Antonini Pii à Consulatu Clari & Severi usque duobus Augustis. Sub huius Episcopatu frater eius Hermes librum scripsit, in quo mandatur, continetur que, quod ei præcepit Angelus, cum venit ad eum in habitu Pastoris.*
154.	L. Aurelius Cæsar, Sextilius Lateranus.	Antonini Pii 17.	Pii 13.	Pii 9.	
155.	C. Iulius Severus. M. Rufinus Sabinianus.	Antonini Pii 18.	Antonini 18. *Romana Ecclesia 10. Episcopatum tenet Anicetus an. xij.*	Pii 10.	
156.	M. Ceionius, seu Plautius Silvanus, P. Sentius Augurinus.	Antonini Pii 19.	Aniceti 2. Scribit Eusebius lib. 4. cap. 10 Pium obiisse ad an. 15. unde corrige Chronicon.	Pii 11.	
157.	Barbatus, Regulus.	Antonini Pii 20.		Pii 12.	Pii 5.
158.	Q. Flavius Tertullus, Licinius Sacerdos.	Antonini Pii 21.	Aniceti 4. seu 2	Pii 13.	Pii 6.
159.	Plautius Quintillus, Statius Priscus.	Antonini Pii 22.	Aniceti 5. seu 3.	Pii 14.	Pii 7.
160.	T. Vibius Varus, Ap. Annius Bradua.	Antonini Pii 23.	Aniceti 6. seu 4.	Vero 2. & Bradua *Romana Ecclesia Episcopatū x. suscepit Anicetus an-*	Pii 8.

Pontifices iuxtà secundum Catalogum seculi sexti.	*Pontifices iuxtà 3. Catalogum seculi octavi nunquam anteà editum.*	*Pont. iuxtà Onuphrium & Ant. Aug*	*Pontifices iuxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices iuxtà Petaviū & Labbeum.*	*Observata varia.*
	Pii 14.	Pii 7.	Telesp. 7.	Teles. 8. & 9.	Consonat Xiphilinus ex Dione: *Constat inter omnes Antoninum Pium Probum virum fuisse, neque enim caeteris subditis*
Anicius natione Syrus ex Patre Ioanne de Vico Amisa. Sedit annos undecim, menses quatuor, dies tres. Fuit autem à Consulatu Gallicani & Veteris, usque Praesente & Rufino. Hic cōstituit ut Clericus Comam non nutriret. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decemb. Presbyteros octo, Diaconos quatuor, Episcopos per diversa loca octo, qui etiam sepultus est iuxta corpus B. Petri in Vaticano xij. *Kalend Maij. & cessavit Episcopatus dies* vj.	Pii 15,	Pii 8.	Telesp. 8.	Teles. 9. & 10.	*gravis, neque Christianis infensus fuit, quos vehementer observavit.*
	Pii 16.	Pii 9.	Telesp. 9.	Telesp. 10. & 11.	*w Clemens Alexandrinus numerat à captione Iudaica ad 10. annum Antonini annos 77. quos si subducas à 147. manebunt septuaginta: anno autem septuagesimo excisam Ierosolymā vidimus suprà.
	Pii 17.	Pii 10.	Telesp. 10.	Telesp. 11. & 12.	
	Pii 18.	Pii 11.	Valentinus tenet Christum corpus celeste assumpsisse, nec de MARIA assumpsisse.	Telesphorus moritur 5. Ian. & succedit Hyginus 13. Ianuar.	*x Scribit Ireneus libro 3. cap 4. *Valentinus venit Romam sub Hygino, increvit vero sub Pio, & prorogavit tempus usque ad Anicetum. Cerdon autem, qui ante Marcionē & hic sub Hygino qui fuit Octavus Episcopus saepe in Ecclesiam veniens.*
Pius natione Italus ex Patre Rufino, frater Pastoris, de Civitate Aquileia, sedit annos octodecim, menses quatuor, dies 3. fuit temporibus Antonini Pii a Consulatu Clari & Severi. ... *sub huius Episcopatu frater ipsius Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod praecepit Angelus Domini, cum venit ad eum in habitu Pastoris, & praecepit ei ut Sanctum Pascha die Dominica celebraretur, hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem, Presbyteros octodecim, Diaconos undecim, Episcopos per diversa loca duodecim: qui etiam sepultus est iuxta corpus B. Petri* v. *Idus Iulij. Cessavit Episcopatus dies* 14.	Pius obit, & pergit Catalogus. *Anicetus natione Syrus ex Patre Ioanne de Vico Amisa. Sedit annos* x. *mens.* iv. *dies* iij. *Hic constituit, ut Clericus Comam non nutriret. Hic ordinavit Epis.* ix. *Presb.* xvij. *Diac.* iv.	Anicetus fit Pontifex anno 153.		*x	
		Aniceti 2.	Hyginus fit Pontifex an. 154.	Hygin. 3.	*y Idem Ireneus libro 3. cap. 3. scribit de S. Polycarpo: *Sub Aniceto cum advenisset in urbem multos ex his, quos praediximus, haereticos cōvertit.* Idem ex Irenei ad Victorem epistola cōfirmat Eusebius lib. 5. cap. 24. & ex iis S. Hieronymus libro de Viris Illustrib. *Polycarpus Ioannis Apostoli Discipulus, & ab eo Smyrnae Episcopus ordinatus totius Asiae Princeps fuit: Quippe qui nonnullos Apostolorum, & eorum, qui viderant Dominum magistros habuerit & viderit. Hic propter quasdam super die Paschatis quaestiones, sub Imperatore Antonino Pio Ecclesiam in urbe regente Aniceto Romam venit, ubi plurimos credentium Marcionis & Valentini persuasione*
		Aniceti 3.	Hygin. 2. Cerdo sub Hygino errat Christū nec ex foemina natū neque habuisse carnem & simulatorie Passū. Aug cap. 21.	Hygin 4.	
	Aniceti 4.	Aniceti 4.		Hyginus obit xi Ianuar. & succedit Pius.	
	Aniceti 5.	Aniceti 5.		Pii 2.	
	Aniceti 6.	Aniceti 6.	Hyginus obit & succedit anno 158. Pius.	Pii 3.	
	Aniceti 7.	Aniceti 7.	Pii 2.	Pii 4.	
	Aniceti 8.	Aniceti 8.	Pii 3.	Pii 5.	

Æra Vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Pontifices iuxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.*	*Pontifices iuxtà Chronicon S. Prosperi.*	*Pontifices iuxtà antiquiorem Catalogum saeculi quarti.*
161.	M. Ælius Aurelius Verus Cæsar 3. L. Aurelius Verus Commodus Cæsar 2. Fasti Idatij: *Antoninev & Aurelio Cæs duobus Augustis. His Conss. orta persecutione passi Polycarpus & Pionius.*	Antonin. Pius moritur 7. Martij, & succedunt Marcus Aurelius Antoninus cognomento Philosophus, & L. Ælius Verus,tũ primum duo Imperatores visi, ita Spartian.	Aniceti 7. seu 5.	*nis x. sub quo Polycarpus Romam veniens multos ab haeretico errore correxit.*	Plus occumbit his Consulibus & pergit Catalogus: xiij. S. Soter. *Soter annis novem, mensibus tribus, diebus duobus fuit temporibus. . . .*
162.	Q. Iunius Rusticus, Vettius Aquilinus.	M. Aurelij & Lucij Veri 1. & 2.	Aniceti 8. seu 6.	Aniceti 3.	Soteris 2.
163.	L. Papyrius Ælianus, Iunius Pastor.	M. Aurelij & Lucij Veri 2. & 3.	Aniceti 9. seu 7.	Aniceti 4.	Soteris 3.
164.	C. Iulius Macrinus, L. Corn. Celsus.	M. Aurelij, & Lucij Veri 3. & 4.	Aniceti 10. seu 8.	Aniceti 5.	Soteris 4.
165.	L. Arrius Pudens, M. Gavius Orfitus.	M. Aurelij & Lucij Veri 4. & 5.	Aniceti 11. seu 9.	Aniceti 6.	Soteris 5.
166.	Q. Servilius Pudens 2. T. Vitrasius Pollio.	M. Aurelij & Lucij Veri 5. & 6.	Aniceti 12. seu 10.	Aniceti 7. Pudente & Pollione. 4 *Persecutione orta in Asia Polycarpus & Pio-*	Soteris 6.
167.	L. Aurelius Verus 3. Numidius Quadratus.	M. Aurelij & Lucij Veri 6. & 7.	Anic. 13. seu 11. Aurel. 7. *persecutione ortâ in Asiâ Polycarpus & Pionius fecere Martyrium.*	*nius fecere Martyrium.*	Soteris 7.
168.	L. Vetius Paulus, T. Iunius Montanus.	M. Aurelij & Lucij Veri 7. & 8.	Aurelij & Lucij 8. *Romana Ecclesia Episcopatũ suscepit xj. Soter an*	Aphroniano & Paulo. *Romana Ecclesia Episcopatũ xj suscepit Soter annis*	Soteris 8.
169.	Q. Sosius Priscus, P. Cælius Apollinaris.	Lucius Verus obit M. Aurelij 8. & 9.	*octo.* cõsonat lib. 4. cap. 18.	viij.	Soteris 9.
170.	M. Aurelius Severus Cethegus, L. Iunius Clarus.	M. Aurelij 9. & 10.	Soteris 3. M. Aurelij 10. *Antonino Imperatori inclyto Asianus Sardiensis Episcopus Apologeticũ pro Christianis tradidit.*	Soteris 3.	Soter obit his Consulibus & pergit Catalogus: xiv. S. Eleutherus. *Eleutherus annis . . . . fuit temporibus Antonini & Commodi à Consulatu Veri & Erenniani usque Paterno & Bradua.*
171.	Septimius Severus 2. Herennianus.	M. Aurelij 10. & 11.	Soteris 4. M. Aurelij 11. *Apollinaris Asianus Hieropolitanus Episcopus insignis habetur.*	Soteris 4.	

Pontifices iuxtà secundum Catalogum seculi sexti.	*Pontifices iuxtà 3 Catalogum seculi octavi nunquam anteà editum.*	*Pont. iuxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices juxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices iuxtà Petaviũ & Labbeum.*	*Observata varia.*
Soter natione Romanus, ex Patre Concordio de Civitate Fundis, sedit annos novem, menses sex, dies viginti unum, fuit temporibus Severi a Consulatu Rustici & Aquilini usque Cethego & Claro. Hic constituit, ut nulla monacha pallam sacratam contingeret, nec incensum poneret intra sanctam Ecclesiam. Hic fecit ordinationes tres per mēsem Decembrem, Presbyteros septemdecim, Diaconos octo, Episcopos per diversa loca undecim, qui sepultus est juxtà corpus B. Petri x. Kalend. Maij. Cessavit Episcopatus dies undecim. Sotherem ab anno 161. à 21. ad 22. Aprilis anni 171. sedisse, indicat Henschenius qui ei 9. annos Pontificatus vindicat.	Aniceti 9.	Aniceti 9.	Pii 4.	Pii 6 Egesippus historicus sub Pio Romę floruit.	*suasione decptos reduxit ad fidem.* Hic Aniceti Pontificatus cadit in tempus Imperij Antonini Pii, quod juxtà tres Catalogos fieri potest, at non juxtà aliorum opiniones; ratio discordiæ oritur ex Pontificatu Pii & Aniceti. Hieronymus enim cum S. Optato Milevitano lib. 2. contra Parmenianum, & S. Augustino epistola 165. ponunt Anicetum ante pium. At contrariũ tuentur istorum temporum scriptores indubitati. S. Ireneus lib. 3. cap. 3. *Hyginus, post Pius, post quem Anicetus.* Ireneo Coætaneus Egesippus apud Eusebium lib 4. cap. 21 *Cum essem Romæ mãsi ibi usque ad Pontificis Aniceti tempora, cuius tum quidem Eleutherus Diaconus erat: huic successit Soter, quo morte extincto. Eleutherus munus Episcopale capescit.* Auctor Carminũ contra Marcionem lib. 3. Anicetum quoq; post Pium collocat, quos sequuntur Eusebius libro 4. historiæ cap 10. Epiphanius hæresi 27. cap. 6. S. Prosper in Chronico, tertius Catalogus nunc primum publicatus, Pontificale sub nomine Damasi ab Anastasio Bibliothecario confectum, Nicephorus Constantinopolitan. in Chronico. Aliique omnes moderni.
	Aniceti 10.	Anicet. 10 Sub Aurelio quinta persecutio vid. Sulpit. lib. 2. c 46.	Pii 5.	Pii 7.	
	Anicetus obit circa finem anni.		Pii 6.	Pii 8. S. Iustinus Martyrio coronatur 13. April.	
	Sother natione Campanus ex Patre Concordio de Civitate Fundis, sedit an ix mens. vj. dies xij. Hic constituit, ut nulla Monica Pallam sacratam tangeret, nec incensum poneret in sanctam Ecclesiã. Hic ordinavit Episc. xj. Presb. viij. Diac. ix.	Anicetus obit Soter fit Pōtifex an. 163.	Pii 7.		
		Soteris 3.	Pii 8.	Pius obiit 11. Iulii, & succedit Anicetus 25. Iulij anno 166. sub Aniceto Polycarpus venit Romam	
		Soteris 4.	Pii 9.		
		Soteris 5.	Pius obiit & succedit Anicetus anno 167.	Aniceti 2. & 3. S. Polycarpus in Asiam redux	
	Soteris 5.	Soteris 6.	Aniceti 2.	Martyrio coronatur.	
	Soteris 6.	Soteris 7.	Aniceti 3.	Aniceti 4. & 5.	
Eleuther natione Græcus ex Patre Abundantio, de oppido Nicopoli, sedit annos quindecim, menses tres, dies duos. Fuit temporibus Antonini & Commodi usque Bradua. Hic accepit epistolam à Lucio Britanniæ Rege, ut Christianus efficeretur per eius mandatum; & hoc obtinuit, ut nullus (cibus) repudiaretur à. Christianis maximè fidelibus, quē Deus crea-	Soteris 7.	Soteris 8.	Aniceti 4	Aniceti 5. & 6. Melito Sardicensis Episcopus, M. Aurelio Apologiã offert.	
	Soteris 8.	Soter obiit & Eleutherus fit Pontifex anno 171.	Aniceti 5.	Aniceti 6. & 7.	

Æra Vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Pontifices juxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.*	*Pontifices juxtà Chronicon S. Prosperi.*	*Pontifices juxtà antiquiorem Catalogum sæculi quarti.*
172.	Claudius Maximus, Corn. Scipio Orfitus.	M. Aurelij 11. & 12.	Soteris 5. M. Aurelij 12. *Dionysius Episcopus Corinthiorum Clarus habetur.*	Soteris 5.	Eleutherij 2. & 3.
173.	Claudius Severus 2. M. Aur. Claudius Pompeianus.	M. Aurelij 12. & 13.		Soteris 6.	Eleutherij 3. & 4.
174.	Ap. Annius Trebonius Gallus, Flaccus.	M. Aurelij 13. & 14.	Soteris 7.	Soteris 7.	Eleutherij 4. & 5.
175.	Calpurnius Piso, M. Salvius Iulianus.	M. Aurelij 14. & 15.	Soteris 8.	Soteris 8.	Eleutherij 5. & 6.
176.	T. Vitrasius Pollio 2. M. Flavius Aper 2.	M. Aurelij 15. & 16.	Soter obit & anno 16. Aurel. *Romanæ Ecclesiæ* 12. *Episcopatum suscipit Eleutherius an.* 15.	Chronicon S. Prosperi à Labbeo publicatum habet hoc loco 23. Consules absque eo, quod ponat ullum Pontificem, quod nimirum mutilum sit.	Eleutherij 6. & 7.
177.	Q. Aurelius Commodus, Plautius Quintillus.	M. Aurelij 16. & 17.			Eleutherij 7. & 8.
178.	Vettius Rufus, Corn. Scipio Orfitus 2.	M. Aurelij 17. & 18.	Eleutherij 3.		Eleutherij 8. & 9.
179.	Commodus 2. Vespronius Candidus Verus.	M. Aurelij 18. & 19.	Eleutherij 4.		Eleutherij 9. & 10.
180.	Brutius Præsens 2. Sext. Quintilius Gordianus, seu Condianus.	M. Aurelius obit 16. Martij & succedit eius filius Aurelius Commodus Antoninus.	Eleutherij 5.		Eleutherij 10. & 11.
181.	Commodus 3. Antistius Burrhus.	Commodi 1. & 2.	Eleutherij 6. Commodi 2. *Irenæus Episcopus Lugdunensis insignis habetur.*		Eleutherij 11. & 12.
182.	Petronius Mamertinus, M. Vettius Trebellius Rufus.	Commodi 2. & 3.			Eleutherij 12. & 13.
183.	Commodus 4. M. Aufidius Victorinus.	Commodi 3. & 4.	Eleutherij 8.		Eleutherij 13. & 14.
184.	M. Eggius Marullus, M. Papyrius Ælianus.	Commodi 4. & 5.	Eleutherij 9.		Eleutherij 14. & 15.
185.	Triarius Macernus, M. Atilius Metilius Bradua.	Commodi 5. & 6.	Eleutherij 10.		Eleutherus obit iuxtà Catalogum & pergit: XV. S. Vi-

Pontifices juxtà secundum Catalogum seculi sexti.	*Pontifices iuxtà 3. Catalogum seculi octavi nunquam anteà editum.*	*Pont. iuxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices iuxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices iuxta Petaviū & Labbeum.*
creavit, qui tamen rationabilis sit. Hic fecit ordinationes tres per mensem Decemb. Presbyteres undecim, Diacones septem, Episcopos per diversa loca quindecim, qui sepultus est juxta corpus B. Petri viij. Kal. Iunij. Cessavit Episcopatus dies septemdecim. Notat Henschenius: Sedit S. Eleutherius annos 15. ab anno Christi CLXXI. & Consulatu Severi, usque ad annum CLXXXVI. id est, aliquot mensibus post Consulatum Paterni & Braduæ.	Soteris 9.	Eleutheri 2.	Cataphryges auctore Montano, qui se dicebat paraclytū, & Priteilla ac Maximilla Prophetissæ hoc tēpore insanire incipiunt.	Aniceti 7. & 8.
	Soter obit & circa medium anni succedit Eleutherius de quo Catalogus: *Eleuther natione Græcus ex Patre Abundantio de Oppido Nicopole sedit an. xv. mens. iij. dies ij. Hic constituit, ut nulla Esca a Christianis repudiaretur, quæ rationabilis humanaque esset. Hic ordinavit Epis. xv. Presb. xij. Diac. viij.*	Eleutheri 3.		Anicetus obit 17. April. & succedit Soter 4. Maij.
		Eleutheri 4.		Soteris 1. & 2. Sub Sotere floruit Dionys. Corinthorum Episcop.
		Eleutheri 5.	Anicetus obit & succedit Soter an. 175.	
		Eleutheri 6.		Soteris 3. & 4.
	Eleutherij 4. & 5.	Eleutheri 7.	Soteris 3.	Soter obit 22. Aprilis & succedit Eleuther.
	Eleutherij 5. & 6.	Eleutheri 8.	Soteris 4.	S. Ireneus succedit Pothino Lugdunēsi Episc. Pantænus ex Stoico fit Christianus & fidē Alexādriæ posteà docet, ubi & Discipulum habuit Clementem Alexand.
	Eleutherij 6. & 7.	Eleutheri 9.	Soter obit & succedit Eleuther. anno 179. Eleuth. 1. sub M. Aurelio & Cōmodo vigebat teste Hieron. lib. de scriptorib. Tatianus Iustini Discipulus vivēte Iustino in Ecclesia celebris, at eo defuncto inflatus superbia auctor Encratitarū qui nuptias dānabāt fornicationibus operā dantes.	
	Eleutherij 7. & 8.	Eleutheri 10.		
	Eleutherij 8. & 9.	Eleutheri 11.		
	Eleutherij 9. & 10.	Eleutheri 12.		
	Eleutherij 10. & 11.	Eleutheri 13.		Eleuth. 6. & 7.
	Eleutherij 11. & 12.	Eleutheri 14.		Eleuth. 7. & 8.
Victor natione Afer ex Patre Felice, sedit annos decem.	Eleutherij 12. & 13.	Eleutheri 15.		Eleuth. 8. & 9.

Observata varia.

*z D. Hieronymus libro de Scriptoribus in Egesippo, quem refert omnes à passione usque ad suam, ætatem Ecclesiasticorum actuum texuisse historias. Desiderātur hucusque libri istius Egesippi, qui inquit ibidem Hieronymus, *asserit se venisse sub Aniceto Romam, qui decimus post Petrum Episcopus fuit, & perseverasse usque ad Eleutherium eiusdem urbis Episcopum, qui Aniceti quondā Diaconus fuerat.*

*A Scribit Eusebius lib. 5. Historiæ cap. 1. *Ad 17. annum Imperij Antonini veri, gravis & acerba in nonnullis terræ partibus persecutionis procella.* Addit præcipuè in Gallijs apud Lugdunum & Viennā tunc visa Martyria, & ex Martyrum epistola ad fratres in Asiâ & Phrygiâ existentes narrat de Pothino, *cui Lugdunensis Episcopatus ministerium erat concreditum, cum 90 suæ ætatis annū præteriisset* occubuisse martyrem, & post longam epistolæ copiam, subdit cap. 4. Eusebius: *Iisdem porro Martyres Ireneum Ecclesiæ Lugdunensis id temporis Presbyterum per literas eidem Episcopo Romano scriptas plurimum commendabant.* Refert illas literas Eusebius cum hocce exordio: *Te in Deo omnibus in rebus perpetuo, Pater Eleuthere,*

Æra Vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Pontifices iuxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.*	*Pontifices iuxtà Chronicon S. Prosperi.*	*Pontifices iuxtà antiquiorem Catalogum seculi quarti.*
186.	Commodus 5. Manius Acilius Glabrio.	Commodi 6. & 7.	Eleutheri 11.		xv. S. Victor. *Victor annis novem, mensibus duobus, diebus decem.*
187.	Claudius Crispinus; Papyrius Ælianus 2.	Commodi 7. & 8.	Eleutheri 12.		Victoris 3.
188.	C. Allius Fuscianus, Duillius Silanus.	Commodi 8. & 9.	Eleutheri 13.		Victoris 4.
189.	Iulius Silanus, Q. Servilius Silanus.	Commodi 9. & 10.	Eleutheri 14.		Victoris 5.
190.	Commodus 6. Petronius Septimianus.	Commodi 10. & 11.	10. Commodi anno Eleutherũ obiisse habet lib. 5. cap. 20. Eusebius, tunc quoq; successit Victor unde corrige errorem Catalogi.		Victoris 6.
191.	Cassius Apronianus, M. Atilius Metilius Bradua 2.	Commodi 11. & 12			Victoris 7.
192.	Commodus 7. P. Helvius Pertinax 2.	Commodus occiditur ultimo die Decembris.		Commodo 7. & Pertinace. *Romæ Episcopatu suscepit* xiij. *Victor annis* xij. *cuius non mediocria de religione extant volumina.*	Victoris 8.
193.	Q. Sosius Falco, C. Iulius Clarus.	Ælius pertinax ab initio Ianuarij, at occiditur nondum trimester, similiter Didius Iulianus post menses 2. & dies 5. Imperij, unde succedit Lucius Septimius Severus.	Regnante Ælio. *Romæ Episcopatũ suscepit* 13. *Victor annis* 10. *cuius mediocria de religione extant volumina.*		Victoris 9.
194.	Severus 2. D. Clodius Albinus Cæsar 2.			Victoris 3.	Victoris 10.
195.	Q. Flavius Tertullus, T. Flavius Clemẽs.	Severi 2. & 3.	Victoris 3. Severi 2. *Clemens Alexandrina Eccles. Presbyter & Pantanus Stoicus Philosof. in disputatione dogmatis nostri disertissimi habentur.*	Victoris 4.	Victoris 11.
196.	Domitius Dexter 2. L. Valerius Messala Priscus.	Severi 3. & 4.		Victoris 6.	Victoris 12.
197.	Ap. Claudius Lateranus, M. Marius Rufinus.	Severi 4. & 5.		Victoris 5.	Victor obit hisce Consulibus & pergit Catalogus: xvj. S. Zephyrinus. *Zephyrinus annis . . . . . à Consulatu Saturnini & Galli, usque Præsente & Extricato.*
198.	Tiberius Aterius Saturninus, C. Annius Trebonius Gallus.	Severi 5. & 6.	Victoris 6.	Victoris 7.	

Pon-

Pontifices juxtà Secundum Catalogum sæculi sexti.	*Pontifices juxtà 3. Catalogum sæculi octavi nunquam anteà editum.*	*Pont. juxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices juxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices juxtà Petaviū & Labbeum.*	*Observata varia.*
decem, menses duos, dies decem. Fuit temporibus Cæsaris à Consulatu Commodi v. & Glabrionis, usque Laterano & Rufino. Hic constituit, ut Pascha die Dominica celebraretur, sicut Pius. Hic fecit sequentes Cleros. Martyrio coronatur.	Eleutherij 13.&14.	Eleutherus obit & succedit Victor anno 186.	Eleuth. 8.	Eleuth. 9. & 10. Apollonius Senator Romanus pro fide Apologiā legit in Senatu, & capite plectitur. Ita Hierony.	*there, valere optamus has literas ad te perferre fratrem nostrū Irenæum &c.* Et de hac persecutione intelligit Petavius lib. 5. Ration. cap. 9. Sulpicium Severum ita scribentē lib. 2. cap. 46. *Sub Aurelio Antonini filio, persecutio quinta agitata, ac tum primum intra Gallias martyria visa, serius trans alpes Dei religione suscepta.* Et hęc sunt ex quibus Sirmōdus aliique impugnarunt Dionysij Areopagitæ in Gallias adventum & Martyrium, de quo vide dissert. 3. caput 3. parte 2.
	Eleutherij 14.&15.		Eleuth. 9.		
*Constituit ut necessitate faciente, ubi conventus fuisset sive in flumine, sive in mari, sive in fonte, aut stagno (tantum Christiana confessione declarata credulitatis) efficeretur integer Christianus, quicumque hominum ex gentilitate veniens, ut baptizaretur. Fecit Concilium & interrogatio facta est de Pascha, vel de die prima cum Theophilo Episcopo *a Alexandria de luna.*	Eleutherus obit & pergit Catalogus. *a *Victor natione Afer a Patre Felice. Sedit an. x. mens. ij dies x. hic constituit ut Pascha die Dominico celebraretur, sicut & Pius. Hic ordinavit Episc. xij Presb. iiij. Diac. vij.*	Victoris 3.	Eleuth. 10.		
		Victoris 4	Eleuth. 11.		
		Victoris 5.	Eleuth. 12.	Eleuth. 13. & 14.	
Hic fecit ordinationes duas, Presbyteros quatuor, Diaconos quinque, Episcopos per loca duodecim; qui sepultus est juxtà corpus B. Petri v. Kalend. Augusti, & cessavit Episcopatus dies undecim.	Victoris 4.	Victoris 6.	Eleuth. 13.	Eleuth. 14. & 15.	
	Victoris 5.	Victoris 7.	Eleuth. 14.	Eleutherus obit 26. Maij & succedit Victor. Victoris 1. & 2. Sub Victore floret Polycrates in Asia.	*a Scribit D. Hieronymus lib. de Scriptoribus, *Victor tertius decimus Romanæ urbis Episcopus super quæstione Paschæ, & alia quædam scribens opuscula rexit Ecclesiā sub Severo Principe annis 10.* Consentit Eusebius lib. 5. cap. 20. ponēs Initium Victoris anno 10 Commodi, ex quo manifestum, vitium irrepsisse in Eusebij Chronicōn, quod ponit Initium Pontificatus sub Ælij primo annis 10. cum tamen non enumeret nisi annos 8. ut certum sit, 2 annis citius sub Commodi 10. vel 11. eius Pontificatum inchoandum. Addit Eusebij Chronicon *Polycrates quoque & Bacchylus Asianæ Provinciæ Episcopi insignes habentur.* Sub quibus nimirū celebrata varia de Paschate Concilia, ut videre licet parte 2. Dissert. 1. cap. 3. quibus ibidem dictis cōlonat clare Petavius lib 5.
Sedit Victor juxtà Henschenium ab anno 186. ad 197. multa in secundo Catalogo fatetur perturbata, ac loco: *temporibus Cæsaris.* Legendum cum Anastasio: *temporibus Helij Pertinacis & Severi.* quibus Commodus præponendus est, & loco Theophili *Alexandria* legendum esse *Cæsarea in Palestina.*	Victoris 6.	Victoris 8.	Eleuth. 15.		
	Victoris 7.	Victoris 9.	Eleutherus obit & succedit Victor anno 194.		
	Victoris 8.	Victor. 10.		Victoris 3. & 4. Tertullianus componit librū de præscriptionibus.	
	Victoris 9.	Victor. 11.	Victoris 3. Blastus Romæ quartadecimā lunā Pascha observandum prædicans Judaismū volebat introducere teste Tertulliano		
Zepherinus natione Romanus, ex Patre Abundantio, sedit annis septemdecim, menses sex, dies decem. Fuit temporibus Severi & Antonini, & Consulatu Saturnini & Gallicani usque Præsente & Stricato Consulibus. Hic constituit pra-	Victoris 10.	Victor. 12.		Victoris 5. & 6.	
	Victor obit, & pergit Catalogus. *Zephyrinus natione Romanus ex Patre*	Victor obit & succedit Zephyrinus anno 198.		Victoris 6. & 7.	

Æra Vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Pontifices iuxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.*	*Pontifices iuxtà Chronicon S. Prosperi.*	*Pontifices iuxtà antiquiorem Catalogum seculi quarti.*
199.	P. Corn. Anulinus, M. Aufidius Fronto.	*c Severi 6. & 7.	Victoris 7.	Victoris 8.	Zephyrini 3.
200.	Tiberius Claudius Severus, C. Aufidius Victorinus.	Severi 7. & 8.	Victoris 8.	Victoris 9.	Zephyrini 4.
201.	L. Annius Fabianus, M Nonius Mucianus.	Severi 8. & 9.	Anno 8. Severi Victoris obitus ponitur à Chronico. quod pergit:	Victoris 10.	Zephyrini 5.
202.	Severus 3. Antoninus Augus.	Severi 9. & 10.	*Romana Ecclesiæ Episcopatu 14 suscepit Zephyrinus.*	Victoris 11. Agit his Consulibus Prosperi Chronicon de contentione Paschatis.	Zephyrini 6.
203.	P. Septimius Geta Cæsar, L. Septimius Plautianus 2.	Severi 10. & 11.	Ita editio Mitei addit mea antiquior: an. 17.		Zephyrini 7.
204.	L. Fabius Chilo 2. M. Annius Libo.	Severi 11. & 12.	Zephyrini 4.	Chilone & Libone *Romæ* 14. *Episcopus fit Zephyrinus annis xiv. quinta persecutio Christianorum.*	Zephyrini 8.
205.	Caracalla 2. Geta 2.	Severi 12. & 13.	Zephyrini 5.		Zephyrini 9.
206.	M. Nummius Annius Albinus, Fulvius Æmilianus.	Severi 13. & 14.	Zephyrini 6.	Zephyrini 3.	Zephyrini 10.
207.	M. Flavius Aper, Q. Allius Maximus.	*D Severi 14. & 15.	Zephyrini 7.	Zephyrini 4.	Zephyrini 11.
208.	Caracalla 3. Geta 3.	Severi 15. & 16.	Zephyrini 8.	Zephyrini 5.	Zephyrini 12.
209.	Tiberius Claudius Pompeianus, Lollianus Avitus.	Severi 16. & 17. Geta Cæsar decreto Senatus proclamatur Imperator.	Zephyrini 9. Severi 16. *Tertullianus Afer centurionis Proconsularis filius omnium Ecclesiarum sermone celebratur.*	Zephyrini 6.	Zephyrini 13.
210.	Manius Acilius Faustinus, C. Cæsonius Marcus Rufinianus.	Severi 17. & 18.		Zephyrini 7.	Zephyrini 14.
211.	Q. Epldius Rufus Lollianus Gentianus, Pomponius Bassus.	Severus moritur 4. Februarij, & succedunt Caracalla & Geta eius filij. Caracalla occidit fratrem suum Getam 26. Februarij.	Zephyrini 11.	Zephyrini 8.	Zephyrini 15.
212.	M. Pomponius Asper. P Asper.		Zephyrini 12.	Zephyrini 9.	Zephyrini 16.

Pontifices iuxtà secundum Catalogum sæculi sexti.	*Pontifices iuxtà 3. Catalogum sæculi octavi nunquam anteà editum.*	*Pont. iuxtà Omnpluriumq & Aut. Aug*	*Pontifices iuxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices iuxtà Petaviū & Labbeum.*	*Observata varia.*
præsentiam omnibus Clericis & Laicis fidelibus sive Clericus, sive Levita, sive Sacerdos ordinaretur: & fecit constitutum de Ecclesia, ut patenas vitreas ante Sacerdotes in Ecclesia ministri portarent: dum Episcopus missam celebraret ante se haberet Sacerdotes omnes adstantes, sic missa celebrarentur; excepto cum jus Episcopi interest, ut tantum Clerus sustineret: omnibus præsentibus, ex ea consecratione, de manu Episcopi, jam coronam consecratam acciperet Presbyter tradendam populo. Hic fecit ordinationes quatuor, per mensem Decemb. Presbyteros quatuordecim, Diaconos septem, Episcopos per loca tredecim: qui sepultus est in Cœmeterio suo juxtà Cœmeterium Calixti via Appia: & cessavit Episcopatus eius dies quinque. Tempus Sedis ab anno 197. ad 217. Ita Henschenius in notis. Qui addit sedisse annis 19.	*Abundio sedit ann viij. mens. vij. dies x. Hic ordinavit Episc xiij. Presb. iiij. Diac vij.*	Zephyr. 2.	sub Victore etiam Asiani idē docebant, & posteri quartodecumani inter hæreticos positi. Aug. hær. 29.	Victoris 7. & 8. Tertullianus edit Apologeticum pro fide Christiana.	lib. 5. ration. cap. 1. *Victor ortam de Paschate controversiam cum Romanum alijs in locis indictis Synodis composuit, quin etiam Asianos Iudaico more celebrare perseverantes a communione segregare voluit. Sed hunc Ireneus ab eo Consilio deduxit.* *c Scribit Eusebius lib. 5. cap. 10. *Alexandria consuetudine ab antiquis ductā sacrarum literarum schola habebatur, quæ est ad nostram usque ætatem continuata.* Pergit autem de Pantæno D. Hieronymus lib. de Scriptorib. quod ibidem *docuit sub Severo Principe*, & in Clemente Alexandrino: *Clemens Alexandriæ Ecclesiæ Presbyter, Pantæni, de quo suprà retulimus auditor, post eius mortem Alexandriæ Ecclesiasticam scholam tenuit*, & infrà: *constat Origenem huius fuisse Discipulum. Floruit autem Severi & Antonini filij eius temporibus.* Addit Euseb. lib. 6. c. 5. Stromatū opus regnante Severo elaboratum, & cap. 7. Origenē per idem tempus scholæ Alexandrinæ præfuisse. Consonat Hieronymus in Origene scribens annū ætatis 17. concurrere cum anno Severi 10. Addit Eusebius eū an. 18. scholæ Christianæ præfectū. Insignis quoque Origenis auditor fuit Dionysius, qui teste Hieronymo *sub Heracla scholam Presbyter tenuit.* *D Testatur Tertullianus se anno 15. Severi composuisse tra-
		Zephyr. 3.			
	Zepherini 4.	Zephyr. 4.		Victor obit 28. Iulij & succedit post xj. dies Zephyrinus.	
	Zepherini 5.	Zephyr. 5. Sexta persecutio sub Severo ita Sulpit. lib. 2. cap. 46.	Victoris 9.	S. Ireneus obit 28. Iunij. Symmachus versioni veteris testamenti incumbit.	
	Zepherini 6.		Victor obit & succedit Zepherinus anno 203.		
	Zepherini 7.	Zephyr. 7.	Zepher. 2.		
	Zepherini 8.	Zephyr. 8.	Zepher. 3	Zephyr. 4. & 5.	
	Zepherinus obit & pergit Catalogus. *Callistus natione Romanus ex Patre Domitio de regione Ravennantium sedit an. vj. menses ij. dies x. hic ordinavit Episcop. viij. Presb. xvj. Diac. iij.*	Zephyr. 9.	Zepher. 4.	Minucius Felix Advocatus Romanus composuit Dialogum suum qui Octavius intitulatur	
		Zephyr. 10	Zepher. 5.		
		Zephyr. 11	Zepher. 6.	Zephyr. 7. & 8.	
	Callisti 4.	Zephyr. 12	Zepher. 7.	Zephyr. 8. & 9. Cœpit vigere Origenes ab anno 17. Severi.	
	Callisti 5.	Zephyr. 13	Zepher. 8.		
	Callisti 6.	Zephyr. 14	Zepher. 9.	Zephyr. 10 & 11.	
	Circa initium anni Callistus obit & pergit Catalogus :	Zephyr. 15	Zepher. 10	Zephyr. 11. & 12,	

Calli-

ctatus

Æra Vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Pontifices juxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.*	*Pontifices juxtà Chronicon S. Prosperi.*	*Pontifices iuxtà antiquiorem Catalogum sæculi quarti.*
213.	Caracalla 4. P. Cælius Balbinus 2.	Caracallæ 2. & 3.	Zephyrini 13.	Zephyr. 10.	Zephyrini 17.
214.	Silius Messala, Q. Aquilius Sabinus.	Caracallæ 3. & 4.	Zephyrini 14.	Zephyr. 11.	Zephyrini 18.
215.	Æmilius Lætus 2. Anicius Cerealis.	Caracallæ 4. & 5.	Zephyrini 15.	Zephyr. 12.	Zephyrini 19.
216.	Q. Aquilius Sabinus 2. Sext. Cornel. Anulinus.	Caracallæ 5. & 6.	Zephyrini 16.	Zephyr. 13.	Zephyrini 20.
217.	C. Bruttius Præsens, T. Messius Extricatus.	Caracalla occiditur 8. Aprilis, & succedit Macrinus.	Zephyrini 17.	Zephyr. 14.	Zephyrinus obit his Consulibus & pergit Catalogus. xviij. S. Callistus. *Callistus annos quinque, menses duos, dies decem. Fuit temporibus Macrini & Heliogabali, a Consulatu Antonini & Adventi, usque Antonino III. & Alexandro.*
218.	M. Opelius Diadumenianus Cæsar 2. Adventus. Et à Kalend. Iulij: Alagabalus, & Eutychianus.	Macrinus occiditur & Heliogabalus succedit. Alijs Alagabalus.	Zephyrinus obit & anno 1. Heliogab. *Romana Ecclesiæ Episcopatum suscepit 15. Callistus an. 5.*	Antonino & Advento. *Romæ Episcopatũ suscepit 15. Callistus annis sex.*	
219.	Heliogabalus 2. Sacerdos 2.	Heliogabali 1. & 2.	Callisti 2.	Callisti 2.	Callisti 3.
220.	Heliogabalus 3. Eutychianus Comazontes 2.	Heliogabali 2. & 3.	Callisti 3.	Callisti 3.	Callisti 4.
221.	Annius Gratus, Claudius Severus.	Heliogabali 3. & 4.	Callisti 4.	Callisti 4.	Callisti 5.
222.	Heliogabalus 4. Alexander Cæsar.	Heliogabalus occiditur 6 aut 10. Martij. & succedit Alexander Severus.	Callisti 5.	Callisti 5.	His Consulibus obiisse ponitur Callistus à Catalogo, qui pergit. *Urbanus annos octo, menses undecim, dies duodecim, fuit temporibus Alexandri, a Consulatu Maximi & Æliani usque Agricola & Clementino.*
223.	Maximus, Papyrius Ælianus		An. 2. Alexandri *Romana Ecclesia 16. ordinatur Episcopus Urbanus annis 9.*	Callisti 6.	
224.	Claudius Iulianus, Claudius Crispinus.	Alexandri 2. & 3.		Callistus obiit Iuliano & Crispino. *Romæ* xvj. *Episcopus creatur Urbanus annis* IX.	
225.	L. Turpilius Dexter, M. Mæcius Rufus.	Alexandri 3. & 4.	Vrbani 3.		Vrbani 4.
226.	Alexander 2. C. Quintilius Marcellus.	Alexandri 4. & 5.	Vrbani 4.	Vrbani 3.	Vrbani 5.

Pon-

Pontifices juxtà secundum Catalogum seculi sexti.	*Pontifices juxtà 3. Catalogum seculi octavi nunquam anteà editum.*	*Pont. iuxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices iuxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices iuxtà Petaviū & Labbeum.*	*Observata varia.*
	Vrbanus natione Romanus, ex Patre Pontiano, sedit an. iij. menses x dies xj. Hic ordinavit Episc. viij. Presb. vj. Diac. v.	Zephyr. 16	Zepher. 11	Zephyr. 12 & 13.	ctatus contra Marcionem incidit in Montani hæresim anno 5. Caracallæ, & declamat contra Zephyrini Papæ de Mœchis decretum, de quo agimus alibi. Floruit & sub Zephyrino Papa Minutius Felix, de quo Hieronymus in libro de Viris Illustribus: *Minutius Felix Romæ insignis Causidicus scripsit Dialogum Christiani & Ethnici disputantium, qui Octavius inscribitur.*
		Zephyr. 17	Zepher. 12 Rebaptizantes in Africa auctore Agrippino exoriuntur.	Zephyr. 13 & 14.	
	Vrbani 4.	Zephyr. 18		Zephyr. 14 & 15.	
Callistus natione Romanus, ex Patre Domitio de regione urbe Ravennatium, sedit annos quinque, menses duos, dies undecim. Fuit temporibus Macrini & Heliogabali, à Consulatu Antonini. . . . , & Alexandri. Hic Martyrio coronatur. Hic constituit jejunium die Sabbati ter in anno fiere, frumente, vini, & olei secundum Prophetā, quarti mensis, septimi, & decimi. Qui sepultus est in Cœmeterio Calepodii viâ Aureliâ milliario tertio, pridie idus Octobris. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembris, Presbyteros quindecim. Diaconos quatuor, Episcopos per loca septē. Quievit Episcopatus dies quinque. Sedit iuxtà Henschenniū *ab an. 218. ad 242.*	Vrbanus obit & circa Decembrem succedit Antherus, de quo Catalogus: *Antherus natione Græcus ex Patre Romulo. Sedit an. xij. mens. j. dies xij. Hic gesta Martyrum diligenter exquisivit. Hic ordinavit Episc. j.*	Zephyr. 19		Zephyr. 15 & 16.	
		Zephyr. 20	Zepher. 15	Zephyr. 16 & 17. Caius sub Zephyrino floruit ita Niceph. lib. 4. cap. 12.	*E Tertullianus *acris & vehementis ingenij vir*, ut scribit D. Hieronymus, sub Severo Principe & Caracalla floruit, cumque jam Antonini Caracallæ anno 5. ad hæresim Montani vergeret persuasit Agrippino tunc Carthaginensi Episcopo, ut rebaptizaret Hæreticos, quod coacto Carthaginensi Concilio ipse Agrippinus decrevit, ut videre licet part. 2. Differt. 1. cap 5.
		Callistus fit Pontifex anno 218.	Zepher. 16		
	Antheri 3. & 4.	Callisti 2.	Zepher. 17	Zephyrin. obit 26. Aug. & succedit Callistus initio Septemb.	
	Antheri 4. & 5.	Callisti 3.	Zepher. 18		
	Antheri 5. & 6.	Callisti 4	Callistus fit Pontifex anno 221.	Callisti 2. & 3.	*F Iulius Africanus auctor Christianus valde celebris finit Chronicon suum Consulibus Grato & Severo, & habet de illo D. Hieronymus: *Iulius Africanus, cuius quinque de temporibus extant volumina, sub Imperatore M. Aurelio Antonino, qui Macrino successerat, legationem pro instauratione urbis Emmaus suscepit, quæ postea Nicopolis appellata est.*
Vrbanus natione Romanus ex Patre Pontiano, sedit annis 8. menses decem, dies duodecim. Hic ministeria sacrata argentea constituit, & patenas argenteas viginti quinque; posuitque etiam Clericos. Hic sua conversione multos convertit ad Baptismum, etiā Valerianum Sponsum S. Cæciliæ & multi Martyrio coronati sunt per eius Doctrinam. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decemb. Presbyteros octodecim Diaconos sex. Episcopos per loca septem. Qui sepultus est in	Antheri 6. & 7.	Callisti 5.		*G S. Hippolitus Portuensis Episcopus scribit Canonē Paschalē.	
	Antheri 7. & 8.	Vrbanus fit Pontifex anno 223.	Callisti 3.		
	Antheri 8. & 9.		Callisti 4.	Callistus obit 14. Octobris & succedit Vrbanus 21. Octob.	
	Antheri 9. & 10.	Vrbani 3.	Callisti 5.		
	Antheri 10. & 11.	Vrbani 4.	Callistus obit & succedit Vrbanus anno 226. Ita Bar.	Vrbani 2 & 3. Vlpianus Iurisconsul. occiditur.	*G D. Hieronymus lib. de Scriptoribus testatur: Hippolytum rationem Paschæ tem-

Cœme- porum-

Æra Vulgaris.	Consules.	Imperatores.	Pontifices juxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.	Pontifices juxtà Chronicon S. Prosperi.	Pontifices juxtà antiquiorem Catalogum saeculi quarti.
227.	D. Cælius Balbinus 2. M. Clodius Pupienus Maximus.	Alexandri 5. & 6.	Vrbani 5.	Vrbani 4.	Vrbani 6.
228.	Vettius Modestus. Probus.	Alexandrl 6. & 7.	Vrbani 6.	Vrbani 5.	Vrbani 7.
229.	Alexander 3. Cassius Dio, qui & Historicus.	Alexandri 7. & 8.	Vrbani 7. *Orig. Alexandria clarus habetur.*	Vrbani 6.	Vrbani 8.
230.	Calpurnius Agricola, Clementinus.	Alèxandri 8. & 9.	Vrbani 8. Alexandii 8. *Alexandrina Ecclesia 12. Episcopus ordinatur Heracleas.*	Vrbani 7.	xix. S. Pontianus. *Pontianus annos quinque menses duos, dies septem. Fuit temporibus Alexandri. à Consulatu Pompeiani & Pelignuani. Eo tempore Pontianus Episcopus & Hypolitus Presbyter exules sunt deportati in insulam nocivam Sardiniā, Severo & Quintiano Consulibus. In eadē insula discinctus est iv. Kalend Octob. & loco eius ordinatus est Anteros xj. Kalendas Decemb. à Consulibus supra scriptis.*
231.	Claudius Pompeianus, Felicianus,	Alexandii 9. & 10.		Vrbani 8,	
232.	Iulius Lupus, Maximus.	Alexandii 10. & 11.	Alexandri 10. *Romana Ecclesia 17. Episcopatum suscepit Pontianus an. 5.*	Lupo & Maximo. *Roma xvij Episcopatum suscepit Pontianus annis quinque.*	
233.	Maximus 2. Ovinius Paternus,	Alexandri 11. & 12.			
234.	Maximus 3. Vrbanus.	Alexandri 12. & 13.	Pontiani 3.	Pontiani 3.	
235.	L. Catilius Severus. L. Ragonius Quinctianus, seu Quintilianus.	Alexander occiditur 15. aut 18. Martij, & à militibus substituitur Iulius Maximinus. *H	Pontiani 4.	Pontiani 4.	xx. S. Anterus. *Anteros mense uno diebus decem dormit 3. nonas Ianuarij Maximino & Africano Consulibus.*
236.	C. Iulius Maximinus. C. Iulius Africanus.	Maximini 1. & 2. M. Antonius Gordianus & filius eius Romæ proclamati Imperatores 27. Maij. Mortuo filio Gordiani, declarātur Augusti Pupienus & Balbinus.	Pontiani 5.	Pontiani 5. Maximino & Africano: *Sexta persecutio.*	His Consulibus obit Anterus iuxtà Catalogum, qui pergit: xxj. S. Fabianus. *Fabianus annos quatuordecim, mensem unum, dies decem. Fuit temporibus Maximini & Africani, usque Decio ij. & Grato. Passus xiij. Kalend. Februarij. Hic regiones divisit Diaconibus, & multas fabricas per Cæmeteria fieri iussit, post Passionem eius Moyses & Maximus Presbyteri, & Nicostratus Diaconus cōprehensi sunt, & in carcerem missi. Eo tempore supervenit Novatus ex Africa, & separavit de Ecclesia Novatianum & quos-*
237.	P. Titius Perpetuus, L. Ovinius Rusticus Cornelianus. *K	Maximinus occiditur in Octobri. Gordian. circa mēsem Maij, seipsum interimit. Et 2. Aprilis fit Imperator Gordianus Iunior istius nominis.	Gordiani 1. *Roma 18. Episcopus ordinatur Anterus mense uno. Post quem 19. Fabianus an. 13.*	Perpetuo & Corneliano. *Roma xviij. fit Episcopus Anterus post cuius unum mensem xviij. constituitur Fabianus annis xiij.*	
238.	M. Vlpius Crinitus, Proculus Pontianus.				
239.	Gordianus Augustus, Manius Acilius Aviola.	Gordiani 2. & 3.	Fabiani 3.	Fabiani 3.	

Pontifices iuxtà secundum Catalogum sæculi sexti.

Cæmeterio prætextati viâ Appiâ, quem sepelivit B. Tiburtius xiv. Kalend. Iunij & cessavit Episcopatus dies triginta.

Tempus Sedis iuxtà Henschenium post Martyrium S. Callisti an. 222. aut forsan ipso adhuc vivo Vicarius usque ad xxv. Maij anni 230.

Pontianus natione Romanus ex Patre Calpurnio, sedit an. 8. mens. 5. dies 2. Martyrio coronatur temporibus Alexandri. (sedit) à Consulatu Pompeiani & Peligniani Eodem tempore Pontianus Episcopus & Hyppolytus Presbyter exilio sunt deputati ab Alexandro in Sardiniam insulam Bucinam, Severo & Quintiano Consulibus. In eadem insula maceratus, & afflictus fustibus, defunctus est 3. Kal. Nov. Hic fecit ordinationes duas, Presbyteros v. Diacones v. Episcopos per loca vj. Quem B. Fabianus adduxit navigio, & sepelivit in Cæmeterio Calisti Viâ Appiâ. die depositionis eius ix. Kalend. Decembris.

Sedit iuxtà Henscheniū ab an 230. ad 235.

Anterus natione Græcus ex Patre Romolo, sedit annos xj. mensem j. dies xij. martyrio coronatus temporibus Maximini & Africani Consulum. Hic gesta Martyrum diligenter a notariis exquisivit, & in Ecclesiâ recondidit, propter quod a Maximo Præfecto Martyr effectus est. Hic ordinavit unum Episcopum: qui sepultus est in Cæmeterio Calisti Viâ Appiâ iv nonas Ianuar. & cessavit Episcopatus dies duos.

Sedit à 22. Novembris ad 3. Ian. an. 236.

Fabianus natione Romanus ex Patre Fabio, sedit annos quatuordecim, mensem

Pontifices iuxtà 3. Catalogum sæculi octavi nunquam anteà editum.	*Pont. iuxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices iuxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices iuxtà Petaviū & Labbeum.*
Antheri 11, & 12.	Vrbani 5.	Callistus obit & succedit Vrbanus anno 227. Ita Bellarm.	Vrbani 3. & 4.
*H Antherus obiit circa Februariū & pergit Catalogus.	Vrbani 6.		Vrbani 4. & 5.
Pontianus natione Romanus ex Patre Calpurnio. Sedit an. ix. mens. v. dies ij. Hic ordinavit Episc. vj. Diac. v.	Vrbani 7.	Vrbani 3.	Origenes fit Presb. Dio Cassius Historicus Romanus agit Consulatū.
	Vrbani 8.	Vrbani 4	
Pontiani 4.	Pontianus fit Pontifex anno 231.	Vrbani 5.	Vrban. obit 25 Maii & succedit Pontianus circa finē Iunij. Heraclasque fit Episcopus Alexand.
Pontiani 5.	Pontiani 2.	Vrbani 6.	
Pontiani 6.	Pontiani 3.	Pontianus fit Pontifex an 233	
Pontiani 7.	Pontiani 4.	Pontiani 2.	Pontiani 3. 4. floruit Gregorius Taumatur.
Pontiani 8.	Pontiani 5	Pontiani 3.	Pontianus obit 19. Novemb. & succedit Anterus.
Pontiani 9.	Anterus fit Pontifex anno 236. Fabianus eodem anno.	Pontiani 4.	Anterus obit 3. Ian. & succedit Fabianus 15. Ianuar.
Fabianus natione Romanus ex Patre Fabio. Sedit an. xiiij. mens. xj. dies xj. Hic ordinavit Episc. xj. Presbyteres xxj. Diacon. vij.	Fabiani 2.	Pontianus obiit circa Decēb. & substituitur Anter.	Fabiani 2.
	Fabiani 3.	Anterus obiit, & initio anni succedit Fabianus.	Fabiani 3.
Fabiani 3.	Fabiani 4.		Fabiani 4.

Observata varia.

porumque Canonea scripsisse *usque ad primum annum Alexandri Imperatoris.* Testatur autem Hippolitus Alexandri anno 14. Lunam Paschæ fuisse 13. Aprilis die Sabbati, & ipsummet Pascha celebratum fuisse die Dominico 21. eiusdem mensis. Errat verò Baronius annum primū Alexandri coniungens cum ęrâ 224. cum fuerit æra 222.

*H Antherum usque ad annos undecim sedisse, habet secundus Catalogus. Tertius à nobis nunc primum publicatus habet annos 12. mensem unum dies 12. & eosdē planè annos 12. cū mense & diebus 12. habet in libro Pontificali Anastasius Bibliothecarius. Verum ultra mēsem unum & aliquot dies non fuisse Pontificem cum Eusebio, & Prospero habet antiquior Catalogus, & subscribūt omnes moderni, ut verè mendū illud de 12. annis corrigendum sit, & retinendus mensis unus cum diebus ibidem assignatis.

*I Scribit Eusebius lib. 6. cap. 21. *Maximinus propter gravē invidiam, qua contra Alexandri familiam, in qua complures fideles & Christiani versabantur acerbā persecutionem concitavit, iussitque solos Ecclesiarū Præsides, tanquam auctores Doctrinæ Evangelicæ neci dari* Et tunc quoq; Martyrio coronatus est Pontianus 4. Kal. Oct. aut aliis 3. Kal. Nov.

*X Cen-

Æra Vulgaris.	Consules.	Imperatores.	Pontifices juxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.	Pontifices juxtà Chronicon S. Prosperi.	Pontifices juxtà antiquiorem Catalogum sæculi quarti.
240.	Vettius Sabinus, Venustus.	Gordiani 2. & 3.	Fabiani 4.	Fabiani 4.	*quosdam confessores, postquam Moyses in carcere defunctus est: qui fuit ibi mensses undecim, dies undecim.*
241.	Gordianus 2. M. Aurelius Claudius Pompeianus.	Gordiani 3. & 4.	Fabiani 5.	Fabiani 5.	* Corrigit Henschenius * undecim,
242.	C. Aufidius Atticus, C. Asinius Prætextatus.	Gordiani 4. & 5.	Fabiani 6,	Fabiani 6,	Fabiani 7,
243.	C. Iulius Arrianus, Æmilius Papus.	Gordiani 5. & 6.	Fabiani 7.	Fabiani 7.	Fabiani 8.
244.	Peregrinus, Fulvius Æmilianus.	Gordian. occiditur 1. Martij, & succedit Philippus.	Fabiani 8,	Fabiani 8,	Fabiani 9.
245.	M. Iulius Philippus Imperator, Tiberius Fabius Titianus.	Philippi 1. & 2.	Fabiani 9.	Fabiani 9.	Fabiani 10.
246.	Bruttius Præsens, Nummius Albinus.	Philippi 2. & 3,	Fabiani 10.	Fabiani 10.	Fabiani 11.
247.	Duo Philippi.	Philippi 3. & 4.	Fabiani 11.	Fabiani 11.	Fabiani 12.
248.	Philippus Augustus 3. Philippus Cæsar 2.	Philippi 4. & 5.	Fabiani 12.	Fabiani 12.	Fabiani 13.
249.	Fulvius Æmilianus 2. Vettius Aquilinus.	Philippus occiditur & succedit Decius.	Fabiani 13.	Fabiani 13.	Fabiani 14.
250.	C. Messius Quintus Traianus Decius Augustus 2. Annius Maximus Gratus,	Decij 2,	Fabiani 14.	Fabiani 14.	Fabianus his Consulibus obit juxtà Catalogum qui perdit: xxij. S. Cornelius. *Cornelius annos duos, mēses tres, dies decem à Con-*
251.	Decius Augustus 3. Q. Etruscus Cæsar. Fasti Idatij: Decio 3. & Decio Cæsare. *His Consulibus persecutio Christianorum.*	Decius circa finem hujus anni occiditur, & succedunt C. Vibius Trebellianus Gallus, & ipsius filius Volusianus.	Galli & Volusiani 1. *Romana Ecclesia Episcopatum post Fabiani gloriosam mortem 20. suscepit Cornelius annis duobus qui & ipse Martyrio coronatus est, extant ad eum Cypriani 8. epistola,*	Degio 2. & Rustico. *Romana Ecclesia Episcopatum post Fabiani gloriosam mortem XX. suscepit Cornelius annis duobus qui post biennium eodē Martyrio coronatur.*	*sulibus Decio 2 & Decio, usque Gallo & Volusiano. Sub Episcopatu eius Novatus extra Ecclesiam ordinavit Novatianum in urbe Roma, & Nicostratum in Africa. Hoc facto Confessores qui se separaverunt à Cornelio, cum Maximo & Presbytero*
252.	Gallus 2. Volusianus Augusti,	Galli & Volusiani 1			*qui cum Moyse, fuit ad Ecclesiam sunt reversi. Post hoc contumecellis expulsus*

Pontifices juxtà secundum Catalogum sæculi sexti.

sem unum, dies undecim, Martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Maximini Africani, usque Decio 2. & Quadrato, & passus est xiij. Kalend. Februarij. Hic regiones divisit Diaconibus & fecit sex Subdiaconos, qui septem notarijs imminerent, ut gesta Martyrũ fideliter colligerent. Post Passionem eius Moyses & Maximinus Presbyteri, & Nicostrates Diaconus comprehensi sunt Eodem tempore Moyses in carcere defunctus est, qui fuit ibi menses undecim, & sic multi Christiani fugerunt. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decemb. Presbyteres viginti duos, Diaconos septem, Episcopos per loca quatuordecim, qui sepultus est in Cæmeterio Calysti Viâ Appiâ xiij. Kalend. Febr. & cessavit Episcepatus dies sex.

Notat Henschenius, in hac 2. parte Catalogi Consules repeti, quibus prædecessor obit: Fabianus itaque *creatus est anno* 236. *circa diem* x. *Februarij. & sedit annos* XIV, *menses* xj.

*M. *Cornelius natione Romanus, sedit annum unum menses duos, dies tres, Martyrio coronatur. Hic temporibus suis rogatus à quadam matrona, corpora Apostolorum Petri & Pauli de Catacumbis levavit noctu. Primum quidem corpus B Pauli acceptum B. Luciana posuit in prædio suo Viâ Ostiensi juxta locum ubi decollatus est. B. Petri Apostoli accepit corpus B. Cornelius Episcopus, & posuit juxta locum, ubi Crucifixus est inter Corpora Sanctorum, in templo Apollinis, in monte aureo in Vaticano Palatio Nero-*

Pontifices juxtà 3. Catalogum sæculi octavi nunquam anteà editum.	*Pont. juxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices juxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices juxtà Petaviũ & Labbeum.*
Fabiani 4.	Fabiani 5.	Fabiani 3.	Fabiani 5.
Fabiani 5.	Fabiani 6.	Fabiani 4.	Fabiani 6.
Fabiani 6.	Fabiani 7.	Fabiani 5.	Fabiani 7.
Fabiani 7.	Fabiani 8.	Fabiani 6. Noetum credibile est circa hæc tempora negasse Trinitatem Personarũ pro discipulo habẽs Sabellium qui Christum Patrẽ & Filium & Spiritũ S. dixit.	Fabiani 8.
Fabiani 8.	Fabiani 9.		Fabiani 9.
Fabiani 9.	Fabian. 10.		Fabiani 10
Fabiani 10.	Fabian. 11.		Fabiani 11.
Fabiani 11.	Fabian. 12.		Fabiani 12 *L
Fabiani 12.	Fabian. 13.	Fabiani 11.	Fabiani 13 Cyprianus fit Cartaginensis Episcopus.
Fabiani 13.	Fabian. 14. Septima persecutio in exordio Decij.	Fabiani 12	
Fabiani 14.	Cornelius fit Pontif. anno 250. ita Anton. Augustin.	Fabiani 13	Fabianus obit 20. Ian. & vacat sedes integro anno.
Cornelius natione Romanus ex Patre Castino, sedit an. ij. mens. ij. dies ij. Hic levavit corpora Apostolorum Petri & Pauli de catacumbis. Hic ordinavit Episc. vij. Presb. iiij. Diac. iiij.	at juxtà Onuph. fit Pontifex anno 251. fit etiam 1. schisma Novati cõtra Cornelium.	Fabiani 14 Novatus Presbyter Carthaginensis, lapsos absolvẽdos negat, hinc Novatiani qui & Cathari, pœnitentiam denegãtes	Cornelius fit Pontifex ultimo Aprilis.
	Cornelij 3.		Cornelii 1 & 2.

Observata varia.

*K Censorinus cap. 21. libri sui de die natali testatur annum 1. Gordiani sub Consulatum Vlpij & Pontiani fuisse annum 1014. Iphyti, 991. fundatæ urbis Romæ, 283. Iulianum numerando à 1. die Ianuarij, 265. Augustorum, aut 267. juxtà Ægyptios, 987. Nabonassar, & 565. Philippi, qui cœperunt 25. Iunij. Ex his autem tanquam invictis fundamentis concludit Labbeus pro suâ Serie Chronologicâ.

*L Scribit Petavius lib. 5. Ration. cap. 13. Cyprianus *Philippo Augusto 3. & ejusdem filio Cæsare 2. Coss. hoc est anno 248. ad Episcopatum evectus est. Nam scribit epist. 55. post quatuor quã sedere cœpit annos ortum esse in Africâ schisma scelestissimi sub ipsum Cornelij Romani Pontificis exordium.*

*M Scribit God. Henschenius in notis ad S. Cornelij vitam: *Videtur S. Cornelius creatus circa 4. Iunij anni 250. cum post Martyrium Fabiani sedes vacasset mensibus 4.* At in gravi sub Decio persecutione post Fabiani martyrium, sedem ultra 4. menses vacasse indicant literę Cypriani ad Clerum Romanum, & ex Responsis Cleri ad Cyprianum, in quorum una reperimus: *Post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani, nondum est Episcopus propter rerum & temporum difficultates constitutus*, videtur itaque Cornelij Pon-

Æra Vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Pontifices iuxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.*	*Pontifices iuxtà Chronicon S. Prosperi.*	*Pontifices iuxtà antiquiorem Catalogum saeculi quarti.*
					pulsus, ibi cum gloria dormitationem accepit. Iuxtà Henschenium *tempus sedis ab anno 250. ad 252.*
253.	Volusianus 2. M. Valerius Maximus.	Galli & Volusiani 2.	Galli & Volus. 2. *Romana Ecclesia Episcopatum tenet 21. Lucius menses 8. postquem 22. Stephanus annis 3. extant ad utrumque Cypriani epistola.* Addit de Novatiani schismate.	Volusiano 2. & Maximo. *Romana Ecclesia Episcopatum tenet xxj. Lucius mensibus octo, post quē xxij. Stephanus annis tribus. Extant ad utrumque Cypriani Epistola.*	xxiij. S. Lucius. *Lucius annos tres, menses octo, dies decem; fuit temporibus Galli & Volusiani, usque Valeriano iij. & Gallieno ij. Hic exul fuit, & postea nutu Dei ad Ecclesiam reversus (decessit) tertio nonas Martij. Consulibus suprà scriptis.* Iuxtà Henschenium sedit ad an. 252. ad 255.
254.	Valerianus 2. Gallienus August.	*n Gallus & Volusianus occiduntur circa finem anni, & succedunt Valerianus & Gallienus.	Stephani 1. & 2.	Stephani 1. & 2 Valerian. & Gallieno. *Cyprianus primum Rhetor, deinde Presbyter, ad extremum Carthaginensis Episcopus Martyrio coronatur.*	
255.	P. Licinius Valerianus Colubius Imp. 3. P. Licinius Ignatius Gallienus Imp. 2.	Valer. & Gallien. 1.	Stephani 2. & 3.	Stephani 2. & 3.	*o xxiv. S. Stephanus. *Stephanus annos quatuor, menses duos, dies viginti unum. Fuit temporibus Valeriani & Gallieni à Consulatu Volusiani & Maximini, usque Valeriano 3. & Gallieno 2.* Notat Henschenius: *Volusianus Imp. & M. Valerius Maximus fuerunt anno 253. quando S. Lucio in exilium acto praefuit S. Stephanus tanquam eius Vicarius, mortuus iisdem Consulibus quibus Lucius.*
256.	M. Valerius Max. 2. Manius Acilius Glabrio.	Valer & Gallien. 2.	Anno Valer. & Gall. 1. In Mirço at correctius in	Maximo & Glabrione: *Roma 23, consti-*	*p xxv. S. Sixtus 2. *Sixtus annis duobus mensibus undecim, diebus sex.* Pon-

Pontifices iuxtà ſecundum Catalogum ſeculi ſexti.	*Pontifices iuxtà 3. Catalogum ſeculi octavi nunquam anteà editum.*	*Pont. iuxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices iuxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices iuxtà Petaviũ & Labbeum.*	*Obſervata varia.*
Neronis, iij. Kal Iulij. Poſt hoc factum fecit ordinationẽ unam Presbyteros 7. qui etiam decollatus eſt ad templũ Martis. Cujus corpus noctu collegit B. Lucina, & ſepelivit in Crypta juxtà Cœmeterium Calliſti Viâ Appiâ in prædio ſuo xviij. Kal Oct. & ceſſavit Epiſcopatus dies ſexaginta ſex.			vide Auguſt. Hæreſi 38. & Epiphan. Hæreſi 59.		Pontificatus cœpiſſe anno 251. ut habet 3. Catalogus cum Euſebio & S. Proſpero, & ſediſſe biennium, ut habet cum 2. Catalogo S. Hieronymus lib. de Script. in Cornelio: *Rexit Eccleſiam annis duobus ſub Gallo & Voluſiano, cui ob Chriſtum Martyrio coronato ſucceſſit Lucius.*
Lucius natione Romanus ex Patre Porfirio, ſedit annos tres, menſes tres, dies tres. Fuit temporibus Galli & Voluſiani uſque ad Valerianum iij. & Gallicanum. Hic in exilio fuit, poſteà nutu Dei incolumis ad Eccleſiam reverſus eſt. Hic præcepit, ut duo Presbyteri & tres Diaconi in omni loco Epiſcopum non desererent propter teſtimonium Eccleſiaſticum: qui etiam à Valeriano capite truncatus eſt iij. nonas Martij. Hic fecit ordinationes duas, per menſem Decẽb. Presbyteros quatuor, Diaconos quatuor, Epiſcopos per loca ſex: qui etiam ſepultus eſt in Cœmeterio Calliſti Viâ Appiâ. Ceſſavit Epiſcopatus dies triginta	*Lucius natione Romanus ex Patre Porphyrio, ſedit annos iij. menſ. iij. dies iij Hic præcepit, ut duo Presbyteri, & tres Diaconi Epiſcopum in omni loco non deſererent. Hic ordinavit Epiſ. vij. Presb. iiij. Diac. iiij.*	Lucius fit Pontifex anno 253.	Fabianus obit exacto Pontificatus anno XV.	Moritur Cornelius 14. Sept. & ſuccedit Lucius.	*N Origenem uſque ad Gallum & Voluſianum vixiſſe ſcribit lib. de Viris Illuſt. D. Hieronymus, eumque ſub Valeriano & Gallieno ætatis 69. mortuũ eſſe deducit ex Euſebij lib. 7. cap. 1. Dioniſ. Petavius.
	Lucij 2.	Lucij 2.	Poſt annũ Sedis Vacantis fit Pontifex Cornelius.	Lucij 1. & 2. Origenes obiit ætatis 69.	*O Stephanum pluſquam quinque menſibus obtinuiſſe Pontificatum, vidimus cap. 2. in Diſſertatione prævià ſuprà. Neque ſuppleri hic poteſt defectus ex Vicariatu, cum verũ Pontificem fuiſſe pluſquàm quinque menſibus, conſtet ex rebus ſub ipſo actis.
Stephanus natione Romanus ex Patre Iulio ſedit annos v. menſes v. dies duos Martyrio coronatus. Fuit temporibus Valeriani & Gallieni & Maximi, uſque ad Valerianum iij. & Gallienum ij. Hic conſtituit Sacerdotes & Levitas veſtes ſacratas in uſum quotidianum non uti, niſi in Eccleſia. Hic fecit ordinationes duas per menſem Decemb. Presbyteros v. Diaconos v. Epiſcopos per loca duos, ſepultus in Cœmeterio Calliſti Viâ Appiâ iij nonas Auguſti. Ceſſavit Epiſcopatus dies viginti duos.	Lucij 3.	Stephanus fit Pontifex anno 255.	Cornelius obiit. Et juxtà Bellarmin. Lucius fit Pontifex anno 255.	Lucius obit 3. Martij & ſuccedit Stephanus 9. April. Sub Stephano florẽt Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ, & Dionyſius Patriarcha Alexandrinus.	Cyprianus de quo D. Hieronymus lib. de Script. in Tertulliano. Quod numquam abſque Tertulliani lectione unam diem prætererijt, crebroque dixiſſe da magiſtrum, intelligendo Tertullianum, ex quo conſequenter ſuum de rebaptizandis Hæreticis creditur errorem hauſiſſe quẽ adeo mordicus cum Firmiliano Cæſareenſi in Cappadocia Epiſcopo defendit, ut Stephanus Papa Pontificiam authoritatem interponere debuerit, de quib. parte 2. Diſſert. 1.
*P *Xiſtus natione Græcus ex Philoſopho ſedit annum unum, menſes decem, dies vigin-*	*Stephanus natione Romanus ex Patre Iobio ſedit an. vij. menſ.*	Stephani 2	Iuxtà Bar. Lucius fit Pontifex anno 256.	Stephani 1. & 2.	

P* Xiſtus

Æra Vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Pontifices iuxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.*	*Pontifices iuxtà Chronicon S. Prosperi.*	*Pontifices iuxtà antiquiorem Catalogum sæculi quarti.*
			mea editione ann. 2. *Romana Ecclesia Episcopatum tenet 23. Sixtus annis 8.*	*tuitur Episcopus Xystus annis septem.*	*Cœpit à Consulatu Maximi & Glabrionis, usque Tusco & Basso, & passus est viij. idus Augusti.... a Consulatu Tusci & Bassi usque in diem xij. Kalendas Augusti, Æmiliano & Basso Consulibus.* His Consulibus obit Sixtus & vacat Sedes à Presbyteris directa. Vacavit Sedes ferè anno uno, inquit Henschenius, & Presbyteri præfuerunt usque in xxj. Iulij anno 259. hinc punctorum loco posuerat: *& præfuerunt Presbyteri.*
257.	Valerianus 4. Gallienus 3. Augusti.	Valer. & Gallien. 3.	Sixti 2. *Cyprianus primum rhetor Deinde Presbyter ad extremũ Carthaginensis Episcopus Martyrio coronatur.*	Sixti 2.	
258.	M. Aurelius Memmius Fuscus, Pomponius Bassus. Fasti Idatij. Tusco & Basso. *His Conss. passus est Cyprianus die xviij. Kal. Octob.*	Valer. & Gallien. 4.	Sixti 3.	Sixti 3.	
259.	*Q. Fulvius Æmilianus, Pomponius Bassus 2.	Valerianus capitur a Sapore Persarum Rege & regnat solus Gallienus.	Sixti 4.	Sixti 4.	xxvj. S. Dionysius. *Dionysius annis octo, mensibus duobus, diebus quatuor. Fuit temporibus Gallieni ex die undecimo Kalendarum Augusti Æmiliano & Basso Consulibus, usque in diem septimum Kalendas Ianuarij, Consulibus Claudio & Paterno.*
260.	Cornelius Secularis, Iunius Donatus.	Gallieni 6.	Sixti 5.	Sixti 5.	
261.	Gallienus 4. Petronius Volusianus sive Valerianus Cæsar.	Gallieni 7.	Sixti 6.	Sixti 6.	
262.	Gallienus 5. Appius Pompeius Faustinus.	Gallieni 8.	Sixti 7.	Sixti 7.	Dionysij 4.
263.	Nummius Cleionius Albinus 2. Maximus Dexter.	Gallieni 9.	Sixti 8.	Albino & Maximo. *Romæ 24. præficitur Episcopus Dionysius annis xj.*	Dionysij 5.
264.	Gallienus 6. Aspasius Saturninus.	Gallieni 10.	Gallieni xj. *Romanæ Ecclesiæ 24. Episcopus constituitur Dionysius annis 9.*		Dionysij 6.

Pon-

Pontifices juxtà secundum Catalogum sæculi sexti.	Pontifices iuxtà 3. Catalogum sæculi octavi nunquam anteà editum.	Pont. iuxtà Onuphrium & Ant. Aug.	Pontifices iuxtà Baronium & Bellarm.	Pontifices iuxta Petaviū & Labbeum.	Observata varia.
viginti quatuor. Martyrio coronatur. Fuit temporibus Valeriani & Decij. truncati sunt capite cum B. Xysto xj. Diaconi, Felicissimus, Agapitus, Ianuarius, Magnus, Vincentius, Stephanus viij. idus Augusti & præfuerunt... à Consulatu Maximi & Gravionis usque ad Consulatum Tusci & Gravionis xiij. Kal. Augusti. Quo tempore fuit magna persecutio sub Decio.... & post tres dies passi sunt Laurentius eius Archidiaconus, & Claudius... Reversus Presbyter & Romanus Ostiarius & Crescentius Lector. Hic fecit ordinationes duas, Presbyteros quatuor, Diaconos vj. Episcopos per loca 11. Sepultus est in Cœmeterio Callisti Viâ Appiâ. Nam vj. Diaconi in Cœmeterio Prætextati Viâ Appiâ viij idus Augusti B. verò Laurentius via Tiburtina in Crypta in pro Verano iv idus Augusti. & cessavit Episcopatus annos duos.	v. dies ij. Hic constituit Sacerdotes & Levitas vestes sacratas in usu quotidiano non quotidiano non uti nisi in Ecclesiâ tantum. Hic ordinavit Episc. iij. Presb. iiij. Diac. v.	Xystus junior fit Pontifex anno 257. persecutio hoc anno instauratur à Valeriano & Gallieno: eam septimam recenset Sulpitius Severus lib. 2. cap. 56.	Stephanus fit Pontifex anno 257.	Stephanus obit 2. August. & succedit Sixtus 24. August.	*p Xystum sub Valeriano passum, eius enarratâ persecutione scribit D. Cyprianus epist. 82. Sixtum autem in Cœmeterio animadversum sciatis 8. Iduum August. in eadē quoque persecutione anno 259. 18. Kalend. Octob. mortuum Cyprianum scribit Petavius. Habet autem D. Hieronymus libro de Scriptorib. in Cypriano: *Passus est sub Valeriano & Gallieno persecutione 8. eodem die quo Roma Cornelius, sed non eodem anno.*
	Stephani 2.		Stephani 2 Paulus Samosatenus Sabellij hæresim æmulatus oppugnat filij Divinitatem & anno 260. celebratur contra ipsum 1. Antiochenū Conciliū. Aug. & Epip.	Sixtus Martyr 6. Augusti & succedit Dionysius 10. Septēb. Pontius Cypriani Diaconus scribit ejus vitam.	
Dionysius ex Monacho, cuius generationem reperire non potuimus sedit annos quinque, menses duos, dies quatuor. Fuit temporibus Gallieni ex die undecimo Kalendas Augusti Æmiliano & Basso Coss. usque in diem vj. Kalend. Ianuarij. Et Consulatu Claudij & Paterni. Hic Presbyteris Ecclesias dedit. Et Cœmeteria & Parochias & Diœceses constituit. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decemb. Presbyteros octo, Diaconos tres, Episcopos per loca undecim. Sepultus est in Cœmeterio Callisti Viâ Appiâ quinto Kalendas Ianuarij: & cessavit Episcopatus dies quinque.	Stephani 3.	Xysti 3.		Dionysij 1. & 2.	*q Hic præsentiens Cardinalis Baronius certos Consules æræ Diocletianę initio esse adscriptos, sustulit Fulvium Æmilianum & Bassum cum sequentibus Donato & Sæculari, sicque Gallienus & Volusianus qui secundum Baronium esse debebant Consules anno 263. propriæ suæ æræ restituti sunt anno 261.
	Stephani 4.	Xistus obit & succedit Dionysius anno 260.	Xystus fit Pontifex anno 260.	Dionysij 2. & 3.	
	Stephani 5.	Dionysij 2.	Dionysius fit Pontifex anno 261.	Dionysij 3. & 4.	
	Stephani 6.	Dionysij 3.	Dionysij 2.	Dionysij 4. & 5.	
	Stephani 7.	Dionysij 4	Dionysij 3.	Diónysij 5 & 6.	
Dionysius sedit ab an. 259. & die 12. Iulij, usque ad an. 269. quo mortuus est 26. Decemb. ita Henschenius in notis.	Xystus natione Græcus ex Philosopho; sedit an. 1. mens. x. dies xxiij. Hic ordi-	Dionysij 5.	Dionysij 4.	Dionysij 6. & 7.	

*r S.Gre-

Æra Vulgaris.	Consules.	Imperatores.	Pontifices juxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.	Pontifices juxtà Chronicon S. Prosperi.	Pontifices juxtà antiquiorem Catalogum sæculi quarti.
265.	Lucius Valerianus Cæsar 2. L. Cæsonius Rufinianus.	Gallieni 11.	Dionysij 2.	Dionysij 3.	Dionysij 7.
266.	Gallienus 7. Sabinillus.	Gallieni 12.	Dionysij 3.	Dionysij 4.	Dionysij 8.
267.	Ovinius Paternus, Arcesilaus.	Gallieni 13.	Dionysij 4.	Dionysij 5.	Dionysij 9.
268.	Ovinius Paternus 2. Marinianus.	Gallienus occiditur 21. Martij, & succedit Marcus Aurelius Claudius 2. 24 Martij.	Dionysij 5.	Dionysij 6.	Dionysij 10.
269.	Claudius Imperat. 2. Ovinius Paternus.		Dionysij 6.	Dionysij 7.	Dionysius hisce Consulibus obit juxtà Catalogum, qui pergit. xxvij. S. Felix. *Felix annis quinque, mensibus undecim, diebus vigintiquinque. Fuit temporibus Claudij & Aureliani à Consulatu Claudij & Paterni, usque in Consulatum Aureliani ij. & Capitolini.*
270.	Fl. Antiochianus, Furius Orsitus. Fasti Idatij. *His Consulibus levatus Aurelianus Imperator.*	Claudius occumbit, frater eius Quintillus occiditur post dies 17. & Aurelianus eodem anno fit Imperator.	Dionysij 7.	Dionysij 8.	
271.	Aurelianus Augustus, Pomponius Bassus.	Aureliani 1. & 2.	Dionysij 8.	Dionysij 9.	
272.	Quietus, Voldumianus.	Aureliani 2. & 3.	Dionysij 9.	Dionysij 10.	Felicis 4.
273.	M. Claudius Tacitus, M. Mœcius Furius seu Blacidianus.	Aureliani 3. & 4.	Dionysij 10.	Dionysij 11.	Felicis 5.
274.	Aurelianus Imp. 2. C. Iulius Capitolinus.	Aureliani 4. & 5.	Dionysij 11.	Aureliano & Capitolino. *Romæ xxv. Episcopatum suscepit Felix annis 5.*	Felix iuxtà Catalogum obit, pergit verò: xxviij. S. Eutychianus. *Eutychianus annis octo mensibus undecim, diebus tribus. Fuit temporibus Aureliani à Consulatu Aureliani iij. & Marcellini usque in diem vij. Idus Decembris, Caro ij. & Carino Consulibus.*
275.	Aurelianus 3. Avonius Marcellinus.	Aurelianus occiditur 29. Ianuarij aut in Martio, & succedit Tacitus 27. Septembris.	Dionysij 12.	Felicis 2. Aureliano 2. & Marcello. *Floriano apud Tarsum interfecto probus 2. regnat annis sex, mensibus octo alias quatuor.*	
276.	M. Claudius Tacitus Augustus 2. Fulvius Æmilianus.	Obit Tacitus 13. April. & Floriano fratri post duos menses occiso succedit Probus.	Anno 1. Probi. Romanæ Ecclesiæ Episcopatum 25. suscepit Fe-		

Pon-

Pontifices juxtà secundum Catalogum sæculi sexti.	*Pontifices juxtà 3. Catalogum sæculi octavi nunquam anteà editum.*	*Pont. iuxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices iuxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices iuxtà Petaviũ & Labbeum.*	*Observata varia.*
	navit Episc. iij Presbyteros iiij. Diac. vij.	Dionysij 6.	Dionys. 5	Dionys. 7. & 8.	*a S. Gregorius Taumaturgus moritur 17. Novembris. Habet de eo D. Hieronymus lib. de Scriptoribus, cum initio vocatum fuisse Theodorũ. Dionysius quoque Patriarcha Alexandrinus 17. Decẽbris obiit rebus pro Ecclesia gestis præclarus. Contra schisma Novatianum & pro contentione de rebaptizatione hæreticorũ plura scripsit: de eius scriptis videndus D. Hieronymus libro de Scriptoribus, qui enarratis pluribus addit. *Sed adversus Paulum Samosatenum ante paucos dies quam moreretur insignis eius fertur epistola moritur 12. Gallieni anno.* Hæc de Dionysio Alexandrino, sed florebat tunc quoque Dionysius Papa Romanus, qui contra Paulum Samosatenum interpellatus est à Synodo 2. Antiochena, quę cum rem ad Aurelianum Imperatorem retulisset, ipseq; domum tradi illi præciperet quem Romanus & Italiæ Episcopi scribe- tent, missa est laudata Synodica nominatim ad Dionysium Romanum Episcopum, ut videre licet apud Eusebium lib. 7. cap. 24, ut hinc manifestum fiat errare illos, qui Dionysij Pontificatum ab Aureliani temporibus dimovent.
	Dionysius ex Monacho cuius generationẽ non potuimus reperire, sedit an. vj. mens. ij. dies iiij. Hic Presbyteris Ecclesias dedit, & Parochias, & Diœceses constituit. Hic ordinavit Episc. viij. Presb. xij. Diac. vj.	Dionysij 7.	Dionys. 6	Dionys. 8, & 9.	
		Dionysij 8.	Dionys. 7.	Dionys. 9. & 10.	
		Dionysij 9.	Dionys. 8.	Dionys. 10 & 11.	
Felix natione Romanus ex Patre Constantio sedit annos quatuor, menses tres, dies xxv. Martyrio coronatur. Fuit temporibus Claudij & Paterni usque ad Consulatum Aureliani & Capitolini. Hic constituit suprà sepulchra Martyrum missas celebrari. Hic fecit ordinationes duas mense Decemb. Presbyteros octo, Diaconos tres, Episcopos per loca undecim. Sepultus est in Cœmeterio suo Viâ Aureliâ, milliario secundo; iij. Kalend. Iunij, & cessavit Episcopatus dies quinque. Circa finem Decembris ordinatur Felix anno 259. & sedit ad 275. quo obiit xxx. Maij, quo die inscriptus est antiquis Breviarijs & Martyrologijs. At anno 274. obiisse colligimus nos ex Consulibus.		Dionys, 10	Dionys. 9	Dionys. 11. & 12.	
	Dionysij 5.	Dionys. 11	Dionys. 10.	Dionysius obit 26. Decemb. & succedit Felix 31. eiusdem mensis.	
	Dionysij 6.	Felix fit Pontifex anno 271.	Dionys. 11.	Felicis 1.	
	Felix natione Romanus ex Patre Constantino, sedit an. iiij. mens. iij. dies xxv. Hic constituit suprà memorias Martyrum missas celebrari. Hic ordinavit Episc. v. Presb. viij. Diac. v.	Felicis 2.	Dionysius obit iuxtà Baronium & succedit Felix iuxtà Bellar. hic obit, & Felix fit Pontifex anno 273.	Felicis 2.	
		Felicis 3.		Felicis 3.	
Eutychianus natione Tuscus ex Patre Marino, sedit annum 1. mensem 1. diem 1. Fuit temporibus Aureliani à Consulatu Aureliani iij. & Marcellini usque in diem idus Decembris Caro ij. & Carino Coss. Hic constituit fruges super altario benedici. Hic per loca trecentos sexaginta duos Martyres sepelivit. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decemb, Presbyte-	Felicis 3.	Felicis 4.	Felicis 2.	Felicis 4.	
	Felicis 4.	Eutychianus fit Pōtifex anno 275.	Felix obit & Eutychianus fit Pontifex anno 275.	Felix obit 30. Maij & succedit Eutychianus 4. Iunij	
	Eutitianus natione Tuscus, ex Patre Marino de Civitate Lunis, sedit an. j. mens. j.	Eutych, 2.	Eutychiani 2.	Eutych, 2.	

Æra Vulgaris.	Consules.	Imperatores.	Pontifices juxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.	Pontifices juxtà Chronicon S. Prosperi.	Pontifices juxtà antiquiorem Catalogum seculi quarti.
277.	Probus Imperator, Anicius Paulinus. Ita Fasti Idatij &c.	Probi 1, & 2.	lix an. 5. Romanorum 31. Regnavit Probus annos sex, menses 4.	Felicis 4.	Eutychiani 3.
278.	Probus 2. Furius Lupus.	Probi 2. & 3.		Felicis 5.	Eutychiani 4.
279.	Probus 3. Ovinius Paternus.	Probi 3. & 4.	Felicis 4.	Felicis 6.	Eutychiani 5.
280.	Iunius Messala, Gratus.	Probi 4. & 5.	Probi 5. *Romana Ecclesia Episcopatum suscepit 26. Eutychianus menses 8. post quem 27. Caius annis 15.*	Messala & Grat. 10. *Roma xxvj. ordinatur Episcopus Eutychianus mensibus octo. Post quem Caius 27. creatur annis 15.*	Eutychiani 6.
281.	Probus 4. C. Iunius Tiberianus.	Probi 5. & 6.			Eutychiani 7.
282.	Probus 5. Pomponius Victorinus.	Probus occiditur 2. Novembris postquam regnasset annos 6. menses sex & aliquot dies, & succedit M. Aurelius Carus.	Caii 2.		Eutychiani 8.
283.	Carus 2. Carinus Cæsar. Fasti Idacij. *Caro & Carino his Conss. occisus est Probus Sirmio.*	M. Aurelius Carus occiditur, & succedunt Carinus & Numerianus eius filij.	Caii 3.	Caii 3.	Eutychianus his Consulibus obit juxtà Catalogum qui pergit. xxix. S. Caius. *Caius annos duodecim mensibus quatuor, diebus septem. Fuit temporibus Cari & Carini, ex die xvj. Kalendas Ianuarij, Consulibus Caro ij. & Carino, usque in x. Kalendas Maij Diocletiano vj. & Constantio ij. Consulibus.*
284.	Carinus 2. Numerian. 2. Aug.	Numerianus occiditur & Diocletianus Imperium assumit 17. Septemb.	Caii 4.	Caii 4.	
285.	Carinus August. 3. ex Fastis Idacij. Deinde Diocletianus Augustus 2. & Aristobulus.	Diocletiani 1, & 2.	Caii 5.	Caii 5.	
286.	M. Iunius Maximus 2. Vettius Aquilinus.	Diocletiani 2. & 3. In Socium assumitur Maximianus.	Caii 6.	Caii 6.	Caii 3. & 4.
287.	Diocletianus Aug. 3. Maximianus Herculius August. 2.	Diocletiani 3. & 4. Maximiani 1. & 2.	Caii 7.	Caii 7.	Caii 4. & 5.
288.	M. Aurelius Maximus 2. Pomponius Ianuarius.	Diocletiani 4. & 5. Maximiani 2, & 3.	Caii 8.	Caii 8.	Caii 5. & 6.

Pon-

Pontifices juxtà secundum Catalogum saculi sexti.	*Pontifices iuxtà 3. Catalogum saculi octavi nunquam anteà editum.*	*Pont. iuxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices iuxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices iuxtà Petaviũ & Labbeum.*
vos quatuordecim, Diaconos quinque, Episcopos per loca novem, qui & sepultus est in Cœmeterio Callisti Viâ Appiâ vj. Kalend. Augusti, & cessavit Episcopatus dies . T[e]mpus Sedis ab anno 275. ad 283. ita Henschenius in notis,	*diem j. Hic constituit ut fruges super altare Fabam & Uvam benedici. Hic ordenavit Epis. ix. Presb. xiiij. dies x.*	Eutych. 3.	Eutych. 3. Manes auctor Manicheorum hæresim spargit impudenda eorũ figmẽta narrat Aug. hær. 46. & addit ab eis negari hominem esse liberi Arbitrij docẽt carnem & vinum esse res immũdas, & animas migrare de corpore in corpus	Eutych. 3.
		Eutych. 4.		Eutych. 4.
	Caius natione Dalmata ex genere Diocletiani ex Patre Gaio. Sedit an. xj. mens. iij. dies xij. Hic ordines Ecclesiasticos disposuit. Hic ordinavit Episc. v. Presb. xxviij. *Diac.* viij.	Eutych. 5.		Eutych. 5.
		Eutych. 6.		Eutych. 6.
		Eutych. 7.		Eutych. 7.
	Caii 6.	Eutych. 8.		Eutych. 8.
Caius natione Dalmata & ex genere Diocletiani Imperatoris ex Patre Gaio. Sedit annos undecim, menses quatuor, dies duodecim. Fuit temporibus Cari & Carini ex die xv. Kalend. Ianuarij, à Consulatu Cari ij. .... Hic fugit persecutionem Diocletiani in Cryptis habitans, & Confessor quievit. Hic fecit ordinationes quatuor per mensem Decemb. Presbyteros sedecim. Diaconos septem, Episcopos per loca quinque: sepultus est in Cœmeterio Callisti Viâ Appiâ x. Kalend. Maij. Cessavit Episcopatus dies undecim.	Caii 7.	Caius fit Pontifex anno 283.	Caius iuxtà Baron. fit Pontifex.	Eutychianus obit 8. Decemb. & 17. Decembris fit Pontifex Caius.
	Caii 8.	Caii 1. & 2.	Caius fit Pontifex iuxtà Bell.	Caii 1. & 2. Arnobius floret sub Dioclet.
	Caii 9.	Caii 2. & 3.	Caii 2. & 3.	Caii 2. & 3.
	Caii 10.	Caii 3. & 4.	Caii 3. & 4.	Caii 3. & 4.
Notat Henschenius: *Sedit hic à die* x. *Decembris anni* CCLXXXIII. *usque ad* XXII. *Aprilis anni* CCXCVI.	Caii 11.	Caii 4. & 5.	Cail 4. & 5.	Caii 4. & 5.
	Marcellinus natione Romanus ex Patre Procello. Sedit an. ix. mens. iiij. dies vj.	Cail 5. & 6.	Caii 5. & 6.	Caii 5. & 6.

Observata varia.

*s Hos duos Consules Probum & Paulinum de fastis eraserat Onuphrius videns se æram vulgarem uno ann. prævenisse, idemque in Imperatore Probo egit ei auferens annum unum, cui & Baronius abstulit annos duos, idque ut initium Diocletiani in æram 284. incideret tanto securius circa annos Probi defectus suos corrigẽtes, quanto magis circa Probi Imperatoris annos variabant antiqui, inter quos Vopiscus ei tribuit annos dumtaxat 5. at 6. annos & menses aliquot tribuunt Eusebius in Chronico, Cassiodorus, Idacius, Eutropius, Victor Scoticus &c. Cum Iuliano in Cæsaribus existimat Petavius parte 2. lib. 4. cap. 9. assignãdos Probo annos 7. & addit: *ex hac dissensione corrigendi sue erroris ansam Chronologi quidam acceperunt. Qui cum biennio hactenus, uno vi deerrassent anno & hic versuram facere coacti sunt.*

*r Hic incipit æra Diocletiani seu martyrum Alexandrinorum à qua fideles annos suos numerabant usque ad Dionysium Exiguum. Sicque D. Ambrosius epist. ad Æmiliæ Episcopos annum Christi 377. quo luna 14. in 5. idus April. & diem Dominicam Incidebat vocat *nonagesimum tertium a die Imperij Diocletiani.* Detractus 93. à 377. residui menent 284. habet plura Dionys. Petavius, quibus hoc probet, signãter Chronicon Alexandrinum quod docet: Carino 2.

Mar-

i 2

&

Æra Vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Pontifices juxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.*	*Pontifices juxtà Chronicon S. Prosperi.*	*Pontifices iuxtà antiquiorem Catalogum sæculi quarti.*
289.	Annius Bassus 2. L. Ragonius Quintianus.	Diocletiani 5. & 6. Maximiani 3. & 4.	Caii 9.	Caii 9.	Caii 6. & 7.
290.	Diocletianus 4. Maximianus 3.	Diocletiani 6. & 7. Maximiani 4. & 5.	Caii 10.	Caii 10.	Caii 7. & 8.
291.	C. Iunius Tiberianus 2. Cassius Dio.	Diocletiani 7. & 8. Maximiani 5. & 6.	Caii 11.	Caii 11.	Caii 8. & 9.
292.	Afranius Annibalianus, M. Aurelius Asclepiodotus.	Diocletiani 8. & 9. Maximiani 6. & 7.	Caii 12.	Caii 12.	Caii 9. & 10.
293.	Diocletianus 5. Maximianus 4.	Dioclet. 9. & 10. Maxim. 7. & 8.	Caii 13.	Caii 13.	Caii 10. & 11.
294.	Constantius Chlorus, Galerius Maximianus Cæsares.	Dioclet. 10. & 11. Maxim. 8. & 9.	Caii 14.	Caii 14.	Caii 11. & 12.
295.	Nummius Tuscus, Annius Cornelius Anulinus.	Dioclet. 11. & 12. Maxim. 9. & 10.	Caii 15.	Tusco & Anulino. *Roma xxviij. Episcopatum suscepit Marcellinus annis ix.*	Caii 12. & 13.
296.	Diocletianus 6. Constantius Clorus 2.	Dioclet. 12. & 13. Maxim. 10. & 11.	Dioclet. 12. *Romana Ecclesia 28. Episcopatum suscepit Marcellinus an. 9.*		xxx. S. Marcellinus. *Marcellinus annis octo, mensibus tribus, diebus viginti quinque. Fuit temporibus Diocletiani & Maximiani ex die pridie Kalendas Iulias à Consulibus Diocletiano vj. & Constantio ij. usque in Consulatum Diocletiani ix. & Maximiani viij. quo tempore fuit persecutio & cessavit Episcopatus annos iv. mensibus sex, diebus vigintiquinque.*
297.	Maximianus Augustus 5. Galerius Armentarius Cæsar 2.	Dioclet. 13. & 14. Maxim. 11. & 12.		Marcellini 3.	
298.	Anicius Faustus 2. Severus Gallus.	Dioclet 14. & 15. Maxim. 12. & 13.	Marcellini 3.	Marcellini 4.	
299.	Diocletianus 7. Maximianus 6.	Dioclet. 15. & 16. Maxim. 13. & 14.	Marcellini 4. Diocletiani 16. *Venturius Magister militia Christianos milites persequitur paulatim ex illo iam tempore persecutionem adversum nos incipiente.*	Marcellini 5. *Diocletiano 7. & Maximiano 6. Nona persecutio 19. anno Diocletiani mense Martij in diebus Pascha Ecclesia subversa sunt.*	
300.	Constantius Chlorus 3. Galerius Maximianus 3. Cæsares.	Dioclet. 16. & 17. Maxim. 14. & 15.			
301.	Postumius Titianus 2. Fl. Popilius Nepotianus.	Dioclet. 17. & 18. Maxim. 15. & 16.			Marcellini 6.
302.	Constantius Chlorus 4. Galerius Maximianus 4. Cæsares.	Dioclet. 18. & 19. Maxim. 16. & 17.	*v Marcellini 7. *Decimo nono anno Diocletiani: mense Martio in die-*	Marcellini 8.	Marcellini 7.

Pontifices iuxtà secundum Catalogum sæculi sexti.	*Pontifices iuxtà 3. Catalogum sæculi octavi nunquam antea editum.*	*Pont. iuxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices iuxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices iuxtà Petavii & Labbeum.*
	Hic ordinavit Episc. v. Presb. iiij. Diac. ij.	Caii 6. & 7.	Caii 6. & 7.	Caii 6. & 7.
	Marcellini 3.	Caii 7. & 8.	Caii 7. & 8.	Caii 7. & 8.
	Marcellini 4.	Caii 8. & 9.	Caii 8. & 9.	Caii 8. & 9.
	Marcellini 5.	Caii 9. & 10.	Caii 9. & 10.	Caii 9. & 10.
	Marcellini 6.	Caii 10. & 11.	Caii 10. & 11.	Caii 10. & 11.
	Marcellini 7.	Caii 11. & 12.	Caii 11. & 12.	Caii 11. & 12.
	Marcellini 8.	Caii 12. & 13.	Caii 12. & 13.	Caii 12. & 13.
Marcellinus natione Romanus, ex Patre Proiecto, sedit annos octo, menses quatuor, dies quindecim. Fuit temporibus Diocletiani & Maximiani, ex die Kalend. Iunij à Consulatu Diocletiani v. & Constantij ij. usque Diocletiani viij. & Maximiani viij. quo tempore fuit persecutio magna, ita ut infrà triginta dies, quindecim millia hominum promiscui sexus, per diversas Provincias, martyrio coronarentur. De qua re ipse Marcellinus ad sacrificium deductus est, ut thurificaret, quod & fecit: & post paucos dies pœnitentiâ ductus ab eodem Diocletiano propter fidem Christi cum Claudio & Quirino & Antonino capite sunt truncati & martyrio coronantur, iacuerunt corpora sancta in plateâ dies 25. iussu Diocletiani, ubi Marcellus Presbyter noctu collegit	Marcellini 9.	Marcellinus fit Pontifex anno 296.	Caius obit & succedit Marcellinus.	Caius obit 22. Aprilis & succedit Marcellinus 3. Maij
	Marcellus natione Romanus, ex Patre Benedicto de regione Viâ Latâ, sedit an. v. mens. vij. dies xxi. Hic constituit titulos in urbe Roma propter Baptismum & pœnitentiam. Hic ordinavit Presbyt. xij. Diac. ij.	Marcellini 3.	Marcellini 3.	Marcellini 3.
		Marcellini 4.	Marcellini 4.	Marcellini 4.
	Marcelli 4.	Marcellini 5.	Marcellini 5.	Marcellini 5. Floruit his temporibus Lactâtius Arnobij discipulus.
	Marcelli 5.	Marcellini 6.	Marcellini 6.	
	Marcellus obit.	Marcellini 7.	Marcellini 7.	Marcellini 7.

Observata varia.

& Numeriano Consulibus ante diem 15. Kal. Octob. Chalcedone renuntiatum Imperatorem, & 5. Kal. Oct. cum purpura ingressũ esse Nicomediam. Ac demum Kal. Ianuar sequentibus Consulem processisse cum Aristobulo Collega. Addit Petavius: Consulatus Diocletiani 2. & Aristobuli est 79. ante Cõsulatum Iuliani 4. & Sallusti, ut docent Fasti omnes antiqui Idacij & Cassiodori, & quos Onuphrius & Baron. adhibuerunt idẽque quinquagesimus est ante Consulatum Optati & Paulini. Atqui Iuliani 4. & Sallustij Consulatus incidit in annum Christi 363. quo mortuo Iuliano, Iovinianus Imperare cœpit: ut & Fasti Consulares Cassiodori siculi, Idacij, & Ammianus aliique omnes historici tradunt discrepante nullo. Optatus verò & Paulinus Consules fuerunt anñ. 334. quod prætereà demonstrat solaris illa defectio, quam his Consulibus sub meridiem accidisse testatur Firmicus lib. 1. cap. 2. & deprehenditur facta 17. Iulij hora circiter meridiana in Horizonte Romano. Si igitur de annis 363. subducas annos 79 vel de 334. annos 50. utrobique residebũt an. 284. Quare sequẽs annus qui numeratur à Christo 285. Consules habuit Diocletianum 2. & Aristobolum, cui accedit Ammianus, Iulianum Augustum cũ Sallustio Privato homine Consulatum Iniisse, *quod* (inquit)

post

Æra Vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Pontifices iuxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.*	*Pontifices iuxtà Chronicon S. Prosperi.*	*Pontifices iuxtà antiquiorem Catalogum seculi quarti.*
			bus Pascha Ecclesia subversa sunt quarto autem persecutionis anno Constantinus regnare cœpit.		
303.	Diocletianus 8. Maximianus 7. Fasti Idatij. His Cõsulibus persecutio Christianorum.	Dioclet. 19. & 20. Maxim 17. & 18.	Marcellini 8. Dioclet. 19. Persecutio Christiana,	Marcellini 9. Diocletian. 8. & Maximiano 7. 2. *Anno persecutionis Diocletianus Nicomedia, Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt,*	Marcellini 8.
304.	*w Diocletianus 9. Maximianus 8. Fasti Idatij. *His Consulibus deposuerunt purpurã privati effecti Diocletianus & Maximianus.*	Diocletianus & Maximianus 1. Aprilis Imperio cedunt, & succedunt Maximianus Galerius & Constantius Chlorus.	Marcellini 9. *Secundo anno persecutionis Diocletianus Nicomedia Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt.*		Iuxtà Catalogum obit his Consulibus Marcellinus & vacat sedes reliquo anni tempore,
305.	Constantius Chlorus 5. Galerius Maxim. 5. Augusti,	Constantij & Galerij 1. & 2.	Galer. & Constant. 1. *Romæ 29. Episcopus cõstituitur Eusebius mensibus 7. post quem 30. Ecclesiam tenet Melchiades an. 4.*	Constantio 5. & Maximiano 5. *Romæ xxix. Episcopus constituitur Eusebius, post cuius septimum mẽsem 30 Ecclesiam tenet Melchiades annis tribus,*	Sedes vacat anno 2.
306.	Constantius Chlorus 6. Galerius 6. Augusti.	Galerij 2. & 3. Constantio mortuo succedit Constantinus 25. Iulij ita etiam Fasti Idacij.	Melchiadis 1. & 2.		Sedes vacat anno 3.
307.	Maximianus Herculius 9. Constantinus Augusti: seu post 6 Armentarij & Cõstantij, ut habet Idacius.		Melchiadis 2. & 3.	Melchiad. 2. & 3.	Sedes vacat anno 4.
308.	Maximianus Herculius 10. Maximianus Iovius 7. Romæ autem Maxentius eiusque Filius Romulus.	Constantini M. 2. & 3.	Constantini 3. Romanæ Ecclesiæ 31. ordinatur Episcopus Sylvester annis 22.	Melchiad. 3. & 4.	xxxj. S. Marcellus. *Marcellus anno uno, mẽsibus septem, dies viginti. Fuit temporibus Maxentij a Consulatu x. & Maximiani vij. usque post Consulatum x. & vij.*
309.	Romæ Maxentius 2. Romulus 2. Vel post Consulatum x. Max. Herculij & vij. Max. Iovij.	Constantini M. 3. & 4.	Sylvestri 2.	Melchiad. 4. & 5.	Marcelli 2.

Pon-

Pontifices juxtà secundum Catalogum sæculi sexti.	*Pontifices juxtà 3. Catalogum sæculi octavi nunquam anteà editum.*	*Pont juxtà Onnuphrium & Ant. Aug*	*Pontifices juxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices juxtà Petaviū & Labbeum.*	*Observata varia.*
gis corpora sanctorum, & sepelivit Viâ Salariâ in Cœmeterio Priscillæ, in cubiculo quod patet usque in hodiernum diem; quod ipse præceperat pœnitens, dum traheretur ad occisionem, in Crypta juxta corpus S. Crescentionis vj. Kalend. Maij. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembr. Presbyteros IV. Diacones ij. Episcopos per loca v. & cessavit Episcopatus annos sex, menses sex, dies XXV. persequente Diocletiano Christianos. Sedit ab anno 296 ad 304. ita Henschenius in notis addit sese ad 26. Aprilis probare, post eius obitum *Cessavisse Pontificatum annis quatuor,*	*Eusebius natione Græcus ex Medico sedit ann. ij. mens. j. dies iij. hujus tempore inventa est Crux Domini Nostri* IESU CHRISTI, *& Judas baptizatus est. Hic ordinavit Epis. xiiij. Presb. xiv. Diac. xiv.*	Marcellini 8. Diocletiano & Maxim. 9. persecutio & acerbissima. Vide Sulp. lib. 2. cap. 47. Marcellus fit Pontifex anno 304.	Marcellini 8. Marcellus fit Pontifex anno 304.	Marcellini 8. Marcellin. obit 26. April. & circa finem Novemb. succedit Marcellus.	*post Diocletianum & Aristobulum nullus meminerat gestum.* Ergo Imperator erat Diocletianus antequam cum Aristobulo privato homine Consulatum inierat adeoque ab æra 284. ex quibus fixa manet æra Diocletiani anno 284. & à Consulatu sequentis anni Diocletiano & Aristobulo usque ad æram primam totidem Consulum paria necessariò assignari debere. Quod si autem retrò numerando computum facias, invenies æræ initium Consulibus Caio Cæsare & Æmilio Paulo, in quo assignando Baronius annos duos, & Onuphrius ad annū unum erraverant.
	Melchiades natione Afer sedit an. iiij. Hic constituit, ut nullâ ratione die Dominica aut v. feriâ jejunijs quis de fidelibus ageret. Hic ordinavit Epis. xij. *Presb.* vij. *Diac.* v.	Marcelli 2.	Marcelli 2.	Marcelli 1, & 2.	*v Persecutio Diocletiani inchoat anno 19. Imperij: Diocletiano & Maximiniano Imperantibus inquit Sulpitius Severus lib. 2. cap. 47. acerbissima persecutio exorta, quæ per x. continuos annos plebem Dei depopulata est. Iubebantur dirui Ecclesiæ, Christianorum Bibliothecæ ignibus tradi, & Pastores cum ovibus ubique terrarum occidi.
		Marcelli 3.	Marcelli 3 Donatus initio schisma posteà hæresim condidit unde Donatiani rebaptizantes Catholicos, & in Sola Africa ac parte Donati Ecclesiam errantes.	Marcelli 2. & 3.	
	Melchiadis 3.	Marcelli 4.		Marcelli 3. & 4. Sub Constantino floruit Hosius Cordubensis.	Quid de Marcellino dicendum, alibi videre licet.
Marcellus natione Romanus ex Patre Marcello. sedit annos quatuor. Fuit temporibus à Consulatu Maxentij iv. & Maximi, usque post Consulatum. Hic fecit ordinationes per mensem Decēb. Presbyteros XXV. Diacones ij. Episcopos per loca XXj. Sepultus est in Cœmeterio Priscillæ, Viâ Salariâ, XVj. Kalend. Februarij. Cessavit Episcopatus dies viginti. Sedit ab an. 308. mense Maij ad 310. 16. Ianuar. Ita Henschenius in notis.	Melchiadis 4.	Marcelli 5.		Marcelli 4. & 5. Ab his tēporibus floruit Eusebius Cæsareensis.	Post eius martyrium sedem vacasse annis quatuor est contra cōmunem. Et Marcellum plusquam uno anno sedisse sentiunt omnes.
	Sylvester natione Romanus ex Patre Rufino sedit an. xxiij. mens. x. diem 1. Hic congregavit Epis. CCC XVIII. *& exposuerunt fidem Catholicam &*	Marcelli 6.	Marcellus obit anno 309. & Eusebius fit Pontifex.	Marcellus obit 16. Ianuar. & succedit Eusebius 5. Februar.	*w Scribit Zosimus libro 2. Histor. à *Consulatu Chilonis & Libonis, per quem Severus sæculares ludos exhibuit, usque ad Consules Diocletianum 9. Maximianum 8. annum fluxisse unum suprà centenos, ac tunc*

Euse- *Dio-*

Æra Vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Pontifices juxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.*	*Pontifices juxtà Chronicon S. Prosperi.*	*Pontifices juxtà antiquiorem Catalogum sæculi quarti.*
310.	Romæ Maxentius 3. Solus, seu 2. post Consulatum Max. Herculij 10. & Max. Iovij vij.	Constantini M. 4. & 5.	Sylvestri 3.	Anno 2. post x. & viij. Coss. *Romæ xxxj. ordinatur Episcopus Silvester annis 22*	x* xxxij. S. Eusebius. *Eusebius menses quatuor, dies sedecim à xiv. Kalend. Maias usque in diem xvj. Kalendas Septembris.* Pergit autem.
311.	Max. Armentarius, seu Iovius viij. & Licinius. Romæ autem Rufinus, & Valerianus. Aliter in libello de Præfectis urbis.	Constantini M. 5. & 6.	Sylvestri 4.	Silvestri 2.	xxxiij. S. Melchiades. *Miltiades annis tribus, mensibus sex, diebus novem, ex die sexto nonas Iulias, à Consulatu Maximiano viij. solo, quod fuit mense Septembri, Volusiano & Rufino usque in iij. idus Ianuarij Volusiano & Aniano Conss.*
312.	*2 Constantinus August. 2. Licinius Aug. 2. Fasti Idatij. *His Conss. quod est Maxentio iv solo victus & occisus Maxentius Romæ ad Pontem Milvium.*	Constantini M. 6. & 7.	Sylvestri 5. Constantini 6. Maxentius juxtà Pontem Milviũ à Constantino superatus, occiditur.	Sylvestri 3.	Melchiadis 2. & 3.
313.	*A Constantinus August. 3. Et Licinius Aug. 3. Anno 110. post Libonis & Chilonis Consulatum ut habet Sozimus libro 2.	Constantini M. 7. & 8.	Sylvestri 6.	Sylvestri 4.	Melchiadis 3. & 4.
314.	Ceionius Rufus Volusianus, Annianus.	Constantini M. 8. & 9.	Sylvestri 7.	Sylvestri 5.	Melchiades obit, & pergit Catalogus. xxxiv. S. Silvester. *Silvester annis viginti uno, mensibus undecim. Fuit temporibus Constantini à Consulatu Volusiani & Anniani, ex die pridie Kalendas Februarij, usque in diem Kalendarum Ianuariarum, Constantino & Albino Conss.*
315.	Constantinus Aug. 4. Licinius Aug. 4.	Constantini M. 9. & 10.	Sylvestri 8.	Sylvestri 6. *Constantino 4. & Licinio 4. Pax nostris à Constantino reddita.*	
316.	Fl. Rufius Sabinus, Q. Aradius Rufinus Proculus.	Constantini M. 10. & 11. Fasti Idatij. *His Conss. diem functus Diocletianus sola die iij. non. Decemb.*	Sylvestri 9.		
317.	Ovinius Gallicanus Septimius Bassus.		Sylvestri 10.	Sylvestri 8.	

Post

Pontifices juxtà secundum Catalogum sæculi sexti.	*Pontifices juxtà 3. Catalogum sæculi octavi nunquam anteà editum.*	*Pont. juxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices juxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices juxtà Petaviū & Labbeum.*	*Observata varia.*
Eusebius natione Græcus, ex Medico, sedit annos vj. mensem unum, dies tres. Fuit temporibus Constantini. Sub huius tempora inventa est sancta Crux Domini nostri IESU CHRISTI *v. nonas Maij. Hic baptizatus est Iudas Quiriacus. Hic fecit ordinationes tres, Presbyteros tredecim, Diaconos tres, Episcopos per loca quatuordecim. Hic sepultus est in Cæmeterio Callisti, Viâ Appiâ vj. nonas Octobris. Cessavit Episcopatus dies 6.*	*Chrisma ab Epis. confici, & baptizatum confirmari. Hic Dalmaticas præcepit in dus Hic sacrificium totum in lineam pannam involvi. Hic ordinavit Episc. lxv. Presbyt. xlij. Diac. xxvi.*	Eusebiua fit Pontifex anno 310,	Eusebij 2.	Eusebij 2.	*Diocletianus privatus ex Imperatore factus est.* Ex hoc loco Zosimi egregiè firmatur Chronologia Consulum & Imperatorum pro ut à nobis exhibetur, & manifestè ostenditur error Baronij, qui à Consulatu Chilonia & Libonis anno 204. usque ad Diocletianum 8. & Maximianum 9. tantum enumerat 99. Consulum paria, uti & error Onuphrij tantum enumerantis 100. paria Consulum.
Melciades natione Afer, sedit annos tres, menses sex, dies septem, ex die Non. Iulij a Consulatu Maximini viij. usque ad Maxentium ij. qui fuit mense Septembri Volusiano & Rufino Coss. Hic	Sylvestri 3.	Miltiades fit Pontifex anno 211,	Miltiades fit Pontifex anno 311.	Eusebius obit 26. Septem. & succedit Melchiadea 3. Octobris.	*x Eusebio non quatuor menses, sed duos annos tribuit tertius Catalogus à nobis publicatus & annos 2. cum 8. mensibus ex indice Cresconiano tribuit quoque Cardinalis Baronius.
constituit nulla ratione die Dominicâ aut quintâ jeiunium quis de fidelibus ageret; quia eos dies Pagani quasi sacrum jeiunium celebrabant & Manichæi inventi sunt in urbe ab eodem die. Hic fecit, ut oblationes consecrata per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.	Sylvestri 4.	Miltiadis 2.	Miltiadis 2.	Melchiadis 2.	*z Hocce anno cœperunt indictiones, quæ apud Orientales inchoabant die 1. Septemb. apud Occidentales verò die 24. Septemb. quo Constantinus Maxentium devicerat. Papales indictiones sunt tempore posteriores, & incipiebant à Kalend. Ianuarij.
Hic fecit ordinationem unam per mensem Decemb. Presbyteros quatuor, Diaconos tres, Episcopos per loca undecim: & cessavit Episcopatus dies quindecim. Sedit Melchiades juxtà Henschenium ab anno 311 ad 314.	Sylvestri 5.	Miltiadis 3.	Miltiadis obit circa finem anni.	Melchiadis 2. & 3. & moritur 10. Decēb.	*A Anno 313. coactum est Romæ sub Melchiade Papa Concilium in causa Donati. Hinc autem lucet Eusebium, Prosperum & 3. Catalogum malè hic ponere annum 4. 5. aut 6. Silvestri.
Silvester natione Romanus ex Patre Rufino sedit annos viginti tres. menses decem, dies undecim, temporibus Constantini. Et Volusiani; ex die Kalendarum Februarij, usque in diem Kalend. Ianuarij Constantio & Volusiano Consulibus Hic in exilio fuit in montem Soractem persecutione Constantini concussus. & postmodum rediens cum	Sylvestri 6.	Sylvester fit Pontifex anno 314.	*B Silvester fit Pontifex anno 314.	Silvester fit Pontifex 1. Febr.	*B Concilium Arelatense Volusiano & Anniano Coss. anno 1. Sylvest.
	Sylvestri 7.	Sylvestri 2.	Silvest. 2.	Silvest. 2	
	Sylvestri 8.	Sylvestri 3.	Sylvest. 3. Arius hæresim suā spargit negans filiū Patri con-	Silvest. 3.	*C S. Alexander Patriarcha Alexandrinus in Synodo centum ferè Episcoporum damnat Arium.
	*C Sylvestri 9.	Sylvestri 4.		Silvest. 4.	

gloria

k

*D Ho-

Æra Vulgaris.	*Consules.*	*Imperatores.*	*Pontifices iuxtà Chronicon Eusebij & Hieronymi.*	*Pontifices iuxtà Chronicon S. Prosperi.*	*Pontifices iuxtà antiquiorem Catalogum sæculi quarti.*
318.	*D Licinius Imperat. 4. Crispus Cæsar.	Constantini M. 12. & 13.	Sylvestri 11.	Sylvestri 9.	Silvestri 5.
319.	Constantinus 5. Licinius Cæsar.	Constantini M. 13. & 14.	Sylvestri 12.	Sylvestri 10.	Silvestri 6.
320.	Constantinus Imperat. 6. Constantius Cæsar.	Constantini M. 14. & 15.	Sylvestri 13. Constantini 15. *Alexandrinæ Ecclesiæ 18. Episcopus ordinatur Alexander, a quo Arius Presbyter de Ecclesia eiectus.*	Sylvestri 11.	Silvestri 7.
*E 321.	Crispus Cæsar 2. Constantius Iunior Cæsar 2.	Constantini M. 15. & 16.	Sylvestri 14.	Sylvestri 12.	Silvestri 8.
322.	Petronius Probianus. Anicius Iulianus.	Constantini M. 16. & 17.	Sylvestri 15.	Sylvestri 13.	Silvestri 9.
323.	Acilius Severus, Iunius Rufinus.	Constantini M. 17. & 18.	Sylvestri 16.	Sylvestri 14.	Silvestri 10.
324.	Crispus Cæsar 3. Constantinus Cæsar 3.	Constantini M. 18. & 19.	Sylvestri 17.	Sylvestri 15.	Silvestri 11.
325.	*F Anicius Faustus Paulinus, Publius Celonius Iulianus. Fasti Idacij. *His Consulibus occisus Licinius.*	Constantini M. 19. & 20.	Sylvestri 18. Anno Constantini 20. *Vicennalia Constantini Nicomediæ acta, & sequenti anno Romæ edita.* Et his verbis finem imponit suo Chronico Eusebius.	Sylvestri 16.	Silvestri 12.

Pon-

Pontifices juxtà secundum Catalogum sæculi sexti.

gloria baptizavit Constantinum Augustum, quem curavit Dominus pro Baptismo à leprâ. Hic fecit constitutum de omni Ecclesia. Hujus temporibus factum Concilium cum ejus consensu in Nicæâ Bithyniæ; & Congregati sunt Sacerdotes trecenti septemdecim Episcopi Catholici & quorum Chirographus cucurrit; alij imbecilles ducenti octo, qui exposuerunt fidem integram, sanctam, Catholicam & immaculatam: & damnaverunt Arium, Photinum, & Sabellium vel sequaces eorum & in urbe Roma congregavit Episcopos ducentos septuaginta septem, & damnavit Calistum, & Arium & Photinum. Et constituit ut Presbyterum Arianum non susciperet, nisi Episcopus loci designati: & Chrisma ab Episcopo confici, & Privilegium Episcopis (dedit) ut baptizatum consignent propter hæreticam suasionem hic constituit, ut nullus laicus crimen Clerico inferret. Hic constituit, ut Diaconi Dalmatica uterentur, palla linostina læva eorum tegerentur. Hic constituit, ut nullus Clericus propter causam quamlibet in curiam introiret, nec ante judicem cinctum causam diceret, nisi in Ecclesia. Hic constituit, ut sacrificium Altaris non in serico neque in panno tincto celebraretur, nisi tantum in lineo; sicut corpus Domini nostri IESU CHRISTI, *in Sindone linea sepultum est, sic missa celebraretur. Hic constituit, ut si quis desideraret in Ecclesia Militare aut proficere, ut esset lector ad annos 30. exorcista dies 30. acolythus annos 5. Subdiaconus annos 5. custos Martyrum annos 5. Diaconus annos 5. Presbyter 3. probatus ex omni parte, etiam foris, qui sunt, testimonium habere bonum, & sic ad ordinem Episcopatus ascendere. Nullum maioris vel prioris locum invadere, nisi ordinem temporum cum pudore cognosceret, omnium Clericorum votiva gratia, nullo omnino Clerico vel fideli contradicente. Hic fecit ordinationes sex per mensem Decemb. Presbyteros 44. Diaconos 36. Episcopos per loca 65. Eodem tempore fecit Constantinus Augustus Basilicam in Palatio Sessoriano, ubi etiam de ligno sancta Crucis Domini nostri* IESU CHRISTI *auro & gemmis conclusit. Eodem tempore fecit Basilicam sanctorum Marcellini Presbyteri & Petri Exorcista. Sepultus est B. Silvester Viâ Salariâ, in Cæmeterio Priscillæ, milliario tertio ab urbe Româ, pridie Kalend. Ianuarij. Cessavit Episcopatus dies octo,*

Pontifices juxtà 3. Catalogum sæculi octavi nunquam antea editum.	*Pont. juxtà Onuphrium & Ant. Aug.*	*Pontifices juxtà Baronium & Bellarm.*	*Pontifices juxta Petaviū & Labbeum.*
Sylvestri 10.	Sylvest. 5.	Sylvest. 5.	Silvest. 5.
Sylvestri 11.	Sylvest. 6.	Sylvest. 6.	Silvest. 6.
Sylvestri 12.	Sylvest. 7.	Sylvest. 7.	Silvest. 7.
Sylvestri 13.	Sylvest. 8.	Sylvest. 8.	Silvest. 8.
Sylvestri 14.	Sylvest. 9.	Sylvest. 9.	Silvest. 9. Lactantius scribit libros institutionum.
Sylvestri 15.	Sylvest. 10.	Sylvest. 10.	
Sylvestri 16.	Sylvest. 11.	Sylvest. 11.	Silvest. 11.
Sylvestri 17.	Sylvest. 12.	Sylvest. 12.	Silvest. 12.

Observata varia.

*D Hosius Cordubēsis Episcopus abit in Orientem.

*z Scribentibus Porphyrio Philosopho & Hiezocle juriiperiio Christianæ fidei hostibus sub Diocletiano Imperatore, libr. septem contra gentes edidit Arnobius, qui teste Hieronymo de Scriptoribus *Sicca apud Aphricā florentissimo Rhetoricam docuit.* Eius Discipulus fuit Lactantius Firmianus, de quo idem Hieronimus: *Hic extrema senectute magister Cæsaris Crispi, filij Constantini in Gallia fuit.* Inter plura Lactantij opera septem eius libri Institutionum cōtra gentes, quos anno 322. cōposuit & Constantino magno dedicavit.

*p Actione 2. Concilij Chalcedonēsis lecta est expositio fidei Concilij habiti in Nicæa, cum hocce preambulo: *Consulatu Paulli & Iuliani Virorum Clarissimorum Consulum anno post Alexandrum 636. mensis desij, die 19. qui est 13. Kalendarum Iuliarum in Nicea Metropoli Provinciæ Bithyniæ: credimus &c.* Ex quibus manifestum est Concilium Nicꝛnum his Consulibus fuisse celebratum, uti consonat vetustissima Cresconiana collectio: *Factum est Concilium apud Nicæam Metropolim Bithyniæ à die* xviij. *Kalendarum Iuliarum quod tenuit usque ad diem* viij. *Kalendarum Septembris, Paulino & Iuliano Consulibus.* Ex quibus corrigendi tum qui Synodum in alium annum ielicluni, tum qui plures ei annos iiboun.

Hic

Hic finem imposuimus Chronotaxi Romanorum Pontificum, quod res Ecclesiasticas solummodò illustrandas susceperimus, quæ factæ sunt ab initio Nascentis Ecclesię usque ad initium Florescentis sub Constantino Imperatore, quia tamen prioris & antiquioris Catalogi restant pauci Pontifices, lubet eum hic integrè annectere.

35. S. Marcus.

Marcus menses 8. dies 20. fuit temporibus Constantini, Nepotiano & Facundo Consulibus; ex die 15. Kalend. Februarij usque in diem nonarum Octobrium, Consulibus suprà prædictis.

36. S. Iulius.

Iulius annos quindecim, menses duos, dies sex. Fuit temporibus Constantis, à Consulatu Feliciani & Titiani, ex die 8. idus Februarij, in diem pridie idus Aprilis, Constantio 5. & Constantio Cæsare Consulibus. Hic multas Fabricas fecit, Basilicam in viâ Portuensi, milliario 3. Basilicam in viâ flaminiâ milliario 2. quæ vocatur Valentini; Basilicam Iuliam, quæ est regione 7. iuxtà forum Divi Traiani; Basilicam trans-Tiberim, regione 14. iuxtà Callistum; Basilicam in viâ Aureliâ milliario 3. ad Callistum.

37. S. Liberius.

Liberius fuit temporibus Constantij, ex die xj. Kalendas Iunias in diem . . . . à Consulibus Constantio 5. & Constantio Cæsare.

Finis antiquioris Catalogi.

ANTIQUITATIS ILLVSTRATÆ

PARS PRIMA.

DE INSTITVTIONE ECCLESIARVM

Per Chriſtum & Apoſtolos facta:

Vbi Primatus Petri in univerſi orbis Eccleſia, & Patriarchatus Occidentis dilucidè exponuntur, non neglectâ inſuper aliarum Eccleſiarum Inſtitutione.

DISSERTATIO I.
DE
Institutione regiminis Ecclesiastici.
CAPUT I.
Institutio regiminis Monarchici facta per Christum Dominum,

1. *Ante sæculum decimum quintum Occidentem universum fuisse labii unius circa primatum Romani Pontificis, eumque per VViclef & Hus impugnari cœptum, quod per cæteros hæreticos imitatum.*
2. *In vanum illos impugnare primatum, quem Christus Petro promisit Matthei 16. & Ioan. 21. instituit.*
3. *Non frustrà illum ulterius probari ostenditur, cum novis objectionibus primatum Petri indirectè deiicientibus noviter debeat obsisti.*
4. *Probatur itaque primò ex Conciliis Niceno 1. Chalcedonensi, & Synodo 7.*
5. *Secundò ex Romanis Pontificibus Bonifacio I. Cælestino, Leone I. Gregorio Magno, Adriano I. Nicolao I. & Innocentio III.*
6. *Tertiò ex Patribus: Ireneo, Origine, Tertulliano, Cypriano, Eusebio Cæsareensi, Basilio, Cyrillo Hierosolymitano, Eusebio Emeseno, Ambrosio, Hieronymo, Chrysostomo, Augustino, Prospero, Theodoreto, Vincentio Lirinensi, & Isidoro Pelusiota.*
7. *Demum ex aliis, quorum plures subsequentibus sæculis floruerunt Cassiodorus &c.*
8. *Sorbonam Parisiensem non repugnare Monarchiæ Ecclesiasticæ, quin imò contrarium illi immeritò affingi, stabilitur ex censura in Spalatensem, & Petri Alliaci, ac Gersonis testimoniis.*
9. *Etiam concilia constantiense cum Martino V. Florentinum, & Basileense difficillimis temporibus Monarchicum regimen definisse & approbasse.*
10. *Idque, ne de voce quæstio moveretur, in terminis probasse Sorbonam Parisiensem duobus in decretis.*

1. PErsuasum erat contra Orientis Schismaticos Occidenti universo, unum à Christo institutum Apostolorum Principem Petrum, qui in Successoribus suis Romanæ Ecclesiæ Pontificibus usque ad finem sæculorum universæ totius Orbis præsideret Ecclesiæ: dici poterat de Occidentis Provinciis, quod olim de filiis Adæ testatum reliquerat organum Spiritus sancti: *erat populus labii unius*, cum infelicia schismatum

tempora (quibus Concilium Constantiense pro indubitati unius Pontificis fætu labores parturientis subibat) linguarum Confusionem introducere cœperint, ex qua Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Mater & Magistra audiebatur synagoga satanæ, eius Episcopus non immediatus Christi Vicarius, & primus eius Pontifex Petrus membrum dumtaxat, non caput Ecclesiæ Catholicæ. Hosce conceptos diabolici seminis errores hæreticorum antesignani Wiclefus & Hus primo effutierant sæculo 15., quos subindè secuti sæculo præcedenti Lutherus & Calvinus cum magna fidelium strage Romani Pontificis primatum oppugnare perrexerunt, usque adeò, ut Christi in terris vicarium pro Antichristo traduxerint, & omnium hæreticorum sectis, licet in millenis aliis dissentiant, sibi sociatis, communi sed abominando pœnitus consilio quotidiè oppugnare numquam cessarint.

2. Verum, quam durum sit contra stimulum calcitrare, in Scripturis æterna Veritas edocuit. *Ferebatur* olim *Spiritus super aquas*, ut totius mundi machinam ordinaret: at non minus sapientia Patris hominem induta ferebatur per mundum, ut totam fidelium ordinaret Ecclesiam: sciebat instar templi, quod à fundamento sustentatur, ædificandam, & hinc elegit fundamentum spirituale, quod regimine suo totius Ecclesiæ sustentaret ædificium. Regnum parabat instituere, & hinc uni supremos regni claves promittit, ut clavium Symbolo Ecclesiæ principatum ipsi innueret committendum: *Et Ego dico tibi* (inquit Christus Matthæi 16. ad Petrum) *quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo Claves Regni Cælorum. Petro* (inquit D. Hieronymus libro 3. comment.) *illa benedictio, & potestas, & beatitudo, & ædificatio super eum Ecclesiæ in futuro promissa, non in præsenti data est.* Enimverò promissio Christi tantum impleta est post resurrectionem, quando suos relicturus in terris, antequam ad Patrem ascenderet, unum Petrum ordinarium Ecclesiæ suæ præfecit vicarium, *pasce* (inquiens Joannis 21.) *agnos meos, pasce oves meas.*

Matth. 16. *Tu es Petrus*

D. Hieron.

Ioan. 21. *Pasce agnos meos.*

3. Frustraneum alicui videbitur post innumera doctissimorum virorum scripta, Petri successorumque primatum à Christo institutum ex veterum testimoniis evincere, sed hoc habet sæculum nostrum infelicitatis, ut centies dicta contra noviter opposita cogamur repetere. Non contentus inimicus Homo in Zizaniis hæresum, ipsum quoque agrum dominicum ingressus errores suos sparsit, & corda filiorum contra patrem pervertere studuit, nunc effingens biceps Ecclesiæ caput, nunc abju-

abiudicans cuncta Sacræ Scripturæ loca Petri primatum indicantia, nunc demum monarchicum Ecclesiæ regimen in aristocraticum demutans. Et hi sunt potissimũ errores nostri sæculi tanto periculosiores, quanto minus directè Petri primatum oppugnantes, qui à Catholicis quandoque prolati incautè obtruduntur fidelibus: contra hos indiget Ecclesia defensore, & sedes Apostolica veritatis vindice, quorum licet ego omnium minimus hoc capite partes agam, hoc tamen non operose probando, sed antiquitatis certiora aliquot monumenta dumtaxat proferendo agere studebo, post laudata Sacræ Scripturæ loca subnectens auctoritatem Conciliorum, Romanorum Pontificum, Sanctorum Patrum, Doctorum præcipuè Parisiensium, & inter Universitates Orbis Catholici ipsius Sorbonæ, de qua immeritò ab aliquibus dubitatum fuit.

4. Ac primò quidem Concilia hoc ipsum propugnasse, fidem facit sacrosanctum Nicenum generale primum canone 6. *Romana Ecclesia semper habuit primatum.* Hæc enim verba esse Niceni concilii, suo loco probabitur, & consentit Concilium Chalcedonense generale 4. actione 16. *perpendimus omnem primatum & honorem præcipuum, secundum Canones antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conservari.* Quæ duo celeberrimorum Conciliorum testimonia vel sola sufficerent ad demonstrandum Romani Pontificis primatum à Christo in Petro institutum, quod adeò clarè approbavit Synodus generalis 7. in epistola Adriani primi ad Tharasium Patriarcham Constantinopolitanum lecta actione 2., ut verba solum lectione indigeant: *cuius Sedes per totum Terrarum Orbem primatum obtinens lucet, omniumque Ecclesiarum Dei caput existit; undè & ipse B. Petrus Apostolus Dei jussu Ecclesiam pascens, nihil omnino prætermisit, sed ubique principatum obtinuit, & obtinet &c.*

Concil. Nicen.

Concil. Calcedon.

Synodus 7.

Secundò testimonia Romanorum Pontificum idem sonant: Bonifacii Papæ primi Epistola inter Holstenianas 7. ad Rufum Thessalonicensem: Petrus, *Pastor dominicarum ovium est perpetuò constitutus .... in quo universalis Ecclesiæ positum legimus fundamentum.* Cælestinus ad universos Episcopos per illyricum constitutos, apud Lucam Holstenium epistola 13.: *nosque præcipuè circa omnes cura constringimur, quibus necessitatem de omnibus tractandi Christus in Sancto Petro Apostolo, cum illi claves aperiendi, claudendique daret, indulsit: & inter Apostolos suos non qui altero esset inferior, sed eum maximè, qui esset primus, legit.* Philippus Cælestini legatus in concilio generali 3. actione 3.: *nulli dubium imò sæculis omnibus notum est, sanctum beatissimumque Petrum Apostolorum Principem & Caput, fideique columnam,*

Bonifac. I.

Cælestinus

Philippus Cælestini legatus in Synodo 3.

Ecclesiæ Catholicæ fundamentum à Domino Iesu Christo Salvatore nostro, humaniq̃ue generis Redemptore cælestis regni claves accepisse, solvendique atque ligandi potestate, quam acceperat, usum fuisse, nec non per Successores suos huc usque semper vivere, causasque decernere. Huius itaque Successor, & locum tenens &c.

Leo. I. Leo magnus sermone 3. de sua ad Pontificatum assumptione: *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* D. Gregorius magnus libro 4. regest. epistola 75.: *cunctis enim Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica Sancto & omnium Apostolorum Petro Principi Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est, ipsi quippe dicitur: tu es Petrus &c.* Adrianus primus in fragmento epistolæ ad Constantinum Imperatorem, & Irenem eius matrem ex Anastasio Bibliothecario tomis Conciliorum ante Synodum 7. inserto: *in orbe terrarum ab ipso Redemptore Mundi Beato Petro Apostolo Principatus ac Potestas data est.* Nicolaus Primus apud Gratianum 17. quæst. 1.: *Romanum Ecclesiæ primatum munere in Beato Petro Apostolo divinitus collatum.* Demum ut finiam, Innocentius 3. epistola ad Patriarcham Constantinopolitanum: *Deus oves suas pascendas vocabulo tertio repetito commisit* (nimirum Petro) *ut alienus à grege dominico censeatur, qui eum etiam in Successoribus suis noluerit habere pastorem, non enim inter has & illas distinxit, sed simpliciter dixit: pasce oves meas, ut omnes omnino intelligerentur ei esse commissæ.*

Gregorius Magnus. Adrian. I. Nicol. I. Innocentius III.

6. Tertiò testimonia Patrum, ex quibus per traditionem indefessam huc usque hæc veritas emicat: B. Ireneus Lugdunensis in Gallia Episcopus sæculo 2. circa annum 178. libro 3. cap. 3. loquens de Romana Ecclesia Apostolorum Petri & Pauli doctrinis fundata: *ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam.*

Irineus.

Origenes. Sæculo 3. Origenes Presbyter Alexandrinus in epistolam ad Romanos ex antiqua Rufini interpretatione: *Petro summa rerum de pascendis ovibus à Christo tradita est.* Idem licet in hæresim lapsus sufficenter scribit Tertullianus Carthaginensis in Africa Presbyter libro de Pudicitia contra Zephyrinum Papam, ubi fatetur Romanum Pontificem à fidelibus tunc temporis nuncupatum fuisse, *Pontificem maximum & Episcoporum Episcopum.* Idem in Concilio Carthaginensi habet D. Cyprianus Carthaginensis Episcopus & totius Africæ primas, qui & in libro de unitate expresè testatur: *primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia & Cathedra una monstretur.*

Tertullian. Cyprianus

Eusebius Cæsare. Sæculo 4. Eusebius Cæsareensis in Palestina Episcopus ad annum

44. *in*

44. in Chronico: *Petrus natione Galilæus Christianorum Pontifex.* D. Basilius Cæsareæ Capadociæ Episcopus homilia de judicio Dei: *beatus Petrus ille omnibus prælatus, solus præ cæteris honorifico testimonio ac beatificatione insignitus, ille qui regni cælorum claves accepit.* S. Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus in Cathechesi 2. 11. & 17.: *Supremum omnium Caput, & Præses Apostolorum, Ecclesiæ summus præco, regni cælorum claviger.* Eusebius Episcopus Emesenus Sermone de nativitate Ioannis Evangelistæ: *Prius agnos deinde oves ei commisit, quia non solum pastorem sed pastorem pastorum eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oves, pascit filios, pascit & matres: regit & subditos & prælatos: omnium igitur pastor est, quia præter agnos & oves in Ecclesia nihil est.* D. Ambrosius in caput 24. Lucæ: *Quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.* Et hæc quidem de Petro S. Ambrosius: de Petri vero Successore scribit in caput 3. primæ ad Timotheum: *Cum totus mundus Dei sit, tamen domus eius Ecclesia dicitur, cuius hodie rector est Damasus.* D. Hieronymus presbyter Stridoniensis, libro 1. contra Iovinianum: *Inter omnes unus eligitur, ut Capite constituto Schismatis tolleretur occasio.*

Basilius. Cyrillus Hierosol. Ambros. Hieron.

Sæculo 5. D. Ioannes Chrysostomus Episcopus Constantinopolitanus homilia 80. ad populum, de Petro: *Ei per totum orbem terrarum Ecclesiæ præsidentiam tradidit.* Et homilia 55. in cap. 16. Matthei: Petrum, *universo terrarum orbi Christus præposuit.* Eamdem in B. Innocentio primo Petri Successore potestatem agnovit idem Orientalis Ecclesiæ lumen: cui consonat D. Augustinus Hipponensis in Africa antistes Sermone 49. de verbis Domini: *In Petro uno Christus firmat* (vel ut alius codex) *format Ecclesiam:* Et epist. 162. *In Romana Ecclesia semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus.* Prosper Aquitanicus Regiensis in Gallia Episcopus libro de ingratis: *Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris facta caput mundo, quidquid non possidet armis, religione tenet.* Theodoretus Cyrensis Episcopus epistola ad Renatum presbyterum Romanum, de Sede Romana: *Tenet enim ista sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum.* Vincentius Lyrinensis in suo commentario Romanos Pontifices vocans in terminis: *caput orbis*: Quibus addo Isidorum Pelusiotam D. Cyrilli Alexandrini contemporaneum lib. 1. epistola 142. ad Ironem vocans: Petrum, *Discipulorum Sodalitii Principem.* Et addi possent Socrates, Zosomenus, aliique quamplures, quos brevitatis studio omittimus, & susius videri possunt in progressu operis.

Chrysost. Augustin. S. Prosper Theodor. Vincent. Lyrinensis Isidor. Pelusiota.

7. Ex omni ætate præcedentibus accedunt Cassiodorus libro 2. epist. 2. ad Joannem Papam: *Vos speculatores Christiano Populo præsidetis.* S. Germanus

Cassiodor.

manus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoria Mystagogica, tomo 2. Bibliothecæ Græcorum Patrum: *Duodecim lapides Apostoli. Petra Apostolus, Christi Archierarcha seu Hierarcharum Princeps.* S. Isidorus Hispalensis Episcopus Divinorum Officiorum libro 2. cap. 5. *In novo Testamento post Christum Sacerdotalis ordo à Petro Apostolo cœpit; ipsi enim primus datus est Pontificatus in Ecclesia Christi, sic enim loquitur ad eum Dominus: tu es Petrus,* &c. S. Asterius Amaseæ Episcopus oratione in Apostolos Petrum & Paulum: *Cum ergo Salvator sponte assumpta morte humanum genus sanctificaturus esset, seu peculiare quoddam depositum ac peculium universalem in toto orbe diffusam viro huic commendat Ecclesiam, ubi tertiò interrogasset, amas me? eumque is alacritate singulis interrogationibus totidem professiones adiecisset, mundi curam accepit, velut unum gregem unus pastor, quibus audivit: Pasce agnos meos: ferèque suo loco dedit Dominus fidelissimum Discipulum in patrem, pastoremque & magistrum iis, qui accessuri ad fidem.* Beda Presbyter venerabilis homilia de S. Petro & Paulo: Petrus *principatum judiciariæ potestatis accepit.* Et libro 2. historiæ gentis Anglorum cap. 1. de Gregorio Magno: *Cum primum in toto orbe gereret Pontificatum, & conversis jam dudum ad fidem veritatis esset prælatus Ecclesiis.* Theophilactus in caput ultimum Joannis: *Finito prandio præfecturam ovium totius mundi Petro commendabat.* Theophanes Archiepiscopus Tauromenitanus homilia 55. nominans Petrum verticem Discipulorum, cui Christus impertitus est: *Potestatem ligandi solvendique rationalibus cum ovibus pastorem supremum præficiens.* Hincmarus Metropolita Remensis apud Flodoardum lib. 3. Historiæ Remensis, cap. 3. in epistola ad Nicolaum primum: *Sicut Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarum & universi qui habitant in eo, & ipsius est Regnum & cui voluerit dabit illud: ita ipse supra fundamentum Apostolicæ Petræ suam fundavit Ecclesiam, quam & ante passionem, & post resurrectionem suam speciali cura & singulari privilegio B. Petro & in illo suis commisit vicariis.* B. Lantfrancus Cantuariensis in Anglia Episcopus epistola 2. *Vniversæ Christi Ecclesiæ summo rectori Alexandro.* B. Anselmus Lantfranci in sede Cantuariensi anno 1093. Successor libro de Incarnatione verbi, cap. 1. in Dedicatione Operis: *Domino & Patri universæ Ecclesiæ in terra peregrinantis, summo Pontifici Vrbano, frater Anselmus vita peccator, habitu monachus* &c. D. Petrus Damianus Sermone 15.: *Super cunctum mox ovium suarum gregem ei vice sua passionis custodiam delegavit, Petre, inquit, diligis me, pasce oves meas.* Hugo de S. Victore libro 2. de Sacramentis, parte 3. cap. 15. *Apostolica Sedes cunctis in orbe terrarum præfertur Ecclesiis.* D. Bernardus lib. 2. ad Eugenium 3. cap. 3. *Nec modo ovium, sed & pastorum tu unus omnium pastor. Vnde id probem, quæris? ex verbo*

S.German. | Isidor. hisp. | S.Asterius. | Beda. | Theophilact. | Theophan. | Hincmar. Remen. | Lantfranc. | Anselmus. | Petrus Damianus | Hugo de S. Victore. | S.Bernard.

verbo Domini : cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolutè & indiscretè tota commissæ sunt oves? Si me amas Petre, pasce oves meas? Burchardus Wormatiensis Episcopus initio decreti: *in Novo Testamento post Christum Dominum nostrum à Petro Sacerdotalis cœpit ordo, quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia Christi datus est dicente Domino ad eum: tu es Petrus &c. atque hoc Privilegium B. Clavigero Petro sua vice solummodò commisit, quod eius justè prærogativum successit sedi, futuris hæreditarium atque tenendum temporibus;* Hic sisto, & centena Patrum transiens testimonia concludo cum illo Gennadij Patriarchæ Constantinopolitani pro defensione Concilij Florentini ita Græcos Schismaticos alloquentis: *Hoc profectò nescio, quomodo quis inficiari possit, cum apertissimè Christus, & omnes Doctores manifestius, quam vel si tonitruum personarent, hoc ipsum vociferentur.*

Burchardus.

Gennadius

8. Post tot illustria antiquitatis testimonia mirum videri posset, si de Petri primatu singulari, vel regimine Monarchico per Christum in Ecclesia instituto aut scrupulus hæreat: ex illis profectò videre licet, non immeritò fideles universos successorem Petri pro tempore existentem venerari solitos ut supremum Ecclesiæ Principem, & Universitates omnes eum defendere Monarcham spiritualem, quem titulum ei nuperrimè auferre conatus est auctor libelli Gallicè editi anno 1666. cum hocce titulo: *Recueil de diverses pieces concernant les censures de la Faculté de Theologie de Paris.* Folio enim 66. censuram Sorbonæ defendit ex hocce principio, quod Pontificia authoritas non sit Monarchica: *Et que son authorité n'est pas Monarchique.* Neque novum est, hanc sententiam affingi Sorbonæ Parisiensi, illud iam ab anno 1617. attribuerat eidem sacræ Facultati Marcus Antonius de Dominis Spalatensis Ex-episcopus, „ qui libro 4. cap. 7. n. 9. „ Schola itaque Parisiensis & nostra est, & „ reipsa studet Aristocraticæ, non Monarchicæ: quare ex eius quoque „ Doctrina Papatus nullo potest solido fundamento subsistere; „ Verum quam injuriosum hoc erat sacræ Facultati Parisiensi, ipsamet eodem anno, 15. Decembris Orbi Catholico manifestavit, quando inter alias Spalatensis propositiones laudatam ex libr. 4. capitis 6. n. 9. hac censurâ innodavit: *mera contra Facultatem Parisiensem impostura.* Hoc vero non immeritò asseri, lucet ex præcipuis suis Doctoribus, qui quantumlibet schismatum temporibus vigentes authoritati Pontificiæ derogare studuerint, Monarchiam tamen Ecclesiasticam ut indubitatam propugnarunt, sic Petrus Alliacus Doctor Parisiensis quest. Vesperiarum, l. in „ declaratione conclusionis primæ: „ tam Christus quàm ejus Vicarius „ Petrus, in quantum caput Ecclesiæ, habuit Monarchiam spiritualem.„

Censura Sorbonæ in Spalatensem.

Petrus Alliacus.

Deinde Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis Tractatu de Auferibilitate Papæ consideratione 8.„Ecclesia in uno Monarcha supremo „ per universum fundata est à Christo. „

Ioan. Gerson.

9. Interfuit verò Cancellarius ille Facultatis Parisiensis sacro Constantiensi Concilio, in quo dum lecti fuissent & examinati articuli Joannis Wiclefi & Hus, Sessione 8. damnatus est articulus 37. Wiclefi: *Nec Papa est immediatus Vicarius Christi & Apostolorum*; & Sessione 15. reprobatus articulus 7. Joannis Hus: *Petrus non fuit, neque est caput Ecclesiæ sanctæ Catholicæ.* Istorum aliorumque articulorum condemnationem totius Occidentis & Gallicanæ Ecclesiæ latam judicio à Constantiensi electus Pontifex Martinus V. Bullâ specialiter editâ confirmavit, addens interrogatorium pro iis, qui ad Ecclesiæ Catholicæ gremium revertuntur: *utrùm credat, quod B. Petrus fuerit Vicarius Christi habens potestatem ligandi & solvendi super terram. Item utrùm credat, quod Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit Vicarius Christi habens supremam potestatem in Ecclesia Dei? utrùm credat*, ponit Martinus quintus, quia supremam Romani Pontificis in Ecclesia potestatem fidei existimabat, unde & Sacrosanctum Florentinum Concilium decreto fidei eam inseruit, cui, ne quis somniaret, Ecclesiam Gallicanam cum Basiliensi Concilio restitisse, præstò nobis est ipsum Basiliense Concilium in epistola synodali responsoria ad orationem Archiepiscopi Tarentini, de qua: *Latè explicat jurisdictionem & potestatem Summi Pontificis, quod caput sit & primas Ecclesiæ, Vicarius Christi, & à Christo non ab hominibus vel Synodis aliis Prælatus, & Pastor Christianorum: & ei datæ sunt à Domino claves, & uni dictum est*, tu es Petrus, *& solus in plenitudinem potestatis vocatus sit, alii in partem sollicitudinis, & multa hujusmodi, quæ cum vulgatissima sint, minimè necessarium erat recensere. Ista planè fatemur & credimus, operamque in hoc sacro Concilio dare intendimus, ut omnes eamdem sententiam credant.* Extat Synodalis ista responsio tomo 12. Conciliorum Philippi Labbei, cui consonat Sorbona Parisiensis in variis decretis, signanter dum Lutheranis circa annum 1535. professionem fidei Francisco primo offerentibus ad instantiam Regis reposuit: *an velint confiteri Ecclesiæ caput visibile sub Christo divinitus constitutum fuisse? an sanctum Petrum dum viveret, & post eius obitum in pari dignitatis supremæ gradu Romanos Pontifices illi successisse ingenuè profiteri & agnoscere velint*; extat decretum apud Mauclerum parte 4. libro 8. cap. 6. ex quo abundè constat, hanc esse indubitatam Galliæ & Sorbonæ Parisiensis sententiam: Petrum eiusque Successores esse caput Ecclesiæ, & in pari dignitatis supremæ gradu constitutos: enimverò ut eadem facultas decrevit anno 1542.

Constantiense.

Martinus V.

Florentinum.

Basiliense.

Sorbona Decret. anno 1535.

apud Thomam Waldensem: *Certum est, unum esse jure divino summum in Ecclesia Christi militante Pontificem, cui omnes Christiani parere tenentur.*

Aliud Sorbonæ decretum 1542.

10. Ne verò dubium hæreat de nomine Monarchicæ potestatis, Mauclerus Doctor Sorbonicus, qui nostro sæculo scripsit, parte 4. lib. 8. cap. 6. adducit sacræ Facultatis decisionem ex litteris ad Regem Franciscum anno 1535. conscriptis: *Firmiter tenendum est, Hierarchiam Ecclesiasticam, quam politiam Ecclesiæ nonnulli vocant, non solum sanctam esse, sed etiam jure divino institutam, cuius Hierarchiæ Ecclesiasticæ eodem jure divino monarchica potestas est papalis, cui quilibet fidelium subesse dignoscitur.* Quid clarius? *Monarchica potestas est papalis*; idque jure divino, ut firmiter tenendum perhibet sacra Parisiensis Facultas, quæ & proinde non immeritò censuravit imposturam Marci Antonii de Dominis, cujus insuper articulum istum ex libro 1. cap. 12. num. 5. desumptum: *Doctrina in articulis Hus contenta: mirum in Ecclesia non dari unum caput supremum & Monarcham præter Christum: suam Ecclesiam per multos ministros sine uno isto Monarcha mortali regere perfectè & gubernare, est Doctrina Catholica à sanctis Patribus egregiè explicata & confirmata.* Hac censura innodavit: *Hæc propositio est hæretica quoad singulas partes.* Ut post tam apertam Sorbonæ Parisiensis sententiam nullum omnino dubium supersit de Monarchica potestate divinitus instituta, utpote quam contra Spalatensem usque adeò defendit, ut contrarium hæreseos accuset, & à sua schola longè alienum proclamet. Totam Sorbonæ in libros Spalatensis animadversionem publicarunt, & propugnarunt ex Gallia nostro sæculo: Franciscus Rothomagensis Archiepiscopus Apologia 1. libro 1. Andreas Duvallius Facultatis Parisiensis Doctor & Decanus, in opere contra Vigorium, Bail Doctor Navarricus & Propœnitentiarius Parisiensis tomo 1. in Apparatu ad Summam Conciliorum, demum Habertius Abbas S. Mariæ de Allodiis Regi Galliæ à Consiliis & sacris Concionibus ordinarius, libro de Singulari Primatu Petri contra Biceps caput Ecclesiæ, quod scribit in Præfatione ad Innocentium X. jam olim in Spalatensi damnatum.

Sorbonæ decretum anno 1535.

Marcus Anton. de Dominis.

Censura Sorbonæ.

CAPUT II.

Refelluntur objectiones Ioannis Launoij.

11. *Mens Ioannis Launoij circa loca Scripturæ Petri primatum indicantia, Matthæi 16. Lucæ 22. & Ioannis 21. quæ ad alios sensus retorquet.*

12. *Quam imprudenter hoc fiat, verbo indicatur, & quæ loca Scripturæ Catholica Ecclesia pro Petri primatu contra omnes Hæreticos usurpare consuevit, vindicantur ex duobus Testimoniis Sanctissimorum Pontificum, Gelasii primi & Gregorii Magni.*

11. PRodierunt nostro tempore octo libri epistolarum D. Joannis Launoij Parisiensis Doctoris & Theologi, in quibus dum vir eruditus Bellarmini Tractatus de Pontifice & Concilijs refellit, nonnulla posuit, quæ & summos Ecclesiæ Pontifices, & complures Doctores Catholicos graviter offenderunt. Attegit inter alia cuncta sacræ Scripturæ loca, ex quibus cum Bellarmino Catholici omnes primatum Petri successorumque Romanorum Pontificum huc usque deduxerunt, & primò quidem parte 5. epistola ad Guilielmum Voellum probare studet, Ecclesiam non esse fundatam supra Petrum, ut Bellarminus libro 4. de Romano Pontifice, cap. 3. ex Matthæi 16. cum communi probaverat. Deinde parte 2. epistola ad Hadrianum Vallantium exagitans eumdem Matthæi locum de clavibus regni cœlorum, ostendere conatur, non personæ Petri, sed Petro dumtaxat ut repræsentanti personam Ecclesiæ fuisse promissas. Tertiò parte 5, epistola ad Jacobum Bevilaque assumens locum Lucæ 22. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*: eum planè abjudicat. Et demum parte 5. epistola ad Raymundum Formentinum Bellarmino repugnat circa expositionem loci Joannis 21. „ *pasce oves meas.* „ De quo parte 2. epistola 1. ad Raymundum Formentinum scribit, quæ hic Petro dicta sunt, etiam ad alios Ecclesiæ Pastores dicta esse, unde & concludit: „ in persona ergo Apostolorum omnium seu „ Ecclesiæ dixit. „ *Launoius.*

12. Mirum videri posset & acerbiori responso dignum à Doctore Catholico impugnari fundamentum primatus Pontificii ex laudatis Scripturæ locis, quæ à suis cunabulis usurpare consuevit, & contra impugnantes urgere Ecclesia; attamen non contentioso sed pro veritatis elucidatione

tione familiari stylo procedere lubet, hoc unico praenotato, me hic non agere Apologum Bellarmini, sed Ecclesiæ Christi supra Petri primatum fundatæ. Non repeto millena Patrum, Pontificum, & Conciliorum testimonia, duo indubitata Sanctissimorum Pontificum de mente Ecclesiæ deponentia rem absolvunt, & laudata Scripturæ loca abundè vindicabunt: ad sæculi 5. finem floruit S. Gelasius Papa, qui in tractatu contra Græcos per Jacobum Sirmondum in appendice ad Codicem Theodosianum edito, Sedis Apostolicæ detractores his verbis refellit: *Qua enim ratione vel consequentia aliis Sedibus defendendum est, si primæ beatissimi Petri Sedi antiqua & vetusta reverentia non defertur, per quam omnium Sacerdotum dignitas semper est roborata atque firmata, trecentorumque decem & octo Patrum invicto & singulari judicio vetustissimus judicatus est honor? utpotè qui Domini recordabantur sententiam: tu es Petrus & supra hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam & tibi dabo Claves Regni Cælorum, & quæcumque ligaveris vel solveris in terra, erunt ligata vel soluta in cælo. Et rursus ad eumdem: Ecce ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando convertere, & confirma Fratres tuos. Et illud: Si amas me, pasce oves meas.* En ipsa quatuor Scripturæ loca, quæ S. Gelasius ex traditione primorum sæculorum à trecentis octodecim sacrosancti Niceni Concilii Patribus pro primatu Romani Pontificis testatur intellecta, & ad suum usque sæculum defensa, quo testimonio nullum desiderari potest luculentius, & in rem nostram expressius.

Gelasius.

Gelasio successit sæculo 6. Sanctus Gregorius Magnus, qui libro 4. epistola 32. ad Mauricium Augustum testatum reliquit: *cunctis ergò Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica Sanctò & omnium Apostolorum Petro Principi Apostolo totius Ecclesiæ Cura commissa est, ipsi quippè dicitur: Petre amas me? pasce oves meas. Ipsi dicitur: Ecce Satanas expetiit cribrare vos sicut triticum, & ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquandò conversus confirma fratres tuos. Ipsi dicitur: tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cælorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* En iterùm quatuor Scriptutæ loca, quæ D. Gregorius de primatu Petri intelligenda esse, cunctis suo tempore Evangelium scientibus liquere conscripsit, ut post antiquæ Ecclesiæ mentem tam clarè expressam, superfluum videri posset ulterius indagandam: ne tamen duobus invictis testimoniis tantum inhærere videremur, demus veritati indagationem, non locum Ioannis 21. perscrutando, utpotè qui manifestior est, quam ut expositione

Secundo ex S. Gregor. Magno.
Gregor. I.

tione indigeat, neque Scripturam Lucæ 22. utpote quæ alterius loci est, sed firmando locum Matthei 16. de petra Ecclesiæ, & clavibus regni, de quo sit.

ARTICULUS I.

Firmatur locus Matthæi 16. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

13. *Expositiones Patrum tres adducit Launoius ultra allatam à Bellarmino de fundata supra Petrum Ecclesia, quarum ultima favere videtur de ædificata supra fidem Petri Ecclesia, quam ait immeritò hæreticis à Bellarmino attribui.*
14. *Launoium immeritò contra allatam à Bellarmino Patrum expositionem adducere alias tamquam contrarias, quandoquidem se invicem compatiantur, ut vel exindè colligitur, quod iidem Patres, qui trium aliarum mentionem faciunt, etiam supra Petrum fundatam exponant Ecclesiam.*
15. *Et illam expositionem retinendam esse, demonstrat textus Scripturæ originalis, nimirum Syriacus, qui non habet:* Tu es Petrus, *sed:* Tu es Cephas, *id est petra. Additur ratio cur Græcus vertit,* tu es Petrus.
16. *Secundo ex primitivæ Ecclesiæ Patribus. Tertulliano, Origene, Cypriano, Stephano, Hilario &c.*
17. *Tertiò ex quatuor Ecclesiæ Doctoribus Hieronymo, Ambrosio, Augustino, & Gregorio.*
18. *Quartò ex Conciliis generalibus Ephesino & Chalcedonensi, quæ rem absolvunt.*
19. *Conciliantur Patres, qui dicunt supra fidem Petri fundatam Ecclesiam, nimirum materialiter.*
20. *Qui modus loquendi ortum ducit occasione Arianorum, ut probè animadvertit Perronius.*
21. *Certum itaque esse, supra Petrum ædificatam esse Ecclesiam, ut dixit Cælestinus Papa.*

13. IOannes Launoius parte 5, epistola ad Gulielmum Voellum hunc locum Scripturæ expositurus, tres interpretationes adducit ultra illam, quam Bellarminus de ædificata supra Petrum Ecclesia unicè laudaverat. Opponit itaque primo classem Patrum, qui dicunt super Apostolos vel eorum Successores ædificatam

ficatam esse Ecclesiam: Secundò dicentium, fundatam super ipsummet Christum: & demum præ cæteris laudatam eorum, qui supra fidem à Petro confessam interpretantur stabilitam à Christo Ecclesiam, hanc enim firmari citatis ab ipso 42. Patrum & Doctorum testimoniis, quin imo ab Ecclesia præscribi in oratione pro festo B. Leonis, ubi: *quos in Apostolicæ confessionis petra solidasti.* Ut Bellarminum quoque insimulet, non solum primam & secundam Patrum expositionem hæreticis attribuentem, sed hanc tertiam Luthero quoque & centuriatoribus adscribentem, cum pro ea faciat unanimis Patrum consensus.

14. Videri posset, hanc Parisiensis Doctoris incusationem non carere nodis, neque careret, si Eminentissimus Cardinalis Bellarminus ita simpliciter expositiones illas hæreticis adscripsisset, ut nullo sensu Catholicis attribui professus esset; verum cum iidem Patres nunc unam, nunc alias expositiones admittant, & sic eas se invicem compati luce clarius demonstrarint, hæretici verò ita particularem loci interpretationem urgeant, ut alias omnes excludant, potuit Bellarminus expositiones ab hæreticis admissas eatenus reiicere, quatenus per illas conati fuerunt nostram & communem Catholicorum de ædificata supra Petrum Ecclesia abiudicare. Iam acta peragerem, si quod sæpius à Doctoribus Catholicis præstitum est, exhibitas à Joanne Launoio Patrum expositiones sine præiudicio nostræ demonstrarem intelligendas. Enim verò, quam producit ex Innocentio III. aliisque de ædificata supra Christum Ecclesia, nemo umquam negavit fidelium, qui ultrò Christum profitentur primarium Ecclesiæ fundamentum uti terra solida, & cum eodem Innocentio epist. ad Patriarcham Constantinopolitanum, Petrum relinquunt fundamentum secundarium solidæ terræ superstructum ab artifice Christo; & quamvis, ut allatus per Launoium Hieronymus ex Scripturis deducit, Apostoli omnes fundamenta Ecclesiæ sint, ut tamen idem Hieronymus libro 1. contra Iovinianum scribit, Petrus est fundamentum principale, quia constitutus fuit caput Ecclesiæ, & ordinarius Christi in terris Vicarius: *Licet* (inquit) *super omnes Apostolos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto Schismatis tolleretur occasio.* Unde & D. Hieronymus alibi constanter asserit, Ecclesiam super Petrum ædificatam: quam etiam expositionem Christi intento, & menti Ecclesiæ conformiorem esse eâ, quæ docet, supra Petri fidem fuisse fundatam, paucis demonstrabo, licet & ea sano sensu posset admitti, ut infrà videbimus.

D. Hieronymus.

15. Ædificatam itaque supra ipsummet Petrum Christi in terris Ecclesiam

clesiam; demonstrat in primis textus originalis, qui est Syriacus, quia idiomate illo Christus loqutus est: *tu es Cephas, & super hanc Cepham ædificabo Ecclesiam meam*; Cephas enim significat Petram, ut Hieronymus docet in cap. 2. ad Galatas, & sic Petrum quoque nuncupandum promiserat Christus Ioannis I. *Vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*; ubi notandum, interpretem latinum secutum fuisse codicem Græcum, qui habet *Petrus* loco *Petra*, quod & unum & aliud in Græco significet lapidem, visumque fuerit, ut rectè animadvertit Bellarminus, homini potius nomen masculinum tribuere, quàm fœmininum.

Matth. 16.

Ioan. 1.

16. Secundo ex primitiva Ecclesia, quando scripsit Tertullianus librum de Præscriptionibus, ubi habet: *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ Petram dictum*; Origenes homilia 5. in Exodum: *Vide magno illi Ecclesiæ fundamento & Petræ solidissimæ, super quam Christus fundavit Ecclesiam*; & in caput 17. Matthæi pariter de Petro: *per promissionem meruit fieri Ecclesiæ fundamentum.* D. Cyprianus epist. ad Quirinum: *Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam.* Firmilianus Cæsareæ Capadociæ primas epistola ad Cyprianum, referens Stephanum Papam gloriari in successione Petri, *Super quam fundamenta Ecclesiæ collocata sunt.* S. Hilarius in cap. 16. Matthæi. *ô in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra*; D. Basilius in cap. 2. Isaiæ: *Petrus, supra quam Petram pollicitus fuerat, suam se ædificaturum Ecclesiam.* S. Epiphanius in Ancorato; *Talem oportebat primum Apostolum, Petram illam solidam, super quam Ecclesia Dei ædificata est.* D. Gregorius Naianzenus orat. 26. *Vides, quemadmodum ex Christi Discipulis, magnis utique omnibus & excelsis atque electione dignis, hic Petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta in suam fidem accipiat.* S. Pacianus Barcinonensis Episcopus epist. 3. ad Symphorianum: *Ad Petram locutus est Dominus, ad unum ideò, ut unitatem fundaret ex uno.* D. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. super Ioannis caput 12. *Nec Simon iam nomen sibi, sed Petrus prædicit, vocabulo ipso commodè significans, quod in eo, tanquam in Petra lapideque firmissimo, suam ædificaturus esset Ecclesiam.* D. Ioannes Chrysostomus homilia 55. in cap. 16. Matthæi, ubi cum Petram exposuisset fidem atque confessionem, etiam Petrum interpretatur, utpote qui *adamantis naturam firmitate superet*, & infrà: *ego dico tibi* (inquit) *tu es Petrus, & ego super te ædificabo Ecclesiam meam.*

Tertullian. Origenes. Cyprianus. Stephanus. Hilarius. Basilius. Epiphan. Gregorius Naianz. Pacianus. Cyrillus Alexand. Chrysostomus.

17. Quid ultrò proferam cætera Patrum testimonia, cum quatuor præstantissima lumina, quæ ut Doctores suos veneratur Ecclesia, id ipsum confirment. D. Hieronymus epist. 57. ad Damasum Papam, de cathe-

cathedra Petri: *Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.* D. Ambrosius serm. 48.: *Diximus frequenter ipsum Petrum à Domino nuncupatum, sicut ait: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Si ergo petra est Petrus, supra quam ædificatur Ecclesia* &c. D. Augustinus, qui ita Ecclesiam suprà Christum docuit ædificatam, ut suprà Petrum quoque fundatam admiserit psalmo contra partem donati: de Petri Successoribus *Hæc est petra* (inquit) *quam non vincunt superbæ Inferorum portæ.* Et lib. 1. Retractationum, cap. 21. de illo psalmo: *In hoc libro dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in eo tamquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de Gallo Gallinaceo ait: hoc ipsa petra Ecclesiæ canente culpam diluit.* Cantabat nimirùm Ecclesia per ista tempora, quod huc usque perseverat in hymno Laudum de Dominica, Unde D. Gregorius Magnus lib. 6. registri, epist. 3. ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum. *Quis enim nesciat, sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit à nomine, ut Petrus à petra vocaretur.*

Ambros.

Augustin.

Gregorius

18. Quod si Patrum & Doctorum consensus ab initio nascentis Ecclesiæ communi fidelium sententiâ comprobatus non sufficiat, prodeat Concilium Ephesinum generale tertium tempore Cælestini Papæ sub S. Cyrillo Alexandrino celebratum, quod recepit dicta legati Pontificii actione 3. Petrum conceptis verbis nuncupantis: *Ecclesiæ Catholicæ fundamentum:* Et generale 4. sub Leone I. Chalcedonæ habitum, quod pariter actione 3. de B. Petro Apostolo: *Qui est petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum*; Quid manifestius? quæ hoc posteritati reliquerunt concilia, fuerunt ex omni Oriente coadunata, & præsentibus Sedis Apostolicæ legatis à Patriarchis, Metropolitis, & Episcopis plusquam octingentis admissa, ut de ædificatâ supra Petrum Ecclesiâ nullus permittatur dubitare fidelium, nisi qui & in dubium vocare vellet expressam Sacræ Scripturæ auctoritatem, primitivæ Ecclesiæ manifestam traditionem, & auctoritatem duorum Conciliorum Generalium, quæ Gregorius Magnus ut sacrosancta Evangelia sese venerari cum applausu subsequentium sæculorum conscripsit.

Synodus 3

Synodus 4.

19. Sola difficultas videri posset, qualiter conciliari possent Patres illi, qui supra Fidem Petri fundatam interpretantur Ecclesiam, quod & fusiori expositione indigeret, nisi jam anteà Galliæ Primas Eminentissimus Ecclesiæ Cardinalis Perronius contra Angliæ Regem capite 56. id fusè & operosè præstitisset: ut enim peracutè observat

Vir ille Eruditissimus, cum Christus Matthæi 16. accepisset confessionem Petri; *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Exclamavit ad tantam Fidem Salvator Mundi, & eam remuneraturus pronuntiat: *Beatus es Simon Bar iona, quia Caro & Sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Laudat Christus emissam à Petro fidei confessionem tamquam ex æterni Patris revelatione exortam, & *ego dico tibi, quia tu es Petrus*: ac si diceret: quia talem confessionem ex Patris revelatione protulisti, ego super te ædificabo Ecclesiam: ut manifestum sit, inquit Perronius, Petri confessionem causam fuisse ædificatæ supra eum Ecclesiæ: *Remunerat enim* (ut loquitur Theophilactus in cap. 16. Matth.) *Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quod super eum ædificavit Ecclesiam.* Sicque dici potest, fidem & confessionem Petri esse fundamentum causaliter, & Petrum fundamentum Ecclesiæ formaliter, adeò ut una interpretatio aliam non excludat, sed potius supponat, & compatiatur, sicut & necessariò dicendum est in mente Patrum, qui utramque diversis in locis tradunt & exhibent, quod certè numquam fecissent, si unam cum exclusione alterius tradere intendissent.

Matth. 16.

Theophil.

20. Quod si ulterius quæras, cur Patres Ecclesiam supra Fidem Petri toties scripserunt ædificatam? in promptu rationem addit Perronius ex ortu Arrianæ hæresis, quæ dum negabat Filij Divinitatem, ubi confessio Petri eam tam lucidè prædicabat: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Patres post Nicenum Concilium ceperunt hunc locum urgere contrà Arrianos, dicendo; confessionem istam Petri esse fundamentum Ecclesiæ: *Et se licentierent* (Ut loquar cum Perronio) *de l'appeller le fondement de l'Eglise; (par translation de l'effet à la cause) reprochant aux Arriens, qu'ils ruinerent le fondement de l'Eglise.* Sicque patet ratio, cur ante Nicenum Concilium & Arrij hæresim Patres unanimiter tradiderunt, fundatam suprà Petrum Ecclesiam; post ortam verò Arrij hæresim, nunc suprà Petrum, nunc suprà Petri Fidem fundatam exposuerunt; quod scilicet, posteriorem de Petri Fide urgerent contra Arrianos, & priorem de Petro Ipso, sese tamquam indubitatam retinere ostenderent cum antiquioribus Ecclesiæ Patribus.

Perronius.

21. Manet igitur, ædificatam suprà Petrum Ecclesiam, quod sub initium sæculi 5. epistola 10. ad Rufum & Episcopos Illyrici apud Lucam Holstenium, adeò indubitatum erat Bonifacio primo D. Augustini contemporaneo, ut scribat; *Ad Deum Petro suscipiente pervenitur, in quo Ecclesiam, sicut suprà memoravimus, universalem, certum est esse funda-*

Bonifac. I.

tam

tam. Certum, quia Textus Syriacus idioma nimirum Christi, & versiones ferè omnes Hæbrea, Arabica, Persica, Armeniaca, Ruthenia-na, Ægyptiaca, & Ethiopica apud Cardinalem Perronium cap.56. id expressè demonstrant, quæ non habent *Petrus*, sed *tu es rupes, tu es Petra* &c. Certum, quia primitivæ Ecclesiæ traditio id indubitanter posteritati reliquit, & subsequentium sæculorum authoritas id castè custodivit. Certum, quia Concilia Generalia duo id ultrò profitentur, & admittunt. Certum denique, quia à temporibus D. Ambrosij illud, teste Augustino lib. 1. Retract. cap. 21. huc usque publico in Officio decantat Ecclesia, & fidelibus suis præscribit, cui dum Lutherus instar Goliathi exprobrare cœpisset, ac si Ecclesia erraret in sensu & traditione istius loci de ædificata super Petrum Ecclesia, surrexit de castris Ecclesiæ tanquam alter David Ioannes Roffensis Martyr & Episcopus, qui exprobrationem retorquens, his verbis Lutherum confixit: *Huc adsis & tu Luthere cum Lutheranis omnibus tuis, & omnia studia vestra in unum conflate, neque unquam efficietis, quin vera prædixerit Christus, nempè quod super Petram, hoc est Petrum, ædificaturus esset Ecclesiam: stat contrà vos hæc auctoritas invicta, qua etiam de vobis triumphat & triumphabit.*

Roffensis.

ARTICULUS II.

De clavibus Petro promissis Matthæi 19. Num in signum primatus, & immediatè potius Ecclesiæ, quàm Petro traditis.?

22. *Mens Launoij existimantis hic Petro ut representanti personam Ecclesiæ claves fuisse promissas, & sic immediatè potius Ecclesiæ datas: cui questioni præmittitur alia, num per claves promissus fuerit Ecclesiæ primatus?*

23. *Bellarmino id affirmanti & ultra duo Patrum testimonia non adducenti, adstipulantur complures Ecclesiæ Patres. S. Optatus, Basilius, Chrysostomus, Cælestinus I., Leo I. Gelasius I. Gregorius Magnus, S. Maximus, Petrus Damianus, & Rupertus Abbas.*

24. *Patribus accedunt antiquiores Scholastici: Hugo de S. Victore, cujus testimonium probat VValdensis: D. Thomas cujus testimonium adducit Turrecremata, Iansenius Gandensis, Æstius, Duvallius, & novissimè Habertius.*

25. *His præmissis, attingitur questio principalis, num immediatè Petro claves fuerint*

fuerint à Christo promissa & tradita? Affertur sententia Basileensium & Sequacium, quod fuerint tradita immediatè potius Ecclesiæ, unde Superioritatem Concilii concluserunt.

26. *Exploditur Basileensium fundamentum, & Petro claves promissas, ex Sacra Scriptura meritò contra Hæreticos deducit S. Franciscus Salesius Gebennensium Episcopus.*

27. *Idem cum Salesio sentiunt Tertullianus, qui sententiam suam nullibi retractavit.*

28. *S. Optatus, immeritò in contrarium adductus.*

29. *Innocentius I. favente D. Augustino.*

30. *Leo primus omnium clarissimè.*

31. *S. Thomas, qui frustrà ad alios sensus retorquetur, Turrecremata, Apologia Eugenij IV. & Tarentinus Archiepiscopus.*

32. *Concilium Senonense sub Cardinali Perronio, & Aquense sub ejusdem Civitatis Archiepiscopo censurando librum de Ecclesiastica & Politica potestate, cujus libri propositiones ex Bailio adducuntur cum responsionibus Duvallij.*

33. *Objectiones latius refutavit Apologia Eugenij IV. quæ scribit, claves quidem Ecclesiæ relictas, non tamen Monarchicas, unde lucet, vanum esse Basileensium fundamentum pro Superioritate Concilij.*

22. MAjor est difficultas de secundo Scripturæ loco Matthæi 16. ubi Christus Petro promittit claves Regni Cælorum, quem Ioannes Launoius parte 2. epistola ad Iacobum Vallantium multis conglomeratis SS. Patrum testimonijs exponit de clavibus pœnitentiæ, seu potestate ligandi & solvendi omnibus Apostolis & Episcopis Communi, & quam allatis 26. Augustini aliorumque Patrum testimonijs tuetur, non personæ Petri, sed Petro dumtaxat, ut repræsentanti personam Ecclesiæ promissam, sicque immediatè potius claves datas Ecclesiæ, quam Petro, quidquid Cardinalis Bellarminus libro 1. de Pontifice, cap. 12. hanc sententiam adscribat Synodo Smalchaldicæ libro de Primatu Papæ docenti: *principaliter claves Ecclesiæ & immediatè datas esse.* Quam dum ait quoque esse Lutheri, Calvini, aliorumque hæreticorum, conqueritur Launoius, per latus hæreticorum feritam & odiosam redditam Parisiensium sententiam, quæ docet potestatem excommunicandi à Christo immediatè datam Ecclesiæ, quod antequam discutiatur, primò inquirendum est, & decidendum, num hoc loco Matthæi per claves promissus fuerit Primatus Ecclesiæ Petro ejusque Successoribus?

Synodus. Smalchald

23. Resol-

23. Resolvit Bellarminus libro 1. de Pontifice, cap. 33. *Nos & Catholici omnes per claves datas Petro, intelligimus summam potestatem in omnem Ecclesiam.* Scio hoc explodi à Launoio obiiciente, eum ne quidem duo Patrum loca afferre: verum, licet non agam apologum Bellarmini, plura afferre potuisse, patebit ex sequentibus. S. Optatus Milevitanus libro 7. contra Parmenianum de clavibus agens: *Bono unitatis* (inquit) *beatus Petrus, cui satis erat, si postquam negavit, solam veniam consequeretur, & præferri cæteris Apostolis meruit, & claves Regni Cælorum communicandas cæteris solus accepit.* S. Basilius homilia de judicio Dei: *Beatus Petrus, ille omnibus Discipulis prælatus, solus præ cæteris honorifico testimonio ac beatificatione insignitus, ille, qui Regni Cælorum claves accepit.* D. Ioannes Chrysostomus homilia 55. in caput 16. Matthæi, cum proposuisset illum locum: *Dabo tibi claves Regni Cælorum*; ex eo contra Arianos ostendit potestatem Filii non minorem esse Patris, utpotè, si Pater Petro revelavit Filium, Filius Petro licet mortali potestatem cælestem concesserit, & claves regni dederit, ac universo terrarum Orbi eum præposuerit, quæ omnia exponit Petro per Christum Matthæi 16. promissa. *Nam quæ Deus concedere solus potest, peccatorum scilicet remissionem, & ut Ecclesia tot tantisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cujus Pastor & Caput piscator Homo, atque ignobilis terrarum orbe reluctante adamantis naturam firmitate superet, has inquam omnia, quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturum*, utique illo loco Matthæi, quem hic exponimus, & à D. Chrysostomo ibidem pertractatur. S. Cælestinus I. Papa epistola inter Holstenianas 13. ad Episcopos per Illyricum constitutos: *Nosque præcipuè circà omnes curâ constringimur, quibus necessitatem de omnibus tractandi Christus in S. Petro Apostolo, cum illi claves aperiendi claudendique daret, indulsit.* Leo primus eloquentissima Sedis Apostolicæ tuba homiliâ de Transfiguratione Domini, ubi ad Confessionem Petri factam Matthæi 16. subdit: *Tantumque in hac fidei sublimitate complacuit, ut Beatitudinis fœlicitate donatus sacram inviolabilis Petræ acciperet firmitatem, super quam fundata Ecclesia portis inferi & mortis legibus prævaleret, nec in solvendis aut legandis quorumcumque causis, aliud ratum esset in Cælis, quam quod Petri sedisset arbitrio.* Ubi videtur, summam solvendi & ligendi auctoritatem arbitrio Petri adscribere. Gelasius primus in tractatu contra Græcos per Sirmondum edito, qui scribit primæ Beatissimæ Petri Sedi antiquam & vetustam reverentiam adjudicatam fuisse à Patribus Niceni Concilij inter cætera ex hoc loco Matthæi: *& tibi dabo claves Regni Cælorum.* D. Gregorius Magnus epistola ad Mauritium Augustum: *Cunctis ergo*

S. Optatus

Basilius.

Chrysost.

Celestinus

Leo I.

Gelasius.

Gregorius Magnus.

ergò Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica Sancto & omnium Apostolorum Petro Principi Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippè dicitur..... & tibi dabo claves Regni Cælorum &c. Ecce claves Regni Cælestis accipit, potestas ei ligandi & solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ & Principatus committitur. S. Maximus Tauranensis Episcopus sermone 5. de Petro & Paulo: *Dominus Petro sicut bono dispensatori clavem Regni Cælestis dedit.* Addit clavem magisterij Paulo datum, & pergit: *Ambo igitur claves à Domino perceperunt, scientiæ iste, ille potentiæ.* Beda homilia de S. Petro & Paulo: *Petrus specialiter claves Regni Cælorum, & Principatum judiciariæ potestatis accepit.* D. Petrus Damianus serm. 26. de S. Petro: *unus est, quem præ-nobilitant singularis Primatus insignia, clavicularius Regni Cælorum.* & infrà: *ad ejus arbitrium orbis universitas solvitur & ligatur.* Rupertus Abbas vol. 4. Evangel. libro 1. cap. 25. cui titulus est de Primatu Petri Apostoli: *unum & singulare unius est Petri Privilegium, cui prius & singulariter dictum est: tibi dabo claves Regni Cælorum.*

S. Maxim. — Beda. — Petrus Damianus. — Rupertus Abbas.

24. Patribus accedunt antiquiores & recentiores Scholastici etiam Sorbonæ Parisiensis alumni, & in primis quidem Hugo de S. Victore libro 2. de Sacramentis, parte 3. cap. 5. *Hic est Principatus & maximus Sedis Apostolicæ in Ecclesia Romana Successor, & ipsum specialiter Apostolicum S. Ecclesia nominare consuevit, cui vice Petri Principis Apostolorum præsidenti omnis Ecclesiasticus ordo obtemperare debet, qui solus prærogativa dignitatis claves habet ligandi omnia & solvendi super terram.* Ad quæ verba Thomas Waldensis præ eruditione sua tantum Sorbonæ & Martino 5. venerabilis, libro 2. doctrinalis fidei, cap. 45.: „ Nota prærogativam dignitatis ejus, „ qua solus ligandi & solvendi, id est in plenitudine, claves habet. „ Nec minus clarè ex Angelico Doctore contra errores Græcorum, capite 58. id deducit Ioannes de Turrecremata quæstione 20. testimoniorum D. Thomæ tempore Basileensis Concilii collectorum, dicit enim plenitudinem potestatis Petro competere, & subdit ex verbis D. Thomæ: *Hoc trahitur ex authoritate S. Scripturæ. Nam Dominus Matthæi 16. universaliter Petro dixit; quodcumque solveris &c.* Subscribunt Iansenius ex Lovaniensi Doctore Gandensis Episcopus in concordia Evangelica, cap. 46.; „ per claves Regni Cælorum Petro promissas rectius intellexerimus, metaphoricè significatam plenariam ac supremam potestatem gubernandi Ecclesiam Christi. „ Ex facultate Duacena Gulielmus Æstius in difficiliora Scripturæ loca, ad Caput 16. Matthæi: „ Dabo tibi claves, id est, potestatem & administrationem super totam Ecclesiam. „ Ex facultate Parisiensi Duvallius parte

Hugo de S. Victore. — Thomas Waldensis. — Turrecremata. — D. Thom. — Iansenius. — Guilielm. Æstius.

parte 1. quæst. 3. claves inquit, „ quæ supremam in persona Petri „ potestatem aptissimè significant. „ Quod ipsum præter alios complures lucidè exponit Habertius ex Doctore Parisiensi Regis Galliæ Ecclesiastes, tractatu de primatu Petri singulari, libro 1. capite 1. numero 4.; „ præter claves Apostolis omnibus communes, peculiares „ quoque Petro promissæ, datæ; *Et tibi dabo claves Regni Cælorum*, in „ eo à cæterorum Apostolorum clavibus distinctas, quod supremæ, „ Principes propriæ futuræ essent; quod cum ipsis post Christum „ Petro claudente nemo aperire, Petro aperiente, nemo Apostolo- „ rum claudere potis esset ob primam ac supremam in Cæli portas „ clavesque Petri potestatem uni Petro à Christo promissam, ut posteà „ concessam. „ Admittit vir eruditus, per claves intelligi potestatem ligandi & absolvendi Apostolis quidem communicatam in potestate clavium simpliciter sumptâ, sed in eo quoque distinctam à cæterorum Apostolorum clavibus Petro esse concessam, quæ prima ac suprema esset; ut meritò Ecclesia canat in oratione de Cathedra S. Petri 18. Januarij tam Missalis, quàm Breviarij Romani. *Deus, qui B. Petro Apostolo tuo collatis clavibus regni Cælestis, ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti.* Pontificium utique summum, quod Ecclesia Catholica agnoscit Cathedræ Petri hæreditarium.

Dovallius.

Habertius.

Ecclesia.

25. Nunc resolvenda est præcipua difficultas clavium, an scilicet Petro immediatè, an potius Ecclesiæ in Petro fuerint immediatè per Christum Matthæi 16. capite promissæ, & posteà datæ? qui superioritati student Concilij jam dudum tenuerunt cum Concilio Basileensi in datâ Legatis Eugenij 4. epistolâ responsoriâ; *Etsi Papa major sit in Ecclesia, non tamen maior est tota Ecclesia, uni autem quarè dictum sit; tibi dabo claves regni Cælorum, Sancti Doctores exponunt, ut unitatem designaret Ecclesiæ. Et ideò ab unitate exordium proficiscitur, ut Ecclesia una demonstraretur, & Petrus quando claves accepit, ut dicit Augustinus, Ecclesiam significavit.* Loquitur Basileense Concilium cum Ioanne Gersonio Cancellario Parisiensi, opusculo de potestate Ecclesiastica, consideratione 4. „ quod si potestas prædicta (scilicet clavium) sit data Ecclesiæ, „ Concilium Generale repræsentans Ecclesiam habet illam.... & „ fundatur prædicta potestas Ecclesiasticæ Iurisdictionis in unitate „ vel unione tali, quemadmodum notasse videtur elevatus Augustinus „ quod claves Ecclesiæ datæ sunt unitati. Verumtamen hoc non impedit, quin datæ sint Petro tanquam Monarchæ legitimisque Suc- „ cessoribus suis. „ Monarchalem Romanorum Pontificum potestatem

Concilium Basileense.

Gerson.

tem salvam voluit Ioannes Gersonius, non obstante quod doceat; claves Ecclesiæ datas: & qualiter hoc fiat, ex Tostato Abulensi in caput 15. numer. quęst. 48. deducit Ioannes Launoius epistolâ ad Vallantium: „ ita autem videtur de clavibus Ecclesiæ (inquit inter cætera Tostatus) quia illæ datæ sunt à Christo toti Ecclesiæ, quia „ tamen non poterat tota Ecclesia dispensare illas, cum non esset ali- „ qua persona, tradidit eas Petro nomine Ecclesiæ. „ Et infra: „ tra- „ dita est jurisdictio clavium Petro, tamquam personæ electæ ad u- „ sum illius jurisdictionis. „ Addit, idem patere in communitatibus: „ " Si enim aliqua communitas vel collegium est, ibi erit jurisdictio, „ & quia non potest administrari per totam communitatem admini- „ stratur per unum de communitate, non est tamen jurisdictio in illo, „ ita quod non sit in communitate, sed est magis in communitate, quia „ antequam ille constituatur in Iudicem vel Rectorem, nullam habet „ jurisdictionem: illo autem mortuo vel cedente jurisdictionem, non „ penitus expirat jurisdictio; potest alius præfici in Rectorem vel in „ Judicem, non posset tamen hoc fieri, si non maneret jurisdictio in „ communitate, ergo ipsa communitas habet magis jurisdictionem. „ Pariformiter exponit jurisdictionem Ecclesiasticam Tostatus; & hæc sunt indubitata Domino Launoio Fundamenta, ad statuendum Concilium supra Pontificem, utpote quod repræsentat Ecclesiam, per quam Petrus suscepit clavium potestatem, & jurisdictionem Ecclesiasticam.

Tostatus Abulensis.

26. Verum an hęc omnia subsistant, alia quęstio est, & superioritatem Concilij in clavium concessione immediata Ecclesiæ non posse fundari, Scriptura ipsa in primis demonstrat, quę non Ecclesiæ, sed Petri personę promissam exhibet à Christo clavium potestatem, *Ego dico tibi*, inquit Christus Matthæi 16. *Quia tu es Petrus*, & infrà, *& tibi dabo claves regni Cælorum*, quid manifestius? non dicit Christus, se claves daturum Ecclesiæ, sed *tibi*, inquit, ad Petrum; undè cum verba illa ab hęreticis exponi de Ecclesia animadvertisset S. Gebennensium Episcopus Franciscus Salesius, discursu 32. exclamat, *Les ministres tacbent, tant qu'ils peuvent de troubler si finement la claire fonteine de l'Evangile, que S. Pierre n'y puisse plus trouver ses clefs, & font leur possible, pour nous degouter d'y boire l'eau de la S. obeissance, qu'on doit au Vicaire de nostre Seigneur; mais qu'ont ils fait? ils se sont avisez de dire, que S. Pierre avoit reçeu cette promesse de nostre Seigneur au nom de toute l'Eglise, sans qu'il ait reçeu pour cela aucun privilege particulier en sa personne. Or si cecy n'est pas vio-*

S. Salesius

let

ler l'Ecriture, jamais homme ne la violera, car n'est ce pas à S. Pierre, à qui il parloit? & comme pouvoit il mieux exprimer son intention, qu'en disant : Et ego dico tibi, dabo tibi? *car puis qu' immediatement il venoit de parler de l'Eglise, ayant dit :* Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam; *Qui l'eut empesché d'adiouter* Et dabo illi claves regni: *S'il les eut voulu donner à toutte l'Eglise immediatement. Il ne dit pas,* Illi, *mais* dabo tibi. *Que s'il est permis d'aller ainsi devinant sur des paroles claires, il n'y aura plus rien en l'Ecriture, qui ne se puisse plier à tous sens.* Hæc pro loci interpretatione S. Gebennensis Episcopus toti Galliæ venerabilis, ex quibus videre licet juxtà expressam Sacræ Scripturæ auctoritatem, claves à Christo non immediatè promissas Ecclesiæ, & per Ecclesiam Petro datas, sed potiùs immediatè promissas Petro, & consequenter ex Petro desumptas Ecclesiæ à Christo relictas.

27. Consentiunt ex Patribus Tertullianus libro Scorpiaces contrà Gnosticos Capite 10.: *Memento claves hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse.* Istud: „ *Per eum* (subdit insignis Sorbonæ Parisiensis Doctor Habertius, libro primo de primatu Petri, cap. 1.) uni „ Petro peculiare est. Enimverò supremum jus clavium uni Petro da- „ tum, à Petro in cæteros transfusum ac deductum exprimit. „ Neque hanc sententiam retractavit Tertullianus in hæresim lapsus, ut existimavit Ioannes Launoius, nam ut rectè ostendit Christianus Lupus parte 4. ad Canonem 19. dictatus Gregorij 7. solum revocavit, has claves datas Petro cum jure traducis in omnem Petro propinquam Ecclesiam. Undè & libro de pudicitiâ clamans contrà edictum Zephyrini Papæ, prætendit, ipsum non habere potestatem clavium personaliter Petro collatam: *Super te*, inquit, *ædificabo Ecclesiam meam & tibi dabo claves, non Ecclesiæ.* En sententiam priorem non mutatam, sed potiùs firmatam de datis Petro, non verò Ecclesiæ, à Christo clavibus.

Tertullian.

Habertius.

Tertullian

28. Tertulliano consonat S. Optatus Milevitanus Episcopus contrà Parmenianum libro 7.: *Bono unitatis B. Petrus, cui satis erat, si postquam negavit, solam veniam consequeretur, tamen cæteris omnibus Apostolis præferri meruit, & claves regni Cælorum communicandas cæteris solus accepit.* Nihil hoc loco expressius; nec hic solum, sed & libro 1. idem urget S. Milevitanus Episcopus: *Hæretici non habent claves, quas solus Petrus accepit.* Solus nimirum, ut Ecclesiæ Monarcha, cæteris autem communicandas in partem sollicitudinis, retinentibus Petro & Successoribus plenitudinem potestatis. Dicat ergò S. Optatus libro 2.: *Certa membra sua habet Ecclesia, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Ministros, & turbam*

S. Optatus.

S. Optatus.

Launoius. *Fidelium*; Et addat D. Launoius commentarium ;,, Si Episcopi, Pres-
,, byteri, Diaconi, Ministri, certa quędam sunt membra Ecclesiæ,
,, profectò Ecclesia Corpus est, quod per illa membra suos actus ex-
,, ercet.,, At nego, ut prætendit Launoius, hinc sequi, claves princi-
paliter Ecclesiæ datas, & per Ecclesiam Petro, quin imò dico, ob
bonum Ecclesiæ Petro principaliter datas, & cęteris Ecclesiæ Episcopis
in partem solicitudinis dumtaxat concessas..

29. 3, S. Innocentius primus ad Concilium Carthaginense episto-
Innocen.I. lâ 24. inter Augustinianas 91.; *à quo* (nimirum Petro) *ipse Episcopatus,
& tota authoritas nominis huius emersit* : Quomodò enim emersisset, nisi
Christus ex Petro authoritatem Episcopalem alijs communicasset? hoc
autem D. Augustinus suum fecit, cum epistolâ 106. ad Bonifacium
D. August. hęc ab Innocentio primo fatetur conscripta, *Eo modo, quo fas erat, atque
oportebat Sedis Apostolicæ Antistitem.* Quinimò D. Augustinum huic con-
venire sententiæ, tradit Christianus Lupus ex sermone 26. de diver-
sis; *Petrus* (inquit Augustinus) *multis locis scripturarum apparet; quod per-
sonam gestet Ecclesiæ. Maximè illo in loco, ubi dictum est*; Tibi dabo claves
regni Cęlorum. *Numquid istas claves Petrus accepit, & Paulus non accepit,
& cæteri Apostoli? aut non sunt istæ in Ecclesia claves, ubi peccata quotidiè dimit-
tuntur? sed quoniam in significatione personam Petrus gestabat Ecclesiæ, quod illi
uni datum est, Ecclesiæ datum est.* Nota *illi uni datum est.* Uni ergò Petro
datæ sunt à Christo claves, nec dicit, quod Ecclesiæ datum est, illi
datum est, sed cum emphasi, quod illi uni datum est, Ecclesię da-
Lupus. tum est; ,, Hoc est (subdit Lupus) ab illo uno fonte in omnes A-
,, postolatus & Episcopatus Collegas & Successores traductum est,
,, & usque ad finem sęculi traducendum. ,, Ut & D. Augustinum
obijcientibus reposuerit Nicolaus Cœffæteau electus à rege Christia-
Cœffateau nissimo Massiliensis Episcopus; ,, Nostræ sententiæ non obest, nec
,, enim negamus, sed facimus Christum Ordinis Episcopalis autho-
,, rem, atque ex ejus ordinatione relictos in Ecclesia asseveramus,
,, eosque Successores Apostolorum, qui tamen Petrum suæ potesta-
,, tis radicem agnoscant.

30. 4. Omnium clarissimè S. Leo eloquentissimũ Apostolicæ Sedis
LeoMagn. Oraculum, sermone 3. in anniversario de sua consecratione; *Magnum &
mirabile huic Viro* (scilicet Petro) *consortium potentiæ suæ tribuit Divina dig-
natio, & si quid cum eo commune cæteris voluit esse principibus, numquam nisi
per ipsum dedit, quidquid alijs non negavit.* Et epistolâ ad Viennensis Pro-
vincię Episcopos capite 1.; *Huius muneris Sacramentum ita Dominus ad
omnium*

omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolo, omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quodam quasi capite dona sua velut in corpus omne diffunderet. Notanda sunt verba Leonis primi, qui luce clarius testatur, potestatem primò & principaliter Petro collatam, & à Christo ex Petro desumptam alijs esse concessam.

31. 5. Idem præclarè docuit Theologorum Princeps S. Thomas libro 4. contrà gentes, capite 76. *Et soli (Petro) promittit, tibi dabo claves Regni Cœlorum, ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda.* Quæ verba illudere conatur Ioannes Launoius, sed frustrà: nam lucem meridianam excedunt. Unde cum ad instantiam Juliani Joannes de Turrecremata tunc Apostolici Palatij Magister, in unum fasciculum congessisset sententias D. Thomæ ad authoritatem Pontificiam spectantes, quæst. 23. inquirit Turrecremata: *utrùm à Papâ derivetur potestas in alios?* subditque; „ ad hanc quæstionem respondit S. Thomas affirmativè in locis superius notatis: primo in 4. contrà Gentiles, capite 76. ubi ita dicit: *Petro scilicet promisit dicens: tibi dabo claves Regni Cœlorum, ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandam Ecclesiæ unitatem.* Item hoc idem dicit in 4. sententiarum, dist. 24. quæst. ult. sub his verbis: *Quamvis Apostolis data sit communiter potestas ligandi atque solvendi: tamen in hac potestate, ut ordo aliquis servaretur, primò soli Petro data est, ut ostendatur, quod ab eo debeat ista potestas descendere.* „ Hunc fasciculum ex testimonijs S. Thomæ, per Turrecremata ad instantiam Juliani Cardinalis & Basileensis Concilij Præsidis sæculo 15. confectum, tomo 1. Summæ Conciliorum exhibuit D. Ludovicus Bail Doctor & Propœnitentiarius Parisiensis: idque fusius contra Basileenses exponit Apologia Eugenij 4. per eumdem Turrecrematam vivâ voce anno 1439. in Sacrosancto Concilio Florentino exhibita, signanter in Responsione ad Articulum 1. numero 50. & sequentibus. Publicavit hanc Apologiam Eugenij 4. tomo 13. suorum Conciliorum nuperrimè Philippus Labbeus: & ut finiam Joannes Archiepiscopus Tarentinus in oratione habitâ ad Patres Basileensis, quæ extat in appendice primâ ad Basileense Concilium, Petro (inquit) *soli promisit: tibi dabo claves Regni Cœlorum. ut ostenderetur (ut inquit beatus Doctor) quod potestas clavium esset ad alios diffundenda usque ad sæculi finem.*

S. Thomas. Turrecremata. S. Thomas Apologia Eugenij 4. Archiepiscopus Tarentinus.

32. 6. Eminentissimus Cardinalis Perronius Archiepiscopus Senonensis & Galliarum & Germaniæ Primas in Concilio Senonensi cum Henrico Episcopo Parisiensi, Francisco Antisiodorensi, Joanne Meldensi, Gabriële Aurelianensi, Renato Træcensi, Eustatio Nivernen-

si, & Philippo Carnutensi Episcopis, censuravit libellum anonymum de Ecclesiastica & politica potestate : *ob multas quas continet propositiones & allegationes falsas, erroneas, scandalosas, schismaticas, & ut sonant, hæreticas*; quod eodem anno 1612. sub Paulo Huralto Hospitalio Archiepiscopo imitatum est Aquense in Gallia Concilium, ut in Concilijs novissimis Galliæ publicavit Ludovicus Odespun Presbyter Turonensis, & ex ipso Philippus Labbeus, & Ludovicus Bail, qui in controversia Senonensi Concilio subjunctâ adnotat, hanc quoque propositionem, de clavibus immediatè concessis Ecclesiæ, fuisse notatam. Verba D. Bailij sunt : „ In libro nostro manuscripto, in quem referimus famosiora, quæ inter legendum nobis occurrunt, invenimus multas propositiones ejus Libelli, quod præsens Concilium reprobavit, cum responsionibus præfati Doctoris Duvallij, viri qua pietate, qua doctrina percelebris, qui adversus eum scriptum ediderat cum hac inscriptione : *Elenchus Libelli de Ecclesiastica & politica potestate*, ex quo nos ante 18. ferè annos, quæ sequuntur, colligebamus : ex quibus posteri intelligant causam hujus Concilij, & cum quanta circumspectione de summi Pontificis authoritate loquendum, ac scribendum sit.... Anonymus pag. 1. *vulgare est, Deum & naturam prius atque immediatius ad totum suppositum, quam ad partem aliquam suppositi intendere..... Schola Parisiensis hoc infallibili munita firmamento..... Docuit Christum fundando Ecclesiam prius, immediatius, atque essentialibus claves sive jurisdictionem toti Ecclesiæ dedisse quam Petro.* „ A. Duvallius ridet verbum essentialius, essentiæ enim indivisibiles. Ad argumentum, concedit, prius eum intendisse ad totum quam ad partem, ad Ecclesiam quam ad Papam, pars enim est propter totum. Non sequitur tamen, prius toti datas esse claves, sicut jurisdictio non prius convenit Civitati, quæ est totum, quam Iudici, quæ est pars, potestas gregi, quam Pastori.... nullæ propriè communitati Ecclesiæ datæ sunt claves.... Lutheranismum sapit ista expositio : si enim claves communitati datæ, ergo omnes tamquam sacerdotes, ut volebat Lutherus ligare, absolvere, & prædicare poterunt. Deindè data hypothesi, quod Prælati omnes de medio tollerentur, posset tunc Ecclesia jurisdictionem exercere, quod erroneum est. „ Habet plures Anonymi propositiones cum responsionibus Duvalli, & pergit D. Bail : „ Hæc pauca proferimus ex pluribus, quæ alias annotaveramus, quæque annotari poterant, ut agnoscantur, quæ difficultates ventilatæ sint in hoc Concilio Senonensi, ut in sequenti Aquensi. „

Concilium Senonense.

Concilium Aquense.

Bailius.

33. Ar-

33. Argumenta, quæ opponuntur, latiùs refutavit Apologia Eugenii 4. per Turrecrematam anno 1439. in Concilio Florentino vivâ voce exhibita, ubi optimè advertitur, Petrum claves accipere non potuisse nomine Ecclesiæ tamquam vicem Ecclesiæ gereret, *quia Papa non Ecclesiæ Vicarius, sed Christi, non Ecclesiæ vices, sed Christi gerit in terris:* Deindè nec ita Ecclesiam significare potuisse, ut claves datæ sint universo Corpori Ecclesiæ in omnibus ejus membris, cum in solis Episcopis & Presbyteris, testibus Beatissimis Ambrosio & Hieronymo, illas susceperit. Unde etiamsi admittamus, Patres dixisse, Petrum nomine Ecclesiæ aut ipsam Ecclesiam in Petro claves accepisse, ad summum intelligi possunt, Episcopos & Presbyteros vocatos, non quidem in plenitudinem potestatis, sed in partem sollicitudinis: *quamvis*, (inquit Apologia Eugenij 4. in Sacrosancto Florentino Concilio vivâ voce edita) *non solus Petrus accepit claves, solus tamen, ut sæpè ex dictis sanctorum commemoratum est, in plenitudine suscepit, utpotè aliorum princeps & caput.* Neque D. Augustinus aliique Ecclesiæ Patres dicendo claves Ecclesiæ datas, tractarunt unquam de clavibus Monarchicis, sed jurisdictone clavium per omnem Ecclesiam Petro propinquam pro parte sollicitudinis distributâ, quam etiamsi concedamus à Christo immediatè relictam Ecclesiæ seu potiùs Ecclesiæ ministris, nondum evincitur superioritas Concilii. „ quocircà, (concludit rectè Christianus Lupus ad Canonem 19. dictatus Gregorij 7.) fundamentum, ex „ quo Ioannes Gerson & Basileensium Doctores educere conati sunt, „ Romanum Episcopum subesse Synodis, & caducum est, & nullum.„ Addo ego, alia fundamenta proferenda esse, ut triumphum canat Launoius de Superioritate Concilij, quam ex clavibus per Christum promissis nullatenus stabiliri, hactenus dicta proclamant & sufficienter ostendunt.

Apologia Eugenij 4.

Lupus.

CAPUT III.

De Institutione Ecclesiarum per Apostolos facta.

34. *Regimen Monarchicum Ecclesiæ esse Aristocratico mixtum probatur tum ex Christi instituto, tum ex Leonis Magni testimonio, quod hierarchiam Ecclesiasticam exponit conformiter ad ordinem imperij institutam.*

34. EX eo quod Monarchicum Aristocratico mixtum sit optimum in vitâ mortali regimen, ut docet Bellarminus lib. 1. de Pontifice, cap. 3. fatendum cum Parisiensium Archiepiscopo de Marca in secundâ sui operis præfatione: „ juxtà receptum ab omnibus theolo- „ gis axioma, Monarchicum Ecclesiæ Regimen Aristocratico temperari. „ Sive, præter Monarchicum Petri Regimen, quo vocatus est in plenitudinem potestatis, Aristocraticum Regimen institutum, quo alij forent vocati in partem solicitudinis. Quis enim dicet omissum aliquid ab æternâ sapientiâ ad bonum Ecclesiæ & non institutum illud, quod ei erat conducibilius? *fuisse autem multò conducibilius universæ Ecclesiæ*, (inquit S. Basilius Cæsareæ Capadociæ Episcopus epistola 406.) *ut in plures Episcopos solicitudo hæc divideretur è rebus ipsis manifestum esse arbitror.*

De Marca.

Basilius.

Formam hujus instituti non solum admittit sed etiam describit S. Leo epistola 84. ad Anastasium Thessalonicensem: *Inter Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut cæteris præemineret, de quâ formâ Episcoporum quoque est orta distinctio, & magnâ discretione provisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis Provinciis singuli, quorum ratio inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidam in majoribus urbibus constituti, solicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil usquam à suo capite dissideret.* Sicut Christus electis Apostolis, unum inter eos constituit Principem, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio, ita, inquit magnus Leo, sanctissimi Apostoli hanc formam regiminis à Christo institutam secuti ordinando Episcopos, per singulas Provincias constituerunt eos, qui primam haberent inter fratres sententiam, id est, metropoliticam potestatem, & rursus quosdam in majoribus Urbibus Constituerunt, ut solicitudinem susciperent ampliorem, id est Patriarchalem dignitatem & curam, circa quam Ecclesiarum institutionem cum plura sint observatu dignissima, sit

S. Leo.

ARTI-

ARTICULUS I.

De regimine Ecclesiastico conformiter ad ordinem Imperij per Provincias distributo.

35. *Imperium olim fuisse in Provincias distributum.*
36. *Proferuntur ex Notitiâ Imperij ultrà Honorij & Arcadij tempus conscriptâ Provinciæ Imperij sub 13. Diœcesibus, & Diœceses sub quatuor Præfectis Prætorio.*
37. *Conformiter ad Imperium Ecclesiam ab Apostolis per Provincias ordinatam, ut in singulis Provincijs fideles sub uno Metropolitâ in Civitate Metropoli Constituto penderent, probatur 1. ex Petri epistolâ 1. Canonicâ scriptâ ad fideles Dispersionis Ponti, Galatiæ, Capadociæ, Asiæ, & Bithiniæ.*
38. *Secundò ex Ioanne Evangelistâ Apocalypsios 1. ubi scribit septem Ecclesiis Asiæ, Ephesi, Smyrnæ, Pergami &c.*
39. *Tertiò ex Apostolo Paulo ad Rom. 15. meminiscens Ecclesiarum Macedoniæ & Achaiæ.*
40. *Quartò id clarè deducitur ex epistolâ Pauli ad Titum, quem in Cretâ insulâ, nunc Candiâ, constituit Metropolitam, ut ordinaret per Candiæ Civitates Episcopos, unde & Gortyna Cretæ Metropolis remansit.*
41. *Quintò id conficitur testimonio D. Hieronymi circà Ierosolymæ Civitatem, quæ licet fidei Metropolis vocata sit, ob Consulatum tamen Cæsaream translatum pro Metropoli Cæsaream Palestinæ agnovit primis Ecclesiæ sæculis.*
42. *Probari id posset ex subsequentium sæculorum testimoniis, sed quià res in confessò est, adductum Gregorij VII. testimonium ostenditur consonare Synodo Antiochenæ, & Nicenæ primæ.*

35. MEminit S. Ecclesiæ Pontifex Leo primus singularum Provinciarum, in quibus constituti erant Metropolitæ Ecclesiastici, quod Imperium jam in Provincias erat distributum à temporibus Apostolorum. „ Et Oriens (inquit Dominus de Marea libro 1. „ capite 4. §. 2.) in dispositione Imperij Romani eas Provincias omnes complectitur ab ipsius Vespasiani temporibus, quæ à Thracia „ per Ægyptum & Asiam minorem usque ad Euphratem & Tygrim „ pertinent. Hæ Provinciæ quinque Diœcesibus comprehendebantur, „ Thracicâ, Ponticâ, Asianâ, Orientali, & Ægyptiacâ, quæ Magistra- „ tibus

De Marea.

„ tibus sibi Præfectis parebant. „ *quinque Diæcesibus*, inquit Parisiensium Archiepiscopus de Marca, Respiciens ad posteriora tempora, quibus Thracia, Pontus, Asia, Oriens, & Ægyptus Diœceses Imperij vocatæ sunt, quod, ut notat Jacobus Sirmondus cum alijs nostri sæculi peritis, primò contigit sub Constantino Magno, qui Imperium Romanum suo tempore sub varijs Præfectis Prætorio ordinavit, & Provincias varias sub unoquoque Præfecto ordinaturus eas Diœceses intitulavit, ut Diœcesis sub sese habeat plures Provincias sicut Provincia plures Civitates, & licet hoc in Imperio quoad rem ipsam esset ab initio Ecclesiæ, attamen nomen Diœcesis posuit D. De Marca. Quod saltem de temporibus Constantini Magni procedit, quibus primum nomen Diœcesis in Imperio auditum est, & post quæ Notitia Imperij prodiit ultrà Arcadij & Honorij tempora, quam primò editam Basileæ anno 1552. deinceps rexcusit Lugduni anno 1608. Guidus Pancirolus I. V. C. in Patavino Gymnasio Interpres legum primarius cum notis & commentario, ex quibus videre est, sub quatuor Præfectis Prætorio per totum Imperium fuisse Diœceses omninò tredecim, sex Orientis, & Occidentis septem, illasque continuisse Provincias centum & octodecim, Orientis nimirum Provincias 60. & Occidentis 58. quas pro majori elucidatione ex ipsâ Notitiâ cum tempore, quo ferè scripta est, apponendas duxi.

Guidus Pàcirolus.

36. Habet præfatio: „ Sub finem principatus Theodosij hanc „ notitiam scriptam fuisse: Et ipsa operis inscriptio: *Hanc notitiam ultrâ Arcadij Honoriique tempora scriptam esse*, „ Quod (inquit præfatio) „ post annum 453. quo Honorius decessit, fuisse oportet, nec post „ annum 453. quo auctore Cassiodoro & Comite Marcellino Con„ cordia & Aquileia ab Attilâ sunt eversæ, scribi potuit. Quia Con„ cordiensis Fabricæ, & Thesaurorum Aquileiæ tunc extantium, mo„ netæque ibidem percussæ meminit. „ Hęc notitiæ præfatio de auctoris sui tempore, & ne aliquid omitteretur, en ipsas Diœceses & Provincias sub quatuor Præfectis Prętorio ordine sequenti in Notitiâ expressas.

Præ-

Præfectus Prætorio Orientis,

Et sub ipso Diœceses quinque.

Orientis.	Ægypti.	Asiæ.	Ponti.	Thraciæ.
Sub Diœcesi Orientis,	*Sub Diœcesi Egypti,*	*Sub Diœcesi Asiæ,*	*Sub Diœcesi Ponti,*	*Sub Diœcesi Thraciæ,*
Provinciæ 15.	*Provinciæ 6.*	*Provinciæ 10.*	*Provinciæ 11.*	*Provinciæ 6.*
Palestina,	Libya Superior,	Pamphylia,	Galatia,	Europa,
Phenice,	Libya Inferior,	Hellespontus,	Bithinia,	Thracia,
Syria,	Thebais,	Lydia,	Honarias,	Hemimontis,
Cilicia,	Ægyptus,	Pisidia,	Cappadocia prima, et 2.	Rhodope,
Cyprus,	Arcadia,	Lycaonia,	Paphlagonia,	Mœsia 2.
Arabia,	Augustanica	Phrygia Pacatiana,	Pontus Polemoniacus,	Schitia.
Isauria,		Phrygia Salutaris,	Hellenopontus,	
Palestina Salutaris,		Lycia,	Armenia 1.	
Palestina 2.		Caria,	Armenia 2.	
Phenice Libani		Insulæ.	Galatia Salutaris.	
Euphratensis,				
Syria Salutaris				
Osrhoena,				
Mesopotamia,				
Cilicia secunda				

Præfectus Prætorio Illyrici,

Et sub ipso Diœceses duæ.

Macedoniæ	& Daciæ.
Sub Diœcesi Macedoniæ,	*Sub Diœcesi Daciæ,*
Provinciæ Sex.	*Provinciæ Quinque.*
Achaia,	Dacia Mediterranea;
Macedonia,	Dacia Ripensis;
Creta,	Mœsia prima,
Thessalia,	Dardania Prævalitiana,
Epirus vetus;	Pars Macedoniæ Salutaris.
Epirus nova,	

E Præ-

Præfectus Prætorio Italiæ,

Et sub ipso Diœceses Tres:

Italiæ.	Illyrici.	Africæ.
Sub Diœcesi Italiæ,	*Sub Diœcesi Illyrici,*	*Sub Diœcesi Africæ,*
Provinciæ 17.	*Provinciæ* 6.	*Provinciæ* 6.
Venetiæ,	Pannonia secunda,	Byzacium,
Æmilia,	Savia,	Numidia,
Liguria,	Dalmatæ,	Mauritania Sitifensis,
Flaminia & Picenum Annonarium,	Pannonia prima,	Mauritania Cęsareensis,
Tuscia & Umbria,	Noricum Mediterraneum,	Tripolis,
Picenum Suburbicarium,	Noricum Ripense.	Africa Proconsularis.
Campania,		
Sicilia,		
Apulia & Calabria,		
Lucania & Brutij,		
Alpes Cottiarum,		
Retia prima,		
Retia secunda,		
Samnium,		
Valeria,		
Sardinia,		
Corsica.		

Præ-

Præfectus Prætorio Galliarum,

Et sub ipso Diœceses Tres:

Hispaniæ.	7. Provinciarum.	Britanniarum.
Sub Diœcesi Hispaniæ, Provinciæ 7.	*Sub Diœcesi Galliarum seu 7. Provinciarum, Provinciæ 17.*	*Sub Diœcesi Britanniarum, Provinciæ 5.*
Bœtica,	Viennensis,	Maxima Cæsareensis,
Lusitana,	Lugdunensis prima,	Valentia,
Gallæcia,	Germania prima,	Britannia prima,
Tarraconensis,	Germania secunda,	Britannia secunda,
Carthaginensis,	Belgica prima,	Flavia Cęsareensis.
Tingitania,	Belgica secunda,	
Baleares.	Alpes maritimæ,	
	Alpes Penninæ & Graiæ	
	Maxima Sequanorum,	
	Aquitania prima,	
	Aquitania secunda,	
	Novem Populi,	
	Narbonensis prima,	
	Narbonensis secunda,	
	Lugdunensis secunda,	
	Lugdunensis tertia,	
	Lugdunensis Senonia.	

Hæc ex Notitia Imperij, quam licet plerique Imperatori Constantino Magno adscribant, sub quo Patres Arelatenses meminiscunt Diœcesium majorum. Nullatenus tamen dubitandum, quin ordo Imperij utcumque ex antiquâ Provinciarum dispositione fuerit desumptus, ut vel monumenta Antiquitatis tam prophanæ quam ecclesiasticæ perscrutanti facilè innotescet: fuerunt Regiones in Italiâ,& Provinciæ per Orientem, in quibus singulis consueverant subjacentes populi ad Metropolim seu civitatem matricem concurrere à Præfectis sibi Magistratibus judicandi: & ad hanc Imperij constitutionem conformiter

In Synodicâ ad Silvestrum Pap.

 formiter

formiter institutas ab Apostolis Ecclesias,, absque ullo negotio (ut ait libro 1. cap. 3. de Marca) probari potest. ,, Hoc enim ex pluribus Antiquitatis monumentis colligitur, quod habet Christianus Lupus parte 1. ad can. 3. Synodi Constantinopolitanæ: ,, Romanarum Pro-,, vinciarum Metropoles Civitates & fines, fuisse Metropoles, Civi-,, tates, & fines Provinciarum Ecclesiæ. ,,

De Marca.

Lupus.

37. Et primò quidem id testatur Apostolorum Principis Petri epistola 1. canonica, quam ex Babylonia vel Roma, ut veteres interpretati sunt, dedit ad novos Christianos ,, *Dispersionis Ponti, Gala-,, tiæ, Capadociæ, Asiæ, & Bithiniæ*; ,, id est (inquit de Marca, li-,, bro 6. capite 1. §. 4.) Christianis totidem Provinciarum Imperij ,, Romani. ,, Cum enim Imperium in has & plures Provincias esset distributum à temporibus Apostolorum, S. Petrus Christianos per Provincias nominat, ut significaret, Ecclesias sub uno Metropolitâ per Provincias Imperij institutas juxtà illud Leonis primi: *magnâ dispositione provisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, ut essent in singulis Provinciis singuli, quorum ratio inter fratres haberetur prima sententia.* Et sic reverà esse, patet ex laudatarum à Petro Provinciarum distributione, quæ sub antiquis Imperii Metropolibus perseveravit etiam quoad dignitatem Metropolitanam Ecclesiæ ibidem institutam: ita in Bithiniæ Provinciâ habuimus pro Metropoli Nicomediam: in Provinciâ Cappadociæ pro Metropoli Cæsaream, de qua Eutropius sub Tiberio Cęsare libro 7. refert, per Germanicum Drusi filium captum ejus Regem Archelaum Cappadocem: *cuius etiam Regnum in Provinciæ formam redegit, ut maximam civitatem appellari suo nomine jussit, quæ nunc Cæsarea dicitur*: in Ponticâ Provinciâ pro Metropoli Amaseam, & in Asiæ Proconsularis Provinciâ Ephesum, ex qua urbe D. Joannes Evangelista rexit Ecclesias Asiæ, ut ex D. Hieronymi libro de Scriptoribus Ecclesiasticis exhibet Breviarium Romanum: *sub Nerone Principe rediit Ephesum, ibique usque ad Traianum Principem perseverans, totas Asiæ fundavit, rexitque Ecclesias.*

Leo I.

Eutropius.

Hierony.

38. Secundò id colligitur ex ipso Joanne Evangelista, qui Apocalypsios 1. scribit nomine Dei septem Ecclesijs Asiæ: *septem Ecclesiis, quæ sunt in Asiâ, Epheso, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyaritæ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiceæ.* Hic enim videre licet, S. Joannem 7. Ecclesias per Asiæ regionem distinguere à reliquis Orbis Romani Ecclesijs, initiumque facere ab Ephesina, quod hæc esset in Metropoli totius Asię minoris constituta, cujus Episcopus cęteras Asię regebat Eccle-

Apocal. I.

Ecclesias. Addit & Joannes, præcipuarum Asiæ civitatum Metropoles, ut & in iis illustriores dignitates ecclesiasticas innueret institutas juxtà formam civilis Imperij tunc temporis inventam. Cum verò subditorum vitia pendeant quam maximè ex pastorum incuriâ, voluit Christus Dominus per Evangelistam suum Joannem scribere ad 7. Angelos, seu Episcopos 7. præcipuarum Asiæ civitatum, ut bonos firmaret in pastorali vigilantiâ, desides verò ad curam vigilantiorem incitaret.

Paulus ad Rom.

39. Tertiò id colligitur ex gentium Doctore ad Rom. 15. *probaverunt*, (inquit) *Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, qui sunt in Ierusalem.* Laudat Apostolus Paulus Ecclesiarum distributiones in Provincias Imperij duas, Macedoniam & Achaiam, quarum posterior pro Metropoli habebat Corinthum, ut notavit Florus libro 2. cap. 16. unde & Paulus ad cunctas Achaiæ scribens Ecclesias, litteras suas ad Metropoleos cives Corinthios misit: *Ecclesiæ Dei* (inquit secundâ ad Corinth. cap. 1.) *quæ est Corinthi, cum universâ Achaiâ.* Ad quæ verba D. Chrysostomus homilia 1. inquirit: *cur ad Metropolim scribens, omnibus per eam scribat?* Ubi & vides, D. Chrysostomum Achaiæ Metropolim indigitare Corinthum, prout quoque in terminis testatur D. Ambrosius ad laudata Apostoli verba: *Achaia, cuius est Metropolis Corinthus.* Sicque S. Paulus non solum ad Achaianos per Metropoleos cives Corinthios epistolas direxit, sed ad alios quoque Metropolium Civitatum Christianos, uti lùcet ex epistolâ ad Ephesios, quorum civitas Metropolis fuit in Asia, ut jam observavimus: ex epistola ad Philippenses, quorum civitas Philippis erat una ex Metropolibus Macedoniæ, ut manifestè indicat D. Chrysostomus. Demùm ex epistolâ ad Thessalonicenses capite 1. ubi scribit Apostolus: *Ecclesiæ Thessalonicensium*; eo quod Thessalonica Metropolis erat Macedoniæ nobilissima, in qua Romani subindè Pontifices suos constituere per Illyricum Vicarios: unde & hæc inscriptio Bonifacij primi in causâ Perigenis epistolâ 10. apud Lucam Holstenium: *Rufo & cæteris Episcopis per Macedoniam, Achaiam, Thessaliam, Epirum veterem, Epirum novam, Prævalin, & Daciam constitutis.* Ubi non solum Rufum Thessalonicensem Metropolitam primo loco tanquam suum per Illyricum Vicarium posuit, sed & insuper cunctas Illyricæ Macedoniæ nominavit Provincias pro regimine ecclesiastico disiunctas.

Corint. 1. — Chrysost. — Ambros. — Bonifac. I.

40. Quartò id colligitur ex Paulo in epistolâ ad Titum cap. 1. ubi scribit: *reliqui te Cretæ, ut constituas per Civitates Presbyteros, sicut & ego dispo-*

Paulus epist. ad Titum.

formiter institutas ab Apostolis Ecclesias,, absque ullo negotio (ut ait libro 1. cap. 3. de Marca) probari potest.,, Hoc enim ex pluribus Antiquitatis monumentis colligitur, quod habet Christianus Lupus parte 1. ad can. 3. Synodi Constantinopolitanæ: ,, Romanarum Pro- ,, vinciarum Metropoles Civitates & fines, fuisse Metropoles, Civi- ,, tates, & fines Provinciarum Ecclesiæ. ,,

De Marca.

Lupus.

37. Et primò quidem id testatur Apostolorum Principis Petri epistola 1. canonica, quam ex Babylonia vel Roma, ut veteres interpretati sunt, dedit ad novos Christianos ,, *Dispersionis Ponti, Gala- ,, tiæ, Capadociæ, Asiæ, & Bithiniæ*; ,, id est (inquit de Marca, libro 6. capite 1. §. 4.) Christianis totidem Provinciarum Imperij ,, Romani. ,, Cum enim Imperium in has & plures Provincias esset distributum à temporibus Apostolorum, S. Petrus Christianos per Provincias nominat, ut significaret, Ecclesias sub uno Metropolitâ per Provincias Imperij institutas juxtà illud Leonis primi: *magnâ dispositione provisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, ut essent in singulis Provinciis singuli, quorum ratio inter fratres haberetur prima sententia.* Et sic reverà esse, patet ex laudatarum à Petro Provinciarum distributione, quæ sub antiquis Imperii Metropolibus perseveravit etiam quoad dignitatem Metropolitanam Ecclesiæ ibidem institutam: ita in Bithiniæ Provinciâ habuimus pro Metropoli Nicomediam: in Provinciâ Cappadociæ pro Metropoli Cæsaream, de qua Eutropius sub Tiberio Cęsare libro 7. refert, per Germanicum Drusi filium captum ejus Regem Archelaum Cappadocem: *cujus etiam Regnum in Provinciæ formam redegit, ut maximam civitatem appellari suo nomine jussit, quæ nunc Cæsarea dicitur*: in Ponticâ Provinciâ pro Metropoli Amaseam, & in Asiæ Proconsularis Provinciâ Ephesum, ex qua urbe D. Joannes Evangelista rexit Ecclesias Asiæ, ut ex D. Hieronymi libro de Scriptoribus Ecclesiasticis exhibet Breviarium Romanum: *sub Nerone Principe rediit Ephesum, ibique usque ad Traianum Principem perseverans, totas Asiæ fundavit, rexitque Ecclesias.*

Leo I.

Eutropius.

Hierony.

38. Secundò id colligitur ex ipso Joanne Evangelista, qui Apocalypsios 1. scribit nomine Dei septem Ecclesijs Asiæ: *septem Ecclesijs, quæ sunt in Asiâ, Epheso, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyaritæ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiceæ.* Hic enim videre licet, S. Joannem 7. Ecclesias per Asiæ regionem distinguere à reliquis Orbis Romani Ecclesijs, initiumque facere ab Ephesina, quod hæc esset in Metropoli totius Asię minoris constituta, cujus Episcopus cęteras Asię regebat

Apocal. I.

Eccle-

Ecclesias. Addit & Joannes, præcipuarum Asiæ civitatum Metropoles, ut & in iis illustriores dignitates ecclesiasticas innueret institutas juxtà formam civilis Imperij tunc temporis inventam. Cum verò subditorum vitia pendeant quam maximè ex pastorum incuriâ, voluit Christus Dominus per Evangelistam suum Joannem scribere ad 7. Angelos, seu Episcopos 7. præcipuarum Asiæ civitatum, ut bonos firmaret in pastorali vigilantiâ, desides verò ad curam vigilantiorem incitaret.

39. Tertiò id colligitur ex gentium Doctore ad Rom. 15. *probaverunt*, (inquit) *Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Ierusalem.* Laudat Apostolus Paulus Ecclesiarum distributiones in Provincias Imperij duas, Macedoniam & Achaiam, quarum posterior pro Metropoli habebat Corinthum, ut notavit Florus libro 2. cap. 16. unde & Paulus ad cunctas Achaiæ scribens Ecclesias, litteras suas ad Metropoleos cives Corinthios misit: *Ecclesiæ Dei* (inquit secundâ ad Corinth. cap. 1.) *quæ est Corinthi, cum universâ Achaiâ.* Ad quæ verba D. Chrysostomus homilia 1. inquirit: *cur ad Metropolim scribens, omnibus per eam scribat?* Ubi & vides, D. Chrysostomum Achaiæ Metropolim indigitare Corinthum, prout quoque in terminis testatur D. Ambrosius ad laudata Apostoli verba: *Achaia, cuius est Metropolis Corinthus.* Sicque S. Paulus non solum ad Achaianos per Metropoleos cives Corinthios epistolas direxit, sed ad alios quoque Metropolium Civitatum Christianos, uti lucet ex epistolâ ad Ephesios, quorum civitas Metropolis fuit in Asia, ut jam observavimus: ex epistola ad Philippenses, quorum civitas Philippis erat una ex Metropolibus Macedoniæ, ut manifestè indicat D. Chrysostomus. Demùm ex epistolâ ad Thessalonicenses capite 1. ubi scribit Apostolus: *Ecclesiæ Thessalonicensium*; eo quod Thessalonica Metropolis erat Macedoniæ nobilissima, in qua Romani subindè Pontifices suos constituere per Illyricum Vicarios: unde & hæc inscriptio Bonifacij primi in causâ Perigenis epistolâ 10. apud Lucam Holstenium: *Rufo & cæteris Episcopis per Macedoniam, Achaiam, Thessaliam, Epirum veterem, Epirum novam, Prævalin, & Daciam constitutis.* Ubi non solum Rufum Thessalonicensem Metropolitam primo loco tanquam suum per Illyricum Vicarium posuit, sed & insuper cunctas Illyricæ Macedoniæ nominavit Provincias pro regimine ecclesiastico disiunctas.

40. Quartò id colligitur ex Paulo in epistolâ ad Titum cap. 1. ubi scribit: *reliqui te Cretæ, ut constituas per Civitates Presbyteros, sicut & ego dispo-*

Paulus ad Rom.

ad Corint. 1.

Chrysost.

Ambros.

Bonifac. I.

Paulus epist. ad Titum.

disposui tibi. Per Presbyteros olim quoque significabantur Episcopi, ut observant D. Ambrosius, Chrysostomus, & ipsemet Paulus hoc loco interpretatus est, cum immediatè addat nomen *Episcopi*: reliquit ergo Paulus Titum in Crętæ insulâ, quæ & una fuit ex Provinciis Macedoniæ, ut habet Notitia, & tradit Ruffinus, idque ut ibidem per civitates ordinaret Episcopos, quod ipsum ad Metropolitas in suâ spectat provinciâ juxtà canonem 4. Concilij Niceni, qui, licet electionem omnibus Provinciæ adscribat Episcopis, & consecrationem (si plures Provinciales Episcopi adesse nequeant) tribus præsentibus tradat perficiendam, absentibus quoque pari modo per scripta consentientibus, attamen adjungit, *ut firmitas eorum, quæ geruntur, per unamquamque Provinciam Metropolitano tribuatur Episcopo.* Quæ verba parte 1. ita interpretatur Doctor Lovaniensis Christianus Lupus, ut sicut ad Romanæ Reipublicæ normam Ecclesiæ Provincias ordinarint Apostoli, ita & Nicenum consequenter statuerit. „ In quâvis provinciâ esse „ Episcopum Metropolitam, eumque unicum, cui & electorum Pro- „ vincialium Episcoporum, aliorumque omnium per provinciam agen- „ dorum competat confirmatio. „ Et hoc ipsum ex facto Pauli roboratum existit, qui instituto in Cretâ insulâ Tito, ut Metropolitanâ auctoritate civitatibus ad fidem noviter conversis Episcopos constitueret & ordinaret, factum est, quod Gortyna Cretæ Metropolis jus illud in subsequentibus sęculis retineret.

Can. 4. Nic.

Lupus.

41. Colligitur quintò ex D. Hieronymo, epist. 16. ad Joannem Jerosolymitanum Episcopum: nondum Jerosolyma in sedem Patriarchalem evaserat, sed ipsius Episcopus sub Cęsareensi Palestinę tanquam Metropolitâ, & sub Antiocheno tamquam Patriarchâ erat subjectus. Interim resuscitato in sanctâ civitate Origenis errore, Joannes Jerosolymitanus Episcopus de eo ad Theophilum Patriarcham Alexandrinum retulit, quod adeò graviter tulit D. Hieronymus, ut datis ad Joannem litteris eumdem regulis Ecclesię, & Concilij Niceni Canonibus repugnare contenderit: *aut* (inquit) *ad Cæsareensem Episcopum referre debueras, aut si procul expetendum consilium, Antiochiam potius dirigendæ litteræ: maluisti occupatis auribus molestiam facere* (Episcopo Alexandrino) *quam debitum Metropolitano tuo honorem reddere.* Licet Jerosolymis S. Jacobus frater Domini ab Apostolis fuerit ordinatus Episcopus, & ex illâ urbe Christi Passione & sacrosancto Sanguine sacratâ fides ortum duxerit, eamque ob rem à D. Cyrillo fidei Metropolis vocata sit S. Civitas, tamen quia teste Tacito libro 2. Histo-

Hieron.

riarum

riarum, Cæsarea caput erat Judeæ, & à tempore Vespasiani post excisam Jerosolymam consulatus Judeæ Cæsaream translatus erat, ut in constitutione novellâ 103. Imperatoris Justiniani annotatum est, hinc Cæsarea quoad Palestinæ Provinciam, in qua & Jerosolyma erat, evasit Metropolis Ecclesiasticæ jurisdictionis, signum manifestissimum, ex Apostolorum præscripto juxtà provinciarum Imperij & civitatum Metropolitanarum distributionem, etiam Metropolitanam dignitatem ordinatam fuisse in Ecclesiâ. Hinc licet posteà reædificata esset Jerosolyma per Ælium Adrianum, & nomen Æliæ sortita ad majores honores ecclesiasticos evecta fuerit, manebat tamen institutio Apostolorum etiam tempore Concilij Niceni, cujus canon. 7. Æliæ Episcopo honorem quidem adjudicat, sed *salvâ Metropoli propriâ dignitate*, quod occasionem prębuit D. Hieronymo scribendi, à Concilio Niceno decretum, aut potius firmatum fuisse, *ut Palestinæ Metropolis Cæsarea sit.*

Canon. 7. Nicen.

D. Hieron.

42. Probari id posset pluribus subsequentium sęculorum testimoniis, sed in re clarâ & perspicuâ sufficiat unus Gregorius Papa VII. lib. 6. epist. 35. ad Rothomagensem, Turonensem, & Senonensem Archiepiscopos: *Provinciæ* (inquit) *multo ante Christi adventum tempore divisæ sunt maximâ ex parte; & posteà ab Apostolis & beato Clemente prædecessore nostro ipsa divisio est renovata.* Loquitur Gregorius VII. ex antiquis decretalium epistolis, ut observat D. de Marca, dissertatione ad Concilium Claromontanum, numero 57. & licet suppositiciæ sint epistolæ, collector tamen fuit Catholicus, & pleraque hausit ex Antiquitatis monumentis, unde & subsequentia Isidorum sæcula illud ultrò amplexa sunt, & ex pluribus adductis à Gratiano in decreto, distinct. 80. & 90. hac de re auctoritatibus, testimoniorum istorum veritatem firmavit anno 340. Synodi Antiochenæ canon. 9. dum statuit: *per singulas Regiones Episcopos convenit nosse, Metropolitanum Episcopum solicitudinem totius Provinciæ gerere, propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant.* Hæc enim de Metropoli civili intelligenda esse, nemo negabit. *Unde* (pergunt Patres Antiocheni de erectione Metropolis Ecclesiasticæ) *placuit, eum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum cæteros Episcopos agere secundum antiquam à Patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantum, quæ ad suam Diœcesim pertinent, possessionesque subjectas.* Ac si diceret, quod posteà observavit Parisiensium Archiepiscopus de Marca lib. 4. cap. 1. §. 31. „ Cum in Imperio Provinciæ „ contributæ essent cuidam civitati primariæ, quæ Metropolis dicebatur,

Gregorius 7.

Can. 9. antioch.

De Marca.

„ batur, apud quam Magistratus subjectorum causas judicabant, & „ quo propterea populi frequentius conveniebant, quod singulari „ quodam jure cęteræ civitates à matrice penderent, Apostoli itidem „ Episcopos in civitatibus constituerunt, eo videlicet ordine, ut pen- „ derent ab Episcopo in Metropoli sive urbe primariâ. „ & ut addit Antiochenum Concilium sese à Patribus accepisse, quatenus suffraganei Episcopi nihil circà Provinciæ causas tractarent, nihilque de Co-episcoporum judicijs agerent sine Metropolitani sententiâ, qui & pro illis convocare debebat Synodum Episcoporum Provincialium, quod Antiochenum hausit ex Niceni canone 5. idcircò statuente: *Annis singulis per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus simul Episcopis congregatis Provinciæ discutiantur huiusmodi quæstiones.*

Canon. 5. Nicen

ARTICULUS II.

De majoribus Imperij Civitatibus, & institutâ ibidem à Petro majori dignitate Patriarchali.

43. *Proferuntur ex Cardinali Perronio tres majores Imperij Civitates Antiochia in Oriente, Alexandria in Ægypto, & Roma in Occidente.*

44. *In tribus illis Imperij Civitatibus institutas tres Sedes Patriarchicas probatur ex Niceno Concilio, Leone I. & Gelasio tum Romanâ Synodo.*

45. *Idem confirmant testimonia Gregorij Magni & Nicolai I. quibus consonant tam Græci quam Latini tractatores Ecclesiastici.*

43. EMinentissimus Galliæ Primas Perronius capite 30. contrà Angliæ Regem ostensurus Ecclesiastici regiminis institutum, haud ignarus cum respectu ad Imperium fuisse factum, ipsius Imperij origines detegit, aitque, Orbem Ditionis Romanæ ex tribus potissimum Regnis coadunatum: ex Regno Asiæ, quod obtinuerant Successores Seleuci, ex Regno Ægypti, quod tenuerant Successores Ptolomei Lagi Filij, & Occidentis, quod jam dudum tenuerant Imperatores Romani, ut sic tres potissimum partes extiterint Orbis Romani, seu Monarchiæ Alexandri, in quibus tres Metropoles antiquorum eminebant Imperiorum: Asiani Antiochia, quam Iosephus de de Bello Iudaico lib. 3. cap: 3. nominat tertiam civitatém Orbis Romani,

mani, & S. Chrysostomus homilia 5. ad populum Antiochenum. caput & matrem Orientis, *Civitatum enim* (inquit) *sub Oriente positarum caput & mater est civitas nostra.* Ægyptiaci Alexandria, quam Dio Chrysostomus orat. 32. vocat secundam civitatem sub sole, utpotè quæ erat Ægyptiaci Regni princeps: & Occidentalis Roma, unde & antiquiores Hebræi Romam appellare consueverant Imperium Edom, & Titum subnominabant Idumeum, quod Roma respectu Iudeæ Meridionalis esset versus Occidentem: *Il y eust* (inquit Perronius) *trois principales Villes Metropolitaines & Capitales en l'Empire, deux subalternes, à sçavoir Alexandrie, qui estoit le Chef de l'Empire de Midy, c'est à dire de l'Empire d'Egypte: & Antioche, qui estoit le Chef de l'Empire d'Orient, c'est à dire de l'Empire d'Asie, & une supereminente à sçavoir Rome, qui estoit particulierement Chef de l'Empire d'Occident & outre cela avoit la super-intendance sur les Chefs des deux autres Empires.*

Chrysost.

Perronius.

44. Quod in tribus illis Civitatibus Imperii institutæ sint tres potissimæ dignitates Ecclesiæ & præcipuæ Sedes Patriarchicæ, nimis apertum est, & totius Orientis ac Occidentis testimonio magis roboratum, quam ut diu his firmandis inhæreamus. Sacrosanctum Nicenum Concilium, quod de omni Apostolicâ Ecclesiarum constitutione, teste Gelasio Cyziceno, tractatum habuit, antiquam consuetudinem ab Apostolis ortam servari mandavit Canone 6. *Antiqua* (inquiens) *Consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quia & Urbis Romæ parilis mos est. Similiter & apud Antiochiam.* En trium Sedium Patriarchalium in præcipuis Imperij Urbibus auctoritatem canone Sacrosancti Concilij Niceni firmatam, quam Leo primus epistola 53. ad Anatolium instituto Apostolorum Principis Petri satis manifestè adscribens, stabilem permanere præcepit: *Nihil* (inquit) *Alexandrinæ Sedis, ejus, quam per sanctum Marcum Evangelistam B. Petri Discipulum meruit, pereat dignitatis, Antiochena quoque Ecclesia in quâ primum prædicante Apostolo Petro Christianum nomen exortum est, in paternæ constitutionis ordine perseverat, & in gradu tertio collocata numquam fiat inferior.* Antiochenam dicit S. Leo, *præclarissima*, ut vocat Ioannes 3. *Ecclesiæ tuba*, ordine tertiam, quod Alexandrina secundum, & Romana Sedes primum obtinerent locum, De quibus S. Gelasius Papa anno 494. cum septuaginta Episcopis in Synodo Romanâ: *Est ergò prima Petri Apostoli Sedes Romana Ecclesia, non habens maculam neque rugam, nec aliquid hujusmodi. Secunda autem Sedes apud Alexandriam beati Petri nomine à Marco eius & Discipulo & Evangelista consecrata est,*

Canon. 6. Nicen.

Leo 1.

S. Gelasius cum Concilio 70. Episc.

est, ipseque à Petro Apostolo in Ægyptum directus, verbum veritatis prædicavit, & gloriosum consummavit Martyrium. Tertia verò Sedes apud Antiochiam eiusdem beatissimi Petri Apostoli nomine habetur honorabilis, eo quod illic, priusquam Romam venisset, habitavit, & illic primum nomen Christianorum novellæ gentis exortum est..

S. Gregor. 45. Non minus clarè id ipsum confirmavit S. Gregorius Magnus lib. 6. epist. 37. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum: *quis enim nesciat*, (inquit) *sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit ex nomine, ut Petrus à Petra vocaretur? Cui veritatis voce dicitur: tibi dabo claves Regni Cælorum: cui rursus dicitur: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos: iterumque; Simon Ioannis amas me? pasce oves meas. Itaque cum multi sint Apostoli pro ipso tamen Principatu sola Apostolorum Principis sedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est. Ipse enim sublimavit sedem, in qua etiam quiescere & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit sedem, in qua Evangelistam Discipulum misit. Ipse firmavit sedem, in qua septem annis quamvis discessurus sedit.* Ultrà Petri Apostoli Principatum, quem à Christo acceptum successoribus suis Romanis Pontificibus reliquit, tres potissimum Patriarchatus instituit, de quibus olim S. Leo epist 84. ad Anastasium Thessalonicensem: *quidam in majoribus urbibus Constituti*, ut *solicitudinem reciperent ampliorem*: & hos ità institutos subdit magnus ille Pontifex Leo, ut per illos *ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura confluerent*. Quod S. Gregorius nusquam negat, quin imò speciali sibi honore tributum agnoscit epistolâ citatâ, & solicitudinem illam ampliorem exponit, solummodò in auctoritate convaluisse pro ipsâ S. Petri instituentis auctoritate, quod nimirum nec aliorum Apostolorum Ecclesiæ, multò minus ambientium in subsequentibus sæculis Episcoporum Sedes ad tantam auctoritatem usquam erigi potuerint. Undè & dum Constantinopolitanus Episcopus novæ Romæ splendoribus elatus, sibi Patriarchalem locum usurpasset, dubitantibus Bulgaris respondit Nicolaus Papa primus n. 92. *Desideratis nosse, quot sint veraciter Patriarchæ? Veraciter illi habendi sunt Patriarchæ, qui Sedes Apostolicas per successiones Pontificum obtinent, id est, qui illis præsunt Ecclesiis, quas Apostoli instituisse probantur, Romanam videlicet, & Alexandrinam, & Antiochenam. Romanam, quam Sanctorum Principes Apostolorum Petrus ac Paulus, & prædicatione sua instituerunt, & pro Christi amore fuso proprio sanguine sacraverunt. Alexandrinam, quam Evangelista Marcus Discipulus & de baptismate Petri filius à Petro missus instituit, & Domini Christi Cruore dicavit. Antiochenam, in qua conventu magno sancto-*

Matth. 16. Lucæ 22. Ioan. 21.

Leo. I.

Nicolaus I.

sanctorum facto, primum fideles dicti sunt Christiani, & quem B. Petrus priusquam Romam veniret, per annos aliquot gubernavit. Loquitur Nicolaus primus de Ecclesijs Apostolicis quinque Patriarchalium Sedium, quarum tres tantum ab Apostolorum Principe institutas, voluit veraciter Sedes Patriarchales dicendas: Illasque à Petro institutas veras sedes Patriarchales fuisse, latius exponunt Eminentissimus Cardinalis Perronius cap. 30. contra Angliæ Regem, & Leo Allatius lib. 1. de Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis consensione, capite 2. ubi producit ex Græcis Nicephorum Calixtum lib. 2. cap. 35. ante annos 600. Nilum Doxopatrium in tractatu de Patriarchis, & Meletium Patriarcham Alexandrinum epist. ad Ruthenos de primatu Papæ: quorum dicta cum suâ opinione in hoc compendium redegit Leo Allatius loco citato: „ Petrus Patriarchatum Antiochiæ erigit: isque adhuc eo vivente „ & jubente, dum ipse rebus universalioribus incumbit, ab aliis com„ ministratur. Interim ipse Ecclesiam Romæ fundat, & sedem collo„ cat, & Marcæ Evangelistæ Alexandrinam Ecclesiam erectam com„ mendat, hinc Petrus Patriarchatuum fundator jure & meritò dicitur.

Perronius. Leo Allatius. Nicephor Calixt Nilus Doxopat. Meletius Alex.

ARTICULUS III.

De Exarchorum institutione in tribus Diœcesibus Asianâ, Ponticâ, & Heracleensi.

46. *In trium Diœceseon præcipuis civitatibus institutos exarchatus tres, probatur ex canone 6. Niceno & Synodo Generali 2.*

47. *Tres illas Orientales Diœceses fuisse Autocephalas, id est, nulli Patriarchæ subjectas, sed suis Episcopis Ephesino, Heracleensi, & Cæsareensi semper paruisse, generatim ostenditur.*

48. *Et ulterius speciatim de Asianâ sub Ephesino Episcopo ex varijs antiquitatis monumentis.*

49. *De Ponticâ Diœcesi sub Episcopo Cæsareensi in Cappadociâ.*

50. *Demum de Thracicâ sub Episcopo Heracleensi, de quo licet non extent expressa & specialia testimonia, aliunde tamen sufficienter constat.*

46. SUb Præfecto Prætorio Orientis quinque paruisse Diœceses amplissimas Imperij, ipsa Notitia declarat ultrà Arcadij Honoriique tempus conscripta, & similem partium Orientalium divisionem ab ipso tempore Vespasiani locum habuisse, jam audivimus suprà:

 cum-

cumque in Diœcesi Ægyptiaca à Petro institutum fuisse Patriarcham Alexandrinum, & in Orientali Antiochenum jam vidimus, restabant tres Orientis Diœceses longè ab Italiâ sitæ, quæ sicut à suis Vicariis, aut Proconsulibus regebantur ex earum civitatibus præcipuis, ita & Apostolos permoverunt, ut simile quoddam Patriarchali regimen instituerent, quod sacrosanctum Nicenum Concilium salvum voluit canone 6. ex pervetustâ consuetudine Ecclesiasticâ argumentum desumens. Cum enim Alexandrino juxtà formam Romani Patriarchatus jus suum attribuisset. *Similiter* (inquit) *& apud Antiochiam, cæterasque Provincias, suis privilegia serventur Ecclesijs.* „ Per cæteras „ Provincias, (exponit Christianus Lupus hic.) intelligit presertim tres „ Diœceses Autocephalas ab omni Patriarchali potestate liberas & ex„emptas, habentesque Primatem potestate pari gaudentem in subje„ctas sibi Provincias, nempe Diœcesim Asiaticam sub Ephesino, „ Thracicam sub Heracleensi, Ponticam sub primatu Cæsareensi. „ Idem tenet & probat Parisiensis Archiepiscopus de Marca lib. 1. cap. 3. §. 8. constituto namque jure Alexandrinæ Ecclesiæ ad exemplar Romani Episcopi, simile jus decernit Antiochiæ, & cæteris Provincijs, ergo in quibusdam aliis Provinciis præter Antiochenam observari consueverat simile administrationis Ecclesiasticæ regimen: sunt ferè omnia verba D. de Marca, cui adstipulatur Concilium Constantinopolitanum primum, quod eumdem canonem 6. Nicenum his verbis exponit latius: *Secundum regulas constitutas, Alexandriæ quidem Episcopus ea, quæ sunt in Ægypto, tantum gubernet; Orientis autem Episcopi solius Orientis curam gerant, servatis honoribus primatus Ecclesiæ Antiochenæ, quæ in regulis Nicenæ Synodi continentur. Sed & Asianæ Diœcesis Episcopi ea, quæ sunt in Asiâ, & quæ ad Asianam tantummodò Diœcesim pertinent, gubernent: Ponti autem Episcopi, Ponticæ tantum Diœcesis habeant curam: Thraciæ vero, ipsius tantummodò Thraciæ.* Cum præter sedes Patriarchales, tres alias Diœceses ex statuto Niceno in tria Episcoporum collegia dividat Concilium Generale secundum, necesse erat, quod illarum Diœceseon Episcopi tres sibi Præfectos haberent authoritate præ cæteris insignitos, qui Provinciarum Episcopos ordinarent, & ubi necessitas Ecclesiastica exigeret, ad Concilium vocarent, in quo inter fratres primam haberent sententiam, *ne* (ut loquitur S. Leo) *omnes sibi omnia vendicarent.*

Canon. 6. Nicen.

Lupus.

De Marca.

Synodus 2.

S. Leo.

47. Tres ergo erant Orientis Diœceses Autocephalæ nec Patriarchis Alexandrino, vel Antiocheno subjectæ, Asiana nimirum, Pontica, & Thracica, quæ (juxtà Apostolorum institutionem moribus

subse-

ſubſequentium ſæculorum, & canonibus 6. Niceno, ac 2. Conſtantinopolitano firmatam) ſuis Synodis & Exarchis adminiſtrandæ remanſerunt, quarum Diœceſeon ab Orientali diſtinctarum, inquit D. de Marca loco citato: „ meminit Theodoſius ſenior apud Theodoret. l. 5. c. 23. „ & ante illum Conſtantius, qui ad Seleucienſe Concilium frequentes „ adeſſe juſſit Epiſcopos Orientis, & Aſianæ, Ponticæque Diœceſeos: „ ipſeque adeò Conſtantinus Imperator meminit Epiſcoporum Aſia„ næ, & Ponticæ in paſchæ celebratione conſentientium „ apud Euſebium lib. 3. de vitâ Conſtantini cap. 18. & apud Gelaſium Cyzicenum lib. 2. de Hiſtoria Concilij Niceni cap. 25. ubi inter alias variarum regionum Eccleſias memorat; paſcha debito modo ſervari *in Diœceſi Aſiana & Pontica.* Quod nempè illarum Diœceſeon Epiſcopi ſub uno capite Autocephalo conſtituti unum quaſi corpus conficerent.

De Marca.

Conſtantinus.

48. Porrò ut veritas iſta manifeſtior evadat, ex rebus ipſis demonſtranda eſt. Ditionem Aſiæ ex Regno Attali Pergameni in Provinciæ formam redegerant Romani, & ſolidæ Proconſularis Aſiæ cum Metropolis eſſet Epheſus, in politiâ Eccleſiaſticâ pro toto Aſiæ Diœceſi Metropolitanam quoque dignitatem ſed Autocephalam retinuit, adeò ut ei jus Patriarchicum tribuat Evagrius, cum ſcribit Timotheum Elurum Eccleſiæ Epheſinæ jus Patriarchicum reſtituiſſe, quod ei Synodus Chalcedonenſis ademerat. Enimverò ante Synodum Chalcedonenſem ab ipſo naſcentis Eccleſiæ initio, à S. Paulo inſtitutus eſt Timotheus Epheſiorum Epiſcopus, ut indicat S. Chryſoſtomus homilia 1. in Pauli ad Timotheum epiſtolam, ad hæc verba: *rogavi te, ut remaneres Epheſi.* Poſtque illum aſſumpſit Epiſcopatum S. Ioannes Apoſtolus, de quo D. Hieronymus in Catalogo Virorum Illuſtrium: *totas Aſiæ fundavit, rexitque Eccleſias.* Adeò ut de uno ex Joannis ſucceſſoribus Polycrate referat conſequenter Euſebius libro 5 Hiſtoriæ, capite 23. *Epiſcopis verò per Aſiam.... præerat Polycrates.* Quod firmatur etiam ex contentione de paſchate contrà Victorem Papam, pro qua patet Polycrati Epheſino Epiſcopo à Victore mandatam fuiſſe, quæ ex Apoſtolorum inſtituto competebat authoritas, Concilij Aſiani convocationem, quod ipſe Polycrates in epiſtolâ ad Victorem exſtante apud Euſebium ſuprà, & D. Hieronymum libro de viris illuſtribus, ſeſe effeciſſe ſcribit: *poſſem* (inquiens) *etiam Epiſcoporum, qui mecum ſunt, facere mentionem, quos petiiſtis, ut convocarem, ſicut & feci.* Ita apud Euſebium ex verſione Valeſij.

Ad Timot.

D. Hieron.

Euſebius.

Polycrates.

49. Ponticam Diœceſim, (quæ Vicario parebat, cujus ſedes præ-

cipua erat Cæsarea Cappadociæ, qua in urbe, olim Mazaca intitulata, Reges Cappadocum lares fixerant, ut observat Strabo lib. 12.) etiam in politiâ ecclesiasticâ dignitatem illam principalem Exarchi obtinuisse, lucet ex eo, quod Cæsareensis Episcopus solidæ Diœcesi Ponticæ præerat teste Gregorio Nazianzeno, ut satis etiam apparet ex Firmiliano Cæsareæ Cappadociæ Episcopo & Ponticæ Diœcesis primate in contentione de hæreticorum rebaptizatione, qua de re extat ipsius ad S. Cyprianum epistola: item ex S. Basilio ejusdem Cæsareæ Episcopo, qui & pluribus epistolis invitat Ponticæ Diœcesis Episcopos ad Synodum Cæsareæ celebrandam, uti & alia per totam Diœcesim exercere consuetus jura primatus: „ undè (inquit de Marca §. XI. citato:) Basilio conciliatum Archiepiscopi Cæsareæ nomen, & Alipio apud Photium in Bibl. tit. 51. Quare Ponticæ Diœceseos Synodum Tyanis sub Eusebio Episcopo Cæsareæ celebratam refert Zozomenus lib. 6. cap. 12.„ Et ulterius urget Christianus Lupus parte 4. ad can. 20. dictatus Gregorij 7. ex eo, quod Neocæsareensis in Ponto Ecclesia, à Thaumaturgi tempore semper respexerit Cæsareensem in Cappadocia Cathedram, ut disertè scribit in litteris ad Neocæsareenses D. Basilius epistola 75. „ Et quod S. Armeniorum Apostolus Gregorius à S. Leontio ejusdem Cæsareensis Cathedræ Episcopo „ & se & suos semper successores consecrari voluerit, testantur ipsius „ authentica vita, sanctus Nicon Monachus, Isaac Catholicus, & alij „ Armenicarum rerum scriptores. „ Addit & D. de Marca „ Gerontium Nicomediensem Metropolitam in Bithinia ordinatum fuisse ab „ Helladio Cæsareæ Episcopo. „

De Marca. *Lupus.* *De Marca.*

50. „ In Diœcesi Thracicâ, (inquit idem D. de Marca) post deletum à Severo Bizantium præcipuam dignitatem urbs Heracleæ sive „ Perinthi obtinuit, ut testantur Herodianus in Severo, & Procopius „ libro 4. de ædificiis illust. Undè quæsitus ejus Episcopo Exarchi „ Thraciæ titulus. „ Igitur non minus quam Cæsareensis, & Ephesinus, Heracleensis civitatis Episcopus ex ordine per Apostolos instituto, præcipuum quoddam regiminis ecclesiastici jus obtinuit in Thraciæ Diœcesim, & licet temporis injuria nobis eripuit istius veritatis facta ecclesiastica, attamen vel unicum Niceni canonis 6. testimonium à Concilio Constantinopolitano expositum clarius id exhibet, quam à nobis præstari potest. Præcipua hujus authoritatis vestigia licet colligere ex subscriptionibus, & ordine sessionum in Conciliis, ubi post Sedes Patriarchales statim subduntur tres Sedes Exarchicæ,

De Marca.

chicæ, tanquam eminentiori loco, quam aliæ Metropolitanæ constitutæ: sic videre est in Concilio Ephesino, ubi post legatos Apostolicæ Sedis subsequuntur: Firmus Episcopus Cæsareæ, & Memnon Episcopus Ephesinus & in Concilio Chalcedonensi actione 1. Thalassius Cæsareæ Cappadociæ, Stephanus Ephesinus, & Lucianus Byziæ Vicarius Heracleensis Episcopi: qui tres subindè potiorem locum in concilio obtinebant, ut patet ex eâdem actione 1. Chalcedonensis Concilij, ubi à levâ post legatos Leonis primi Anatolium Constantinopolitanum scilicet, & Maximum Patriarcham Antiochenum, Consedit *Thalassius religiosissimus Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, & Stephanus Ephesi cum cæteris Episcopis Orientis, & Ponti, & Asianæ, & Thraciæ Regionum.* Et quamvis Episcopus Constantinopolitanus ex illa parte Antiocheno & cæteris Exarchis prælatus, Exarchorum non solum honorem præcipuum, sed etiam primatum jurisdictionis prætenderet, & secundum locum inter Patriarchas sibi adscribere tentaret, ut statim videbimus, de illo est, quod magnus Pontifex Leo scribit ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum: *Ab universalis Ecclesiæ te perturbatione contineas: non convellantur Provincialium jura Primatum, nec privilegiis antiquitus institutis Metropolitani fraudentur Antistites.*

Chalcedonense Cōc.

Leo I.

ARTICULUS IV.

De institutione Patriarchatuum Hierosolymitanæ & Constantinopolitanæ Sedium, & trium Exarchatuum destructione.

51. *Readificatâ post excidium Ierosolymâ per Ælium Adrianum, antiquum Metropolitani honorem, qui antè excidium Episcopo Ierosolymitano competebat, Cyrillus expostulavit, cuius ambitum resumpsit Ioannes ejusdem civitatis Episcopus à D. Hieronymo hanc ob rem increpatus.*

52. *Ioannem imitatus est in Synodo Ephesinâ Iuvenalis, cuius tentamenta ad id rogatus Leo Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus apud S. Cælestinum Papam evertit quidem, sed non extirpavit, unde Orientis Episcopi querelas suas in Chalcedonensi Concilio iterarunt*

53. *Iuvenalis ad querelam Episcoporum cum Maximo Patriarchâ Antiocheno stipulatur ut Sedes Ierosolymitana Arabias ex duabus in tres divisas obtineret, quod pactum cum Patres Chalcedonenses probaverant. ad Leonem I. retulerunt:*

54. *Leo-*

54. Leonem primum non admisisse pactum probatur ex duobus inter alia locis, quod licet pro tempore contentionem sopiebat, ex ambitu tamen Ierosolymorum Antistitum postea fuit resuscitatum.

55. Sicut Ierosolymorum Episcopi ex sanctitate loci, ita Constantinopolitani ex splendore urbis Regiæ in Synodo 2. honorem non effectum primatus obtinuerunt. Effectus Patriarchalis honoris in Synodo Chalcedonensi dumtaxat firmatus est super tres Exarchatus Asiæ, Cappadociæ, & Thraciæ, contradicentibus tamen Leonis I. legatis.

56. Legatos suos imitatus est Leo, qui canonem 28. Chalcedonensem reiecit & circumduxit, adeò ut tam Martianus Augustus, quam Anatolius vela verterint, & à prætensâ Patriarchali potestate usurpandâ destiterint, ut firmat Gelasius I.

57. Post mortem Martiani ambitum revixisse contradicente Sede Apostolicâ usque ad tempus Innocentij Papæ tertij, quo tempore quot Provincias in ius suum Patriarchicum transcripserint Orientales Patriarchæ, ex Nilo Doxopatrio colligitur.

58. Adducuntur Provinciarum Metropoles & Episcopatus sub 4. Orientis Patriarchis sæculo 11. tempore Nili Doxopatrii parentes.

51 IEroſolymâ per Titum & Veſpaſianum deſtructâ, denuò per Ælium Adrianum ſub nomine Æliæ reædificata, tam ob loci ſanctitatem, quam ob antiquam dignitatem Metropolitanam, quam ante excidium in Iudeâ obtinuerat, aliquem honorem præ cęteris Paleſtinæ civitatibus meruit, quem & eius Epiſcopo his verbis ad-iudicavit ſacroſanctum Nicenum Concilium canone 7.: „ *Quia conſuetudo obtinuit & antiqua traditio, ut Æliæ Epiſcopus honoretur, habeat honoris Conſequentiam ſalvâ Metropoli propriâ dignitate.* Ubi notanda ſunt ultima verba, quæ Metropolis Cęſareenſis dignitatem ſalvam volunt, cui Ieroſolyma tunc temporis erat ſuffraganea. Et cum honorem habuit Ieroſolymitanus, etiam Metropolitanam dignitatem recuperare prætendit Cyrillus S. Civitatis Epiſcopus, quem & ideò exauctoratum à Synodo Seleucienſi tradit Zoſomenus lib. 2. cap. 24. *quod velut Sedis Apoſtolicæ Antiſtes cum Acacio de iure Metropolitano diſſenſiſſet.* Ulterius progreſſus eſt Cyrilli ſucceſſor Ioannes, quem D. Hieronymus arguit, quod jactaret, ſe habere cathedram Apoſtolicam, ideòque nec Cæſareenſi ut Metropolitæ, nec Antiocheno vellet ſubjici ut Patriarchæ.

Canon. 7. Nicen.

Zoſomen.

52. Ioannis ambitum reſumpſit in ſacroſancto Epheſino Concilio Iuvenalis Jeroſolymitanus, de quo Leo primus epiſt. 62. ad Maximum

mum Patriarcham Antiochenum: *Subrependi occasiones non prætermittit ambitio . . . sicut etiam in Ephesina Synodo, quæ impium Nestorium cum suo dogmate perculit, Iuvenalis Episcopus ad obtinendum Palæstinæ Provinciæ principatum credidit se posse sufficere, & insolentes ausus per commentitia scripta firmare. Quod S. Cyrillus Alexandrinus Episcopus meritò perhorrescens scriptis suis mihi, quid prædicta cupiditas ausa sit, indicavit, & sollicitâ prece multum poposcit, ut nulla illicitis conatibus præberetur assensio.* Credebat Iuvenalis, D. Cyrilli & Concilij Ephesini in Patriarcham Antiochenum indignationem tempus opportunum præbere, ad tres Palestinas in jus suum transscribendas; sed D. Cyrillus aliud sciens delicta Antistitum, aliud jura sedium, rejecit conatum usus auxilio S. Leonis tunc Romanę Ecclesię Archidiaconi, *Solicitâ prece multum poposcit* (scribit S. Leo suprà) *ut nulla illicitis conatibus præberetur assensio.* Ubi lucidè apparet, Orientis Patriarcham etiam mediatoribus Romanis Clericis apud sanctam Petri. Sedem poposcisse, ne firmarentur tentamenta Iuvenalis Jerosolymorum Episcopi, quæ & confirmationem non obtinuisse, lucet tum ex eventu, tum ex actis latrocinij Ephesini, ubi licet magnis apud Dioscorum meritis à Chrysaphio Eunucho Iuvenalis Hierosolymorum Episcopus elicuerat pragmaticam sanctionem trium Palestinarum, Arabiæ, & duarum Pheniciarum in suum jus Patriarchicum transscriptricem, attamen in sacrosancto Chalcedonensi Concilio ad damnationem Ephesini Latrocinij indicto sentire cœpit causæ injustitiam & defectum: nam Orientalium Episcoporum prima petitio ad Principem missa è civitate Chalcedonensi; „ *è nobis*, inquit, *quidam à pientissimo Iuvenali Ierosolymorum Episcopo olim ordinati siluimus, quamvis pro canonibus certandum esset, ne videremur gloriæ nostræ causâ dolere. Et nunc quoque illius studia & prastigias tales per Phenicem secundam & Arabiam non ignoramus.*

Leo I.

Leo I.

Epistola Episcoporū Orientalium,

53. Gravis fuit hæc Episcoporum quærela, neque inutilis, aut vana, nam actione 4. de expresso Marciani Augusti consensu Synodus Chalcedonensis cassavit in simili quæstione à Photio Tyriorum Metropolitâ adversus irregularem Eustatij Berytensis Episcopi ambitum omnia pragmatica, & regulas Nicenas voluit obtinere. Undè vela vertens Iuvenalis, post magnam utrimque contentionem, Maximum Patriarcham Antiochenum induxit ad stipulandum, qua de re ipse Maximus ad Synodum Chalcedonensem edixit actione 7.: *Placuit mihi & Reverendissimo Iuvenali post multam contentionem per consensum, ut Sedes quidem Antiochensium maximæ civitatis Beati Petri habet duas Phenicias & Arabiam, Sedes autem Ierosolymorum habeat tres Palestinas & rogamus ex decreto*

Maximus Antiochenus.

 mani

magnificentiæ vestræ, & sancti Concilij, hæc ex scripto confirmare. Tribus Palestinis contentus duas Phenicias & Arabiam cessit Maximo Antiocheno per pactum cum ipso initum Iuvenalis Ierosolymæ Episcopus, & post auditos primates Concilij Episcopos, gloriosissimi Iudices his verbis pacta confirmarunt: *Per placitum igitur Maximi sanctissimi Antiochenensium civitatis Episcopi, & Iuvenalis sanctissimi Ierosolymorum Episcopi facta consensio, sicut utriusque attestatio declaravit, firma etiam per nostrum decretum & sententiam sancti Concilij in omni tempore permanebit.* Et hoc inter acta decretum pro confirmatione ad Sedem Apostolicam transmissum ex tunc Patriarchatum Ierosolymitanum roborasset, si Romanæ Ecclesiæ Pontifex consensum præbuisset.

Iudices Chalcedonensis Concilij.

54. At florebat tunc temporis magnus Romanorum Pontifex Leo, qui sicut Romanæ Ecclesiæ Diaconus apud Cælestinum Papam ad Instantiam D. Cyrilli Patriarchæ Alexandrini Iuvenalis tentamenta everterat, ita nunc sui muneris credidit contrà Niceni Concilij statuta non admittere ausum, sed pœnitus rejicere & improbare, undè non solum epistola 62. Maximum Patriarcham Antiochenum admonuit: *Privilegia tertiæ Sedis agnoscere, ut in nullo cuiusquam ambitione minuantur.* Sed etiam Iuvenalis ambitum datâ ad ipsum epistolâ 61. repressit his verbis: *De custodiendis quoque Sanctorum Patrum statutis, quæ in Synodo Nicenâ inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestræ Sanctitatis admoneo, ut jura Ecclesiarum, sicut ab illis 318. Patribus Divinitus inspirata sunt, ordinata permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quærat augmentum.* Quibus alijsque pluribus Leo primus Iuvenalis Ierosolymorum cum Maximo Antiocheno initum pactum, tanquam regulis Nicenis adversarium, planè circumduxit, licet Ierosolymitanorum Episcoporum ambitus posteà revixerit, & Palestinas, primam Pheniciam, & tertiam Arabiam iterum reinvaserit successu temporis, contradicente semper Apostolicâ Sede usque ad tempora Innocentij Papæ 3. ut patebit ex dicendis de Patriarchatu Constantinopolitano.

Leo I.

Leo I.

55. Quod Ierosolymitanus Episcopus ex sanctæ civitatis splendore spirituali, Constantinopolitanum ambiisse ex Regiæ civitatis splendore temporali, varijs posset probari: sic enim decretum Constantini, post Byzantij in Constantinopolim ad Romanæ urbis instar erectionem, continet apud Socratem: *Vt secunda Roma vocaretur.* Quod nomen cum Regiæ civitatis splendore adeò venerata est Synodus Constantinopolitana, vt canone 3. statuerit, *Constantinopolitanæ civitatis Episco-*

Socrates.

Canon. 3. Synodi Generalis 2.

Episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quod sit nova Roma. Primatus honorem, inquit, non effectum ut putavit Socrates, nam canone 2. tres Autocephalos primates lucidissimè Concilium in suo jure confirmat, etiam Thraciæ Diœcesim ab ipsis Thraciæ Episcopis (utique Heracleensibus) juxtà formam Niceni gubernandam constituens. Hinc ulterius Patribus Chalcedonensis Concilij ab Anatolio Constantinopolitano obreptum fuit, quandò statuerunt Canone 28: Patres Constantinopolitanos novæ Romæ throno æqualia cum Romano privilegia confirmasse, *Ut in posterum Pontica, & Asiana, & Thracia Diœcesis Metropolitani soli, præterea Episcopi prædictarum Diœceseon, quæ sunt inter Barbaros, à prædicto throno sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ ordinentur.* Hoc ultimum enim non adfirmarant Patres Synodi Constantinopolitanæ, qui tres Autocephalos primates Ponti, Asiæ, & Thraciæ in suo jure stabiliverant, sed post Synodum illam à Regiæ civitatis Episcopis circà plures Episcoporum ordinationes usurpari cœptum primò firmari impetravit Anatolius absentibus Leonis primi legatis, qui posterâ die graviter intercesserunt conquerentes de violatione canonum Nicenorum, & contemptâ sedis Apostolicæ auctoritate, cui totam hanc de Exarchatuum invasione contentionem unicè reservarunt.

Canon. 28. Chalced.

56. Periculo quam maximo subjacebant hic Sedes Heracleensis in Thraciâ, Cæsareensis in Cappadociâ, & Ephesina in Asiâ, ac planè evanuissent sub jugo Constantinopolitani Antistitis, nisi ad actorum relationem Leo primus tanquam alter Leo de tribu Judâ prædam ex ore rapientis ructare conatus esset, clamans contrà Anatolium datâ ad Pulcheriam Augustam epistolâ 55. *Superbum nimis est & immoderatum, ultrà fines proprios tendere, & Antiquitate calcatâ alienum jus velle praripere, atque ut unius crescat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare primatus, quietisque Provincijs, & olim S. Synodi Nicenæ moderatione dispositis, bellum novæ perturbationis inferre.* Eadem reiterat ad Marcianum Augustum, eadem ad Anatolium ipsum elatâ ad cælum voce conquerens: *in totius Ecclesiæ perturbationem superba hæc tendit elatio.* Et ita clamavit, quod Marcianus Augustus ut veritatis propugnatorem antiquæ Romæ Episcopum Leonem reveritus sit, ejusque zelum laudaverit: & Anatolius vela vertens culpam omnem in alios coniecerit, sicque durante Marciani Imperio status Ecclesiæ in antiquo ordine permanserit, ut perversoribus Acacianis improperavit Gelasius 1. epistolâ 13. ad Dardaniæ Episcopos: *Audiant Marcianum eiusdem Principem civitatis, posteàquam pro aug-*

Leo I.

Gelasius I.

augmento urbis ipsius sacerdotis intercessor accedens, contra regulas obtinere nihil potuit: sanctæ memoriæ Papam Leonem summis laudibus prosecutum, quod canonum regulas violari nullâ fuerit ratione perpessus. Audiant Anatolium ejusdem sedis Antistitem, Clerum potius Constantinopolitanum, quam se tentasse talia confitentem, atque in Apostolici Præsulis totum dicentem positum potestate. Ipsum B. Papam Leonem Sedis Apostolicæ Præsulem, cujus Synodus Chalcedonensis authoritate firmata est, quidquid ultrà, quam ab eodem pro fide & communione catholicâ atque Apostolicâ illic agendum constaret esse delegatum, per occasionem congregationis illius, præter Nicenos Canones novâ videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuasse. Hæc fecit & obtinuit Leo primus.

57. Attamen non sopita fuit posterorum ambitio, nam ut Gelasius loco citato insinuat, Anatolij ambitus renovatus fuit ab Acacio tempore Simplicij, cujus legatum Probum Canusinæ urbis Episcopum refert, *Leone Principe tunc petente præsente docuisse, nullatenus posse tentari.* Addit & ipse Gelasius contrà Acacianos: *Risimus, quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia Episcopus fuerit Regiæ civitatis.* Similiter contrà fastum ambientium novæ Romæ Episcoporum egere subsequentes Pontifices, Gregorius Magnus, Nicolaus I. aliique etiam tempore D. Petri Damiani, qui datum Constantinopolitano Episcopo à Synodo Chalcedonensi privilegium agnoscere noluit. Vera quidem sunt hæc verba Liberati Carthaginensis Diaconi in Breviario, cap. 13. *Licet Sedes Apostolica nunc usque contradicat, quod à Synodo firmatum est Imperatoris patrocinio permanet quodammodò.* Sed ut ait Gelasius epist. 13. Principi suggere decuerat: *ut Ecclesia fineret Christianus Princeps regulas custodiri.* Sicque licet in Synodis 5. 6. 7. & 8. Generalibus, nullo contradicente Pontifice, Sedes Constantinopolitana secundum locum obtinens jure in laudatos Exarchatus gaudebat, potius fuit dissimulante Romanâ Ecclesiâ, quam confirmante: confirmatio enim solummodò contigit in Concilio Lateranensi 4. sub Innocentio 3. quo tempore, quam numerosas provincias sibi subditas inter alios noscebat Constantinopolitanus Episcopus, lucet ex Nilo Doxopatrio tract. de 5. thronis Patriarchalibus anno 1043. ad Rogerium Siciliæ Regem conscripto, in quo licet non contineantur omnes Metropoles & Diœceses prout præcisè extiterunt initio Ecclesiæ & institutarum sedium Patriarchalium, ex eo tamen Metropolium quarumdam notitia hauritur tamquam ex quodam Antiquitatis monimento, unde & ex Nili Archimandritæ, cognomento Doxopatrij libro apud Leonem Allatium partim extante sequentia excerpsi, & peritorum oculis exhibenda censui.

Gelasius.

Liberatus Diac.

Gelasius.

58. *An-*

58. *Antiochenus* (licet ordine tertius institutione tamen primus) *possidebat* (inquit Nilus Doxopatrius) *universam Asiam & Orientem, Indiamque ipsam, in quam adhuc usque tempora Catholicum ordinans mittit Romogyreos vocatum, & Persiam, & Babylonem, cui nunc nomen Bagda est: eo etiam mittebat Antiochenus Catholicum in urbem Irenupolim Irenupoleos dictum, & Armenias, & Abasgiam, & Iberiam, & Mediam, & Chaldeam, & Parthiam, & Elamitas, & Mesopotamiam. Habet itaque Metropoles* 13.

Nilus Doxopatrius,

1. *Metropolim Tyri, quæ sub se habet Episcopatus*	13.	7. *Azarbi, habet Episc.*	9.
2. *Tarsi, habet Episc.*	6.	8. *Seleuciæ, habet Episc.*	24.
3. *Edesæ, habet Episc.*	11.	9. *Damasci, habet Episc.*	11.
4. *Apameæ, habet Episc.*	7.	10. *Amidæ, habet Episc.*	8.
5. *Hierapoleos, habet Episc.*	11.	11. *Hagiopoleos, habet Episc.*	5.
6. *Bostri, habet Episc.*	20.	12. *Daras, habet Episc.*	10.
		13. *Emesæ, habet Episc.*	4.

Habet præterea & alias Metropoles, quæ sub se nullos habent Episcopos numero octo, quæ prius essent Episcopatus aliis Metropolitanis obnoxię in dignitatem Metropolitanam provectę sunt, Decretumque, ne aliis Metropolitanis subderentur, sed tantummodò Patriarchę Antiocheno, & quemadmodum ubique Metropoles per se caput essent, & quod antè non erant Episcopatus, nullos sub se habent Episcopos, quemadmodum antiquæ Metropoles, & sunt numero octo: 1. *Baryti*, 2. *Hesiupoleos, quę ex Throno Damasci abscissa est.* 3. *Laodiceę.* 4. *Samosatorum.* 5. *Martyropoleos.* 6. *Mopsvestę.* 7. *Adanę.* 8. *Pompeiuleos. Adhuc etiam Antiochenus habet ingentes Archiepiscopatus octo:* 1. *Berrœam.* 2. *Chalcedonem.* 3. *Agaballam.* 4. *Seleuciam Pierię.* 5. *Anasartham, quę & Theodorupolis dicitur.* 6. *Palton.* 7. *Gabulam.* 8. *Balaamam. Pręter hos habet & alios Archiepiscopatus tenues & liberos* 5. 1. *Salamiam.* 2. *Bercum.* 3. *Rhason.* 4. *Agatem.* 5. *Barcusorum. Et hę Ecclesię omnes Throno Antiocheno subduntur.*

Alexandrinus etiam totam Libyam possidebat, & Etiopiam, & Marmaricam usque ad Tripolim Africanam; nec non universam Ægyptum, & Palestinam ipsam, in quâ est Ierosolyma. Habet itaque & ipse Provinciam primam Stamnicę, in quâ prima Metropolis est Pelusium varios sub se habens Episcopatus, & secundam Provinciam Stamnicę, in quâ est secunda Metropolis Leonto habens diversos Episcopatus; & primam Provinciam Ægypti in qua Alexandria, quę cęterarum caput, & secundam Provinciam Ægypti, & Provinciam Arcadię, in qua tertia est Metropolis Oxirichus habens sub se varios Episcopatus; & secundam Provinciam Thebaidis, in quâ est Metropolis Ptolemais habens sub se Episcopatus diversos; & Provinciam Libyę, in quâ est Metropolis Darinco habens nonnullos Episcopatus: adhuc habet & aliam Metropolim Alexandrinus, quę fuerit septima Marico, &

Quantum hoc sit cōtrà antiquos Ecclesiæ mores, nemo ignorat, cum Palestina & Ierosolyma Antiocheno Episcopo olim patebant.

octavam Tonesim in septimo Nili ostio sitam. Septem enim ostijs Nilus in mare infunditur, in quibus variæ civitates jacent. Hæ itaque octo Alexandrini Metropoles, quæ varios sub se Episcopatus habent; quamvis sint & aliæ quinque nullis Episcopatibus conspicuæ, nempe Damiata, Maris rubri, Pharas, Are, ... omnes simul 13. *Erant Alexandrino & alij throni diversi, sed post Severi hæresim à Severianis sublati sunt, quemadmodum & omnis ditio Ierosolymitana, ipsaque Ierosolyma, omnesque aliæ Sedes, quæ nunc sunt sub Ierosolymitano Patriarchâ*, &c.

Error, nam à Patriarchatu Antiocheno avulsus est.

Thronus Ierosolymitanus ex Diœcesi ac potestate Alexandrini avulsus in dignitatem elatus per se caput aliarum Ecclesiarum exstitit, & tribus alijs thronis facultate par: Sancitum nihilominus est, post Antiochenum honore frui, & referri in Diptychis, & Sedem occupare. Nomenq; sibi Patriarchæ Ierosolymitanus habuit, licet antea Episcopus esset sub Cæsareensi Palestinæ, cum illius Metropolis Cæsarea esset, & Cæsareæ Ierosolyma, tanquam quæ Cæsareæ Episcopatus erant, subderentur. Habuit verò & alias Metropoles, quæ varios Episcopatus sub se habebant, nempè secundam Scythopolim sive Basan, tertiam Petram, quartam Bostram sive Arabiam. Habet prætereà & Archiepiscopatus nemini obnoxios, 25. nullis Episcopatibus nobiles, & qui subjacent throno Ierosolymitano.

1. *Diospolim sive Georgiupolim.*
2. *Ascalonem.*
3. *Ioppem.*
4. *Gazam.*
5. *Anthedonem.*
6. *Diocletianupolim.*
7. *Eleutheropolim.*
8. *Neapolim.*
9. *Sebasten.*
10. *Iordanem.*
11. *Tiberiadem.*
12. *Diocæsaream.*
13. *Maximianupolin.*
14. *Capetoliadem.*
15. *Myrum.*
16. *Gadarum.*
17. *Nazaret.*
18. *Thaborium montem.*
19. *Cyriacupolim.*
20. *Adriam.*
21. *Gabalam.*
22. *Æliam.*
23. *Pharas.*
24. *Helenupolin.*
25. *Montem Sina.*

Nunc itaque possidet à Deo conservatus thronus Constantinopolitanus, quem primus vocatus Andreas fundavit primum Episcopum in eo constituens, cum adhuc urbs Byzantium esset, partem non minimam Asiæ, Europaeque, ut infrà indicabimus. Quæ sunt circà Hadriaticum mare ab Illyrico usque ad Propontidem, in quâ est Constantinopolis, indeque usque ad Chersonem & Chazariam & Chaldiam, & Gotthiam, & Abasgiam, & Iberiam, & Alaniam, namque in eam à Patriarchâ Metropolitæ mittuntur. Sed & omnes Istriæ adjacentes civitates ipsi subjiciuntur: Nec non & Danubij fluminis & Cappadociæ urbes, & partes Armeniæ, & Cycla-

Cyclades insulæ, & reliquæ omnes, quæ subsunt Imperio Constantinopolitano, multæ illæ quidem; & maximæ insulæ duæ, Creta & Eubœa, in quâ est Eurypus: sed & Peloponesus, & Græcia: namque Cyprus sui iuris est, ut suprà memorauimus. Quinimò & in magnam Russiam à Patriarchâ Constantinopolitano Metropolita mittitur. Sunt itaque Provinciæ & Metropoles Constantinopolitano subiectæ in Oriente, Occidente, & in alijs Regionibus hæ:

1. *Cæsarea Cappadociæ habens Episcopatus* 8.
2. *Ephesus Asiæ habens Episcopatus* 34.
3. *Heraclea Thraciæ habens episcop.* 15
4. *Ancyra Galatiæ habens episc.* 8.
5. *Cyzius Hellesponti habens episc.* 12.
6. *Sardes Asiæ habens episcop.* 25.
7. *Nicomedia Bithiniæ habens episcop.* 12
8. *Nicea eiusdem Bithiniæ habens episc.* 6
9. *Chalcedon eiusdem Provinciæ sine subditis.*
10. *Side Pamphyliæ habens episc.* 16.
11. *Sebastia secundæ Armeniæ habens episcopatus.* 7.
12. *Amasia Helenoponti habens episc.* 7. *Cujus Episcopatus erat & ipsa Iberia.*
13. *Melitene Armeniæ habens episcop.* 9. *Ex quibus est & Episcopatus Cucusus, quo in exilium missus est aurea lingua Ioannes.*
14. *Tyana secundæ Cappadociæ habens episcopatus* 3.
15. *Gangra Paphlagoniæ habens episc.* 3.
16. *Thessalonica Thessaliæ habens episc.* 8
17. *Claudionopolis Honoriadis habens episcopatus.* 5.
18. *Neocæsarea Ponti Polemoniaci habens episcop.* 7.
19. *Pisinus secundæ Galatiæ habens episcopatus* 7.
20. *Myra Lyciæ habens episcop.* 33.
21. *Stauropolis Cariæ habens episc.* 26.
22. *Laodicea Phrygiæ Capatianæ habens episcop.* 21.
23. *Synada Phrygiæ salutaris habens episcop.* 20.
24. *Iconium Lycaoniæ habens episc.* 15.
25. *Antiochia Pisidiæ habens episc.* 21.
26. *Perge sive Syleum Pamphyliæ habens episc.* 17.
27. *Corinthus Peloponesi habens Episc.* 7.
28. *Athenæ Græciæ habens episc.* 11.
29. *Mocesus Cappadociæ habens episc.* 4.
30. *Creta habens episcop.* 10.
31. *Rhegium Calabriæ habens episc.* 13.
32. *Patræ Peloponesi habens episc.* 5.
33. *Trapezus Laziсæ habens episc.* 15.
34. *Larissa Græciæ habens episc.* 17.
35. *Naupactus Nicopoleos habens episc.* 9.
36. *Philippopolis Thraciæ habens ep.* 10.
37. *Traianopolis Rhodopes habens epi.* 7.
38. *Rhodos Cycladum ins. habens ep.* 12.
39. *Philippi Macedoniæ habens episc.* 7.
40. *Hadrianopolis Hemimonti habens episcopatus* 11.
41. *Hierapolis Phrygiæ Capatianæ habens episc.* 9.
42. *Rhodostolum seu Distra Hemimonti habens episcop.* 5.
43. *Dyrrachium habens episc.* 4.
44. *Smyrna Asiæ habens episc.* 5.
45. *Syracusa Siciliæ habens episcop.* 21.
46. *Catania, quæ cum Syracusani esset Episcopatus propter S. Leonem in Archiepisco-*

epiſcopatus dignitatem provecta eſt.
47. *Ammorum Phrygiæ habens epiſc.* 5.
48. *Camuchus Armeniæ habens epiſc.* 8.
49. *Cotyaium Phrygiæ habens epiſc.* 13.
50. *Sancta Severina Calabriæ habens epiſcop.* 5.
51. *Mitylenæ Leſbi inſulæ habens ep.* 6.
52. *Nova Patra Græciæ habens epiſ.* 4.
53. *Theba Græciæ habens epiſc.* 3.
54. *Serra Theſſaliæ habens epiſc.* 57.
55. *Æonis.*
56. *Corcyra.*
57. *Meſembria.*
58. *Amaſtris Ponti.*
59. *Chonæ Phrygiæ.*
60. *Pompeiopolis.*
61. *Atalia à Syleo avulſa.*
62. *Paranoxia à Rhodo avulſa.*
63. *Lacedemonia à Patris Peloponeſi avulſa.*
64. *Madyta ab Heracleâ avulſa.*
65. *Abydus à Gizyco avulſa.* &c.

Hæc omnia ex Nilo Doxopatrio libro de 5. Thronis Patriarchalibus, ex quibus videre licet, quot Metropolitas & Epiſcopos ſub ſeſe habebant Orientis Patriarchæ ſæculo 11. quot Patriarcha Ieroſolymitanus contrà Sedis Apoſtolicæ judicium uſurpaverat, & quot novæ Romæ id eſt Conſtantinopolis Epiſcopus tempore ultimus invaſerat, & de Patriarchatu Romano iniquè abſtulerat. Ibi videre licet non ſolum tres Exarchatus abſorbuiſſe, ſed & integram Illyrici Diœceſim & totam Siciliæ Provinciam, quæ primis Eccleſiæ ſæculis Romano Patriarchatui ſine ullâ difficultate parebant, in jus ſuum tranſcripſiſſe, tantum malum introducit Schiſmaticus animus, quo Oriens ante 11. ſæculum poſt Synodum 7. ſæpius fuit imbutus. Poſſem exactius Orientis Metropoles, & Epiſcôpatus adducere cum Philippo Labbeo in apparatu ad collectionem maximam Conciliorum Generalium, at ſufficiat ex Græco Schiſmatico adduxiſſe præterita, & indicaſſe ultrà prædictas Metropoles ſub Conſtantinopolitano à Doxopatrio poni alios Archiepiſcopatus uſque ad 35.

DISSER-

DISSERTATIO II.
De Jure Patriarchatus Romani.

59. *Quinam Patriarchatus Romani termini? ubi mens Ruffini de Suburbicarijs.*

59.

DIfficile non esset, ex vastissimis Provincijs quatuor Patriarchis Orientalis Imperij subjectis colligere Patriarchatus Romani terminos, nisi nova nostro sæculo ab hæreticis exorta quæstio in Scholas Catholicorum irrepsisset. Audivimus à Sacrosancto Niceno Concilio probari vetustam regiminis Ecclesiastici Disciplinam: *antiqua*, (nimirum) *consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est.* Terminos Diœcesis Alexandrinæ assignat anno 325. Nicenum Concilium, sed de Romanæ nihil statuit, hinc disputatio, quales terminos Patriarchatus Romanus habuerit? equus Troianus produxit Milites, at non minus hæc canonis verba eruditorum opiniones, quę plurimum auctæ ex perplexâ Ruffini Aquileiensis Presbyteri interpretatione, qui tempore D. Hieronymi lib. 10. historiæ, cap. 6. Canonem his verbis exposuit: *Vt apud Alexandriam & in urbe Româ vetusta consuetudo servetur, ut ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Hic disputationis origo de suburbicarijs tantâ animositate hoc seculo in Galliâ controversis, de quibus speciatim agendum.

Canon. 6. Nicen.

Ruffinus.

CAPUT PRIMUM.
De Suburbicarijs.

60. *Salmasij opinio de Suburbicarijs intrà 100. ab urbe lapides, quam impugnavit Iacobus Sirmondus.*

61. *Ostenditur 1. ex Sirmondo contrà Salmasium, Præfectum urbi nec habuisse Diœcesim, nec Provinciam, sed Regiones, quæ post Constantinum Provinciæ intitulatæ sunt, & proferuntur ex Notitiâ, numero 10., reliquis Italiæ Provincijs Vicario parentibus, ex quibus manifestè refellitur Salmasius suburbicarias*

 intrà

intrà quatuor Provincias coarcens.

62. *Ex dictis ostenditur magis explodendum Salmasium, de Patriarchali Romani Pontificis potestate intrà* 100. *ab urbe lapides coarctatâ, & Provincias latius diffusas fuisse, probat ex antiquâ Vaticani notitiâ à Baronio publicatâ Dominus de Marca.*

63. *Licet Suburbicariæ latiùs sese extendant, tamen de iis rectè Canonem Nicenum expositum à Ruffino, ut probaret Marca, supponit Canonem Nicenum de jure Patriarchico egisse, idque occasione Meletij jura Patriarchatus Alexandrini quoad ordinationes Episcoporum invadentis.*

64. *Hoc supposito pergit de Marca, de ordinationibus comparationem institui inter Romanum & Alexandrinum Episcopos his Canonis verbis* : parilis mos est : *cumque Romanus ordinationes exercebat in loca suburbicaria, hinc rectè Ruffinum exposuisse Canonem de suburbicarijs.*

65. *Id ulterius confirmat de Marca ex varijs testimonijs, quæ Pontifices jura ordinationum per suburbicaria loca exercuisse demonstrant.*

66. *Conclusio Domini de Marca compendiosè referens defensionem Ruffini, cuius mentem de Patriarchali potestate ita declarat, ut primatum Pontificium nullatenus lædat,*

60. PRodiit anno 1618. Anonymus scriptor in Galliis, quem ex Parisiensium Archiepiscopo de Marca lib. 1. cap. 3. §. 6. lucet fuisse Salmasium eruditum hæreticum, qui duo quædam excogitavit pro canonis Niceni cum Ruffino conciliatione: „ primo hoc canone nullam juris Patriarchici mentionem fieri, sed tantum Alexandrinum & Antiochenum Episcopum „ in iis, quæ ad jus Metropoliticum pertinent, cum Episcopo Romano conferri. Alterum verò, Metropolim Romanam Ruffini temporibus circà annum 400. iis provinciis definitam (Piceno scilicet, „ Tusciâ, Latio, & Valeriâ) quæ suburbicariæ dicebantur, quod à „ jurisdictione Præfecti urbi penderent, & ad 100. ab urbe lapidem „ porrigebantur. „ Sic mentem Salmasij proponit de Marca, & contrà Anonymum Salmasij librum insurgens vir eruditus Iacobus Sirmondus libro Parisijs anno 1618. edito, hanc ei inscriptionem præfixit: „ censura conjecturæ Anonymi scriptoris de suburbicariis „ Regionibus & Ecclesijs. „ Et in eâ refellit primò Anonymi sententiam de ipsius Præfecti urbi in suburbicarias jurisdictione: secundò ejusdem comparationem cum Romano Pontifice.

De Marca.

Sirmondus

61. De primò ostendit contrà Salmasium, Præfectum urbi non habuisse Diœcesim intrà 100. ab urbe lapides, cum Notitia declaret tantum

tantum 13, Dicœceses sub quatuor Præfectis Prætorio per Constantinum Imperatorum fuisse institutas, & inter illas nullam Præfecti urbi esse cognitam, neque esse potuisse, cum Diœcesis plures Provincias contineat, & plures Provinciæ intra 100. passuum millia nullatenus extiterint: Sirmondi prolixioris discursus hoc est compendium part. 1. cap. 2. „ Præfectum urbi nec Diœcesim habuisse nec Provinciam, sub „ ejus dispositione administrationes varias fuisse, at nullam Provin- „ cialem. suburbicarias ad alium pertinere. „ Pergit hoc exponere cap. 4. & ait: „ Meminisse oportet, Vicarios Præfecti Prætorio in Ita- „ lia duos fuisse, Vicarium urbis Romæ, & Vicarium Italiæ. Vicarij „ urbis Romæ Sedem Romam fuisse, compertum est: Vicarij Italiæ „ statio Mediolanum, ut ex Paulino Presbytero in Ambrosij vitâ in- „ telligimus, & ex Marcellini libro Rerum Gestarum 27. cum de tri- „ bus apparitoribus potestatis Vicariæ per Italiam Valentini iussu „ cœsis agit, & Mediolani locum, ubi sepulti sunt, *ad Innocentes* ap- „ pellari scribit. Inter hosce duos Vicarios divisæ omnes Italiæ Re- „ giones ac Provinciæ fuerunt, hoc discrimine appellationis, quod „ quæ sub Vicario erant Italiæ, pręcipuo titulo Italicæ Regiones & „ Provinciæ vocabantur: reliquæ urbicariæ & suburbicariæ, quia in „ Vicariæ urbis erant potestate. Quænam autem hæ fuerint, quæ ur- „ banæ Vicarię parerent, indicat Notitia his verbis: *sub dispositione V. S. Vicarij urbis Romæ Provinciæ infrascriptæ: Consulares 1. Campaniæ, 2. Tusciæ & Vmbriæ, 3. Piceni suburbicarij, 4. Siciliæ.*

Sirmondus

Notitia Imperij.

Correctores I. Apuliæ & Calabriæ, 2. Brutiorum & Lucaniæ.

Præsides 1. Samnij, 2. Sardiniæ, 3. Corsicæ, 4. Valeriæ. Ex quo colligit Sirmondus reliquas Provincias, quę suberant Vicario Italię, fuisse Venetias, & Istriam, Æmiliam, Liguriam, Flaminiam, & Picenum Annonarium. „ Nunc ergo (pergit Sirmondus) urbicarias Regiones, & suburbi- „ carias appellari eas consuevisse, quę urbis Vicario parerent, Valenti- „ niani sanè codice eodem lex tertia declarat, in quâ per urbicarias „ Regiones inhibitum à se usum equorum scribit, quem per Apuliam, „ & Calabriam, per Brutios & Lucaniam, atque Samnium vetuerat, „ quę omnes Provincię erant Vicarij urbis. „ Ex quibus concludit cap. 5. quam malè Salmasius Regiones suburbicarius ad hasce quatuor redigat: Tusciam suburbicariam, Picenum suburbicarium, Latium vetus, Latium novum: „ non puto (inquit Sirmondus) chimeram ip- „ sam poëtarum commentitiam magis videri posse, quam absurda & „ aliena sunt, quę hoc capite continentur. „

62. Cum hęc Latius probasset, parte 2. aggreditur dissertationem de secundo, ac cap. 3. Salmasium explodit, quod Episcopi Romani Diœcesim cum Pręfecturâ urbanâ intrà centesimum ab urbe lapidem coarctaverit. Et capite 4. ad explicationem Ruffini confugientem ex dictis refellit, caput suum his verbis intonans: „ quam futilis & cassa „ fuerit Diœcesis Romanę cum Pręfecturâ urbanâ comparatio, ex iis „ quę dicta sunt, intelligi licuit. „ Futilem planè comparationem etiam vidit Eminentissimus Cardinalis Perronius, & de libro Salmasij anno 1618. Francofurti apud Joannem Carolum Unck edito plurimum sequenti anno gloriantes in Galliâ hęreticos scribit cap. 33. adversus Anglię Regem: *l'espere mettre bien tost la catastrophe à leur tragedie, & changer leur triumph* &c. Perronius desiderio suo quidem defuit, utpotè viam Carnis ingressus hoc eodem anno 1618. 5. Septemb. At causam resumpsit Parisiensium Archiepiscopus de Marca, qui plurimum à Sirmondo mutuatus hæc habet lib. 1. cap. 3. §. 12. contrà Salmasij de mente Ruffini conjecturam: „ neque enim existimo, Ruffini ætate „ Regionibus illis suburbicarijs ad 100. usque lapidem fuisse circum- „ scriptos. Vetat namque Notitia illa Vaticana vetus (quæ extat apud „ Baronium ad annum 1057.) quæ 69. Episcopatus, ex quibus Romana „ Provincia conflata erat, nobis exhibet; qui quidem non solum La- „ tinam Regionem, seu Campaniam recentiorem ad Sinuessam, Mar- „ sos seu Valeriam, Picenum & Thusciam suburbicariam complecte- „ bantur, sed etiam Thusciam Annonariam, Umbriam & Picenum „ Annonarium comprehendit. „ Meminit de Marca Baronij, qui tomo 11. ad annum citatum ex antiquo Vaticano codice sacrorum rituum describit formam tempore D. Petri Damiani, hoc est anno 1057. observatam: & enumeratis Ecclesijs titularibus Cardinalium, 22. urbis Abbatibus, addit suffraganeos Romani Pontificis nulli alteri Primati vel Archiepiscopo subjectos, & frequenter ad Synodos Romanas vocatos ex Campaniâ 10. ex Marcis 6. ex Tusciâ 21. ex Umbriâ & Marchiâ spoletum 24. simul 61. Episcopos ex pluribus, quam Salmasius citaverat, Provincijs suburbicarijs, undè rectè colligitur, Salmasium malè interpretatum fuisse mentem Ruffini.

Sirmondus

Perronius.

De Marca.

63. Alium itaque sensum per suburbicarias intendisse Ruffinum, & quidem rectè exposuisse canonem Nicenum, ut probaret de Marca, supponit lib. 1. cap. 3. §. 12. Alexandrini Episcopi auctoritatem hoc canone potissimum comparari cum Romano in jure ordinandorum Episcoporum, eo quod Alexandrini Episcopi auctoritas in ordi-

nandis

nandis omnibus Ægypti Episcopis adversus Meletianos hoc canone 6. Niceno statuta sit; ,, ut (inquit) fatentur omnes eruditi, & egre- „ giè probatur ex epistolâ Synodicâ Concilij. „ Et in hâc canonis 6. causâ conveniunt Leo Allatius libro 1. de Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ consensione, cap. 12. n. 1. & post ipsum Christianus Lupus parte 1. ad hunc canonem 6. ubi scribit: „ conditus est enim canon ad „ reparanda Ecclesiæ Alexandrinæ Patriarchica privilegia per Mele- „ tium Lycopolitanum Episcopum invasa, læsa, mutilata. Meletius, „ uti habemus in secundâ Apologiâ S. Athanasij, ob idololatricum „ in Diocletiani Augusti persecutione lapsum, & excessus alios à san- „ cto Petro Alexandrino Patriarchâ Synodaliter damnatus, schisma „ fecit, neque tantum excussit obedientiam, sed insuper teste Theo- „ doreto lib. 1. cap. 4. *Exercuit tyrannidem contrà primatem* Alexandrinum; „ juxtà Gelasium Cyzicenum *contrà prærogativa Sedis Alexandrinæ: am-* „ *bitione*, inquit Athanasius, *ut rebus præesset*. Thebaidis, ac vicinæ Æ- „ gypti Provincias, omneque illuc jus Patriarchicum invasit, novum „ se illic ostentavit Patriarcham: firmandi sui causâ conjurationem „ iniit cum Arianis anteà inimicis. Graves hâc de re quærelas ad Sy- „ nodum deposuit Alexander Patriarcha, eisque datus est præsens ca- „ non, plenè restaurans illius Patriarchicam potestatem. „ Hæc Lupus, & ut patet ex epistolâ Synodicâ Niceni ad Ecclesias Ægypti, Libyæ, & Pentapolis, eidem Conformia, in quâ: „ *Quæ per petulantiam Meletij gesta sunt, & eorum, qui ab eo sunt ordinati, etiam ex hac parte quæ placuerunt Synodo*, ipsis insinuantur: Meletium (nimirum) manere quidem in propriâ civitate, „ *nullam verò omnimodis habere potestatem, neque eligendi neque ordinandi, nec in Provinciâ nec in quâlibet civitate videri, purumque nomen tantummodò possidere. Eos autem, qui ab ipso sunt constituti, mysticâ ordinatione firmatos habere honorem & ministerium, ut tamen sequentes sint modis omnibus, universorum in singulis Parochijs & Ecclesijs à charissimo, & comministro nostro Alexandro consecratorum, & ut his nulla potestas sit, placitos sibi eligere, aut nomina eorum præferre, aut omninò aliquid agere præter voluntatem Ecclesiæ Catholicæ Præsulis Alexandri. Gratiâ namque Dei & orationibus vestris, in nullo schismate repertos, sed sine maculâ in Catholicâ & Apostolicâ Ecclesiâ permanentes, dignum est, potestatem habere eligendi quemlibet, & nomina eorum dandi, qui clero sunt digni & absolutè facere omnia secundum legem, & sanctiones Ecclesiæ. Si quem verò contigerit requiescere in Ecclesia, tunc provehi in honorem defuncti eos, qui nuper assumpti sunt, solummodò si videantur digni, & populus eos elegerit condecernente simul & designante, maximè*

De Marca.

Lupus.

Theodoretus.

Gelas. Cyz.

Athanasius

Synodica Nicen.

Alexandriæ civitatis Episcopo. Hoc itaque alijs quidem concessum est omnibus: in personâ vero Meletij nequaquam eadem placuerunt propter priorem indisciplinationem ejus, & propter procacitatis ejus, ac petulantiæ voluntatem, ne ulla daretur authoritas, vel potestas homini, qui posset rursus easdem indisciplinationes instruere. Hæc sunt præcipua & competentia Ægypto, & sanctissimæ Alexandrinorum Ecclesiæ. Hucusque litteræ Synodicæ sacrosancti Niceni Concilij, ex quibus patet, hæc canonis verba: *consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam & Pentapolim, ità ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem*, potissimum de ordinatione Episcoporum intelligenda.

Canon. 6. Nicen.

64. Hisce præsuppositis, pergit D. de Marca, similitudinem Alexandrini cum Romano etiam ordinationes Episcoporum respicere; & cum certum sit, Romanum Episcopum non omnes per Occidentem sibi usurpasse ordinationes Episcoporum, ut etiam constet, per aliquod tempus non vindicasse omnium Metropolitanorum, rectè Ruffinum canonem interpretatum esse de suburbicarijs Regionibus, in quibus Patriarcha Romanus sibi semper ordinationes reservavit: illud enim (inquit de Marca lib. 1. cap. 7. §. 3.) „ nulli „ dubium esse poterit, quin Episcoporum ordinationes non solum in „ Provinciâ Romanâ, quo jure quam plures Metropolitani potiebantur, sed etiam in vicinis quibusdam Provincijs obtineret. De „ Provincijs urbicarijs, id est de Provincijs illis 10., quæ Vicario urbis „ parebant, & per Campaniam, Brutios, Apuliam, Calabriam, ad „ Siciliam usque protendebantur, non est dubitandi locus. Ut enim „ Diœcesis Orientalis addicta fuit Antiocheno Episcopo à Nicena „ Synodo, undè jura ordinationum sequebantur, quemadmodum „ nos docuit Innocentius; ita etiam Diœcesis urbicaria saltem urbis „ Episcopo concessa fuit à Synodo Nicenâ, unde etiam ordinationum „ jura per 10. illas Provincias constituuntur. „

De Marca.

65, Aliud argumentum subdit de Marca ex veteris Disciplinæ axiomate, ut eius Synodo sese sisterent Episcopi, cuius arbitratu ordinati erant: undè profectum est, ut *pertinere ad alicnius concilium, vel ad consecrationem*, promiscuè & passim dicantur Episcopi, qui a primatibus suis pendent. Et hinc esse illud Iustiniani, qui constituit novellâ 137. Cap. 4.: „ *convenire apud beatissimos Patriarchas illos, qui ab ipsis ordinati sunt, & qui non habent ius alios Episcopos ordinandi: ut apud Sanctissimos* „ *Metropolitas cuiusque provinciæ eos, qui ab eis sunt ordinati*: quam constitutionem, ita Photius in nomocanone t. 8. c. 8. interpretatur, ut „ Metropolitanorum Synodos apud Patriarchas, & Episcoporum apud

Iustinianus Imp.

Photius.

„ apud Metropolitas cogendos esse. „ Iam verò omnium Regionum urbicariarum Episcopos ad Romani Episcopi Concilium & ejusdem ordinationem pertinere, lucet ex Cælestino Pontifice, qui Apuliæ & Calabriæ ordinationes sibi arrogat, dum universis Episcopis per Apuliam & Calabriam constitutis scripsit: *Audivimus quasdam proprijs destitutas rectoribus Civitates, Episcopos sibi petere velle de laicis, tantumque fastigium tam vile credere, ut hoc his qui non Deo, sed sæculo militaverunt, æstiment nos posse conferre, non solum malè de suis clericis, in quorum contemptum hoc faciunt; indicantes, sed de nobis pessimè, quos credunt hoc posse facere, sentientes.* De Campania & Brutijs inculcat desuper D. Athanasius epistolâ ad solitarios, ubi de Episcopis, qui ex Synodo Romanâ secum communicabant: *è magnâ Româ, Italiâque universâ, ex Calabriâ, Apuliâ, Campaniâ, Brutijs.* Idem de Episcopis Metropolitis Sardiniæ, & Siciliæ lucet ex datis ad eos per D. Gregorium Magnum in registro suo litteris, & sic de alijs.

Cælestinus

D. Athanasius.

66. Et ex his tandem concludit de Marca lib. 1. cap. 7. §. 6.: „ Ut explicatio canonis 6. in pauca contrahatur, rectissimè & usu „ recepto Ruffinus componi inter se Alexandrinum & Romanum „ Episcopum in eo scripsit, quod ille Ægyptiacæ Diœceseos ἐξουσίαν „ habere debeat eodem jure, quo Episcopus Romanus utebatur in „ Diœcesi urbicaria, seu ut Ruffinus elegantissimè loquitur in Ec„ clesijs Suburbicarijs, id est in ijs Ecclesijs, quæ decem Provincijs „ Suburbicarijs continebantur. Earum enim Provinciarum & Syno„ dus & ordinatio, & plena liberaque administratio ad Episcopum „ Romanum pertinebat, ut Episcopo Alexandrino in Ægyptiacâ „ Diœcesi, & Antiocheno in Orientali. Sapienter autem Ruffinus „ comparationem his finibus coercuit, quia scilicet uberiori jure frue„ batur Romanus Pontifex, quam cæteri Diœceseon singularum „ Exarchi. Etenim, & plures majoresque Diœceses tenebat, ut cum „ Synodo Arelatensi loquar, & principatum totius Ecclesiæ gerebat. „ In quibus duobus Capitibus duos illos Patriarchas cum Romano „ non componi, Ruffinus censuit, sed tantum ratione habitâ Eccle„ siarum suburbicariarum. „ Plura de Synodi Nicenæ canone 6. & prout à Ruffino explicatur, intelligentiâ, disseruit Ioannes Launoius libro hâc de re edito, quem novi libelli editione contrà Henricum Valesium propugnavit anno 1671. in quibus plerumque mentem Ruffini interpretatur de ordinationibus intrà Provincias suburbicarias, quas decem Notitia Imperij enumerat. Hinc tamen ne quis concludat

per

per sextum Canonem eversum Romani Pontificis Primatum : „ perspicere [inquit contrà hæreticos Parisiensium Archiepiscopus de Marca loco citato] debuerunt mores antiquos hoc canone firmari, at„ que adeò totam, quantacumque erat, Romani Pontificis authori„ tatem : quare prudenter Ruffinus non in omnibus articulis, sed in „ eo jure Patriarchico, quod obtinebat in Diœcesi urbicariâ, Ro„ manum Pontificem cum Alexandrino Episcopo conferri, adnota„ vit. „ Posito itaque sensu Ruffini, non deijcitur Primatus, ut nuper quoque observatum fuit in Thesi sub D. Iacobo Benigno Bossuet Episcopo Condomensi Serenissimi Galliæ Delphini Præceptore & Doctore Sorbonico, anno 1675. in Sorbonâ defensâ. „ Canone 6. (inquit) frustrà abutuntur hæretici, ut primariam Cathedræ Roma„ næ dignitatem convellant, etsi Ruffini expositio rejiciatur, nec sub„ urbicariæ Ecclesiæ per totum Orbem, vel etiam Occidentem pro„ tendantur.

De Marca.

CAPUT II.

Ruffinianam expositionem de Suburbicarijs, si illæ sumantur pro 10. Provincijs in Notitiâ expressis, non convenire menti Nicenæ Synodi.

67 *Laudata Ruffini expositio satisfacit quidem hæreticis, non tamen peritis, cum constet mentem Ruffini potius divinari, quam certò adhiberi, & insuper non consonet menti Nicenę Synodi.*

68. *Profertur Canon. 6. Nicenus, in quo ne quidem per umbram fit mentio suburbicariarum.*

69. *Ostenditur, temeritatem Meletij causam præbuisse huic Canoni.*

70. *Hinc tamen non sequi, agi à Niceno de solis ordinationibus, cum de omni jure Patriarchico egisse, certum sit.*

71. *Patriarcharum nomen tempore Niceni Concilij ignotum, sed res ipsa notissima, & in eo à jure Metropolitano distincta, quod Patriarchæ suprà ipsos Metropolitas essent constituti.*

72. *Et ex his omnibus ostenduntur errare, qui Patriarchatus Romani jura intrà 10. Provincias coercent, adeo-ut Ruffinus explodendus esset, si ejus interpretatio alium sensum non admitteret.*

73. *Quod*

73. *Quod si tamen Ruffini expositionem quis admittere vellet, intelligendam juxtà Nicenum de Jure Patriarchico per universas Occidentis Ecclesias, quæ Suburbicariæ aliquo modo vocari possunt, ut fusè ostenditur præcipuè ex Sirmondo.*

67. Satisfacere quidem posset industriosa interpretatio per Parisiensium Archiepiscopum contrà inneptias Salmasij & hæreticos excogitata, si constaret, Ruffinum intendisse, quod assumitur. Sed cum Ruffinus generaliter dicat, per Nicenum canone 6. statutum: *ut apud Alexandriam & in urbe Romà vetusta consuetudo servetur, ut ille Ægypti, vel hic Suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat*, neque ullatenus limitet ad ordinationum jura, quis non videt, mentem Ruffini potius divinatam, quam certò expressam & expositam? assumpserat Joannes Launoius canonis 6. Niceni interpretationem, & multum elucubravit in sensu investigando, qui ita verbis Ruffini aptaretur, ut menti Nicenæ Synodi non repugnaret: sed quis dicet, sensum tanto labore investigatum fuisse sensum Ruffini? adde hoc doctissimi Valesij ex observationibus ad novam historiæ Socratis & Zosomeni versionem cap. 1. de canone 6. Niceno: „ cum doctissimi homines de Ecclesijs ac „ Regionibus Suburbicarijs acrius inter se contenderent, Ruffini in- „ terpretationem potius, quam canonis ipsius verba exposuerunt. „ Si enim Suburbicarias 10. Provincias in Notitiâ enumeratas à Ruffino intellectas prætendunt, Ruffinum mentem Niceni Concilij nullatenus attegisse, probandum assumo cum eodem Valesio, cujus licet non agam apologum contrà dissertationis propugnationem à Joanne Launoio Parisijs anno 1671. editam, tamen quæ vir doctissimus rectè observavit non dissimulabo, uti & quæ rectè opposuit Launoius.

Ruffinus.

Valesius.

68. Primò interpretationem Ruffini cum Valesio pro nunc omittimus, quippè quæ verius, ut loquitur, paraphrasis sit, quam versio, ut patet ex canonis genuini verbis, quæ Dionisius Exiguus ita ex græco latinè vertit: *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam & Pentapolim, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam cæterasque Provincias suis privilegia serventur Ecclesijs. Illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter Metropolitani sententiam fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus desinivit, Episcopum esse non oportere.* „ Hæc genuina canonis verba, ubi Ruffini paraphrasis ne quidem per umbram conspicitur, ut rectè scripserit Leo Allatius lib. 1. de consensione Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ, cap. 12. n. 4. „ Quid hic urbicaria & suburbica-

Canon. 6. ex versione Dionisij exigui.

Leo Allat.

„ urbicaria ſomniamus, de quibus nec veſtigium eſt in verbis Con-
„ cilij. „

69. Secundò admitti poteſt cum Domino Launoio, temeritatem Meletij cauſam huic canoni præbuiſſe, quidquid Valeſius cap. 8. repugnare videtur. Hoc enim ſufficienter oſtenſum eſt capite præcedenti conſentiente Illuſtriſſimo Domino de Marca, & pluribus aliis idem ex epiſtolâ Synodicâ Niceni probantibus, undè non malè Joannes Launoius in diſſertationis ſuæ propugnatione ad relati capitis 8. diſcuſſionem, in ſui favorem adducit hæc verba Jacobi Sirmondi in Adventoriæ parte 2. cap. 1. „Ex Synodi ipſius ad Epiſcopos Ægyp-
„ ti epiſtolâ, quam libro 1. cap. 9. recitat Theodoretus, diſcere pote-
„ ras, Meletiani ſchiſmatis causâ editum fuiſſe ob Meletium Lyco-
„ polis Epiſcopum, qui, ut narrat Epiphanius hæreſi 68. clericos paſ-
„ ſim Epiſcopos & Presbyteros ac Diaconos inſtituebat, privataſque
„ ſeorſim Eccleſias erigebat. Quæ cum adverſus Epiſcopi Alexandrini
„ jura tentari viderentur, morem antiquum retineri Synodus juſſit,
„ ut Epiſcopus Alexandriæ per Ægyptum, Libyam, ac Pentapolim
„ ſummam habeat poteſtatem, parique modo, & Antiochiæ & cæteris
„ in Provincijs ſua Metropolitanis jura ſervari. „

Sirmondus

70. Tertiò hinc tamen non ſequitur, quod Synodus Nicena de ſolis ordinationibus egerit, nam ut rectè obſervat Valeſius cap. 2. præcipuè notandum, „ non de ſola ordinatione hic àgi, ſed de omni
„ jure Patriarchico: „ quod ipſum non malè probavit cap. 5. his verbis:
„ " Si Patres Niceni Concilij de ſolâ ordinatione agere voluiſſent, no-
„ men ordinationis omnino poſuiſſent in hoc capite, & reliqua om-
„ nia excepiſſent: id enim ratio poſtulat. Atqui ordinationis nullam
„ prorſus mentionem fecere, immò verò generaliter locuti ſunt. „ Enimvero & ordinationis nomen addi debuerat in canone, ſi ad mentem Ruffini interpretandus fuiſſet de poteſtate ordinationum in ſuburbicarijs tantummodò Provincijs, cum autem nihil limitet, ſed econtrà generaliter ſtatuat, quis non videt, occaſione deſumptâ ex uſurpatâ per Meletium auctoritate in Patriarchatu Alexandrino, generaliter proviſum fuiſſe omni juri Patriarchico, ne ulli Patriarcharum vel Majorum Sedium in minimo aliquid juris periret? & hoc ipſum patet ex Antiocheno Epiſcopo, & aliis trium Autocephalicorum Sedibus, quibus (licet nihil commune habebant cum ſchiſmate Meletiano) tamen ſua quæque decreta fuerunt privilegia antiquitus obſervata. Quarè, ut rectè animadvertit Valeſius cap. 6. „ Cum Niceni

Valeſius.

Valeſius.

Patres

„ Patres antiquas consuetudines in Ægypto firmaverint, apparet eos „ non de solâ ordinatione locutos esse, sed de omnibus ecclesiasticis „ negotijs. Omnes certè Ægypti Episcopi ità semper hunc canonem „ intellexerunt: quemadmodum discimus ex Concilio Chalcedonensi „ actione 4. ubi Hieracius Episcopus Ægypti nomine Episcoporum „ totius Provinciæ ita dicit: *De epistolá autem sanctissimi & Deo amicissimi Archiepiscopi Romani Leonis sciunt omnes sanctissimi Patres nostri, quia in omnibus exspectamus sententiam sanctissimi Archiepiscopi, & petimus vestram Clementiam exspectare Præsidis nostri præsentiam, quia eum in omnibus sequimur. Nam & sancti Patres, qui in Nicæa congregati sunt 318. hanc regulam dederunt, ut sequatur omnis Ægyptiaca Diœcesis Archiepiscopum magnæ urbis Alexandrinæ, & nihil absque ipso agatur ab aliquo ei subiacente Episcopo.* Hæc & alia Valesij argumenta tantum valuerunt, ut Joannes Launoius in dissertationis propugnatione sæpius ingenuè confessus sit, se numquam dixisse: „ Nicenos Patres in canone 6. de ordinatione solâ locutos „ esse. „ Quinimò subdit in Valesiani capitis 6. discussione, se idem dixisse ex laudato Episcoporum Ægyptiacorum testimonio per Hieracium actione 4. Chalcedonensis Concilij exposito. Et in capitis 8. discussione ait, suam hanc esse sententiam: „ comparationem, quæ inter Alexandrinum & Romanum Episcopum instituitur, præsertim „ consistere in ordinandis Antistitibus, Presbyteris & Diaconis. Præ- „ sertim aio, non tantum. „ Quibus significat Launoius, non tantum de jure ordinandorum sed toto Patriarchico statuisse, prout sæpius quoque professus est D. de Marca, signanter autem lib. 1. cap. 3. §. 7. „ nullus (inquiens) apud me est dubitationi locus, quin tres illi E- „ piscopi inter se invicem, quod ad jus Patriarchicum attinet, hoc „ canone componantur. „

Concilium Chalced. act. 4.

Launoius.

Launoius.

De Marca.

71. Quartò licet Patriarcharum nomen diu post tempora Concilij Niceni usurpari cœperit, ut observat Launoius, rem tamen ipsam ante Concilium Nicenum extitisse, ut rectè docet Valesius cap. 4. neque hic indagandum, an tres primæ Sedes, quas posteriora sæcula Patriarchales intitularunt, à jure Metropolitico fuerint potestate diversæ in cunctas sibi subjectas Provincias; de quo in sequentibus; sufficit enim, in eo Patriarchas fuisse ab ipsis Ecclesiæ cunabulis à Metropolitis distinctos, quod, ut ait Valesius cap. 2. & 3. Metropolita quidem præfuit uni Provinciæ, Patriarcha verò rexerit integram Diœcesim, adeoque & plures Metropolitas sub sese habuerit, ut quasi Metropolita Metropolitanorum vocari possit. Ostendimus suprà in sin-

 gulis

gulis Provincijs per Apoſtolos Metropoles civitates electas, ad Metropolitanam ibidem inſtituendam dignitatem Eccleſiæ, & cum nemo peritus dubitare poſſit, plures Metropolitas Apoſtolico decreto in Provincijs Ægypti, Libyæ, & Pentapolis inſtitutos, rectè ſequitur, ſacroſanctum Nicenum Concilium confirmaſſe inſtitutionem Sedis Alexandrinæ tam ſuprà Metropolitas quam plures Epiſcopos, dum ſtatuit: *antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ut Alexandrinus omnium horum habeat poteſtatem.* Idem facillimè probari poteſt de Antiocheno Epiſcopo, cujus privilegia cum ſalva voluit Nicenum, poteſtatem in totam Orientis Diœceſim eidem confirmavit, ut exponit Concilium Conſtantinopolitanum primum canone 2. qui Primatus honorem ſecundum regulas Niceæ conſtitutas ſuper Orientis Epiſcopos etiam Metropolitas Alexandrinæ Eccleſiæ adjudicat: unde & D. Hieronymus in epiſtolâ ad Pammachium de erroribus Ioannis Ieroſolymitani ſcripſit, juxtà Nicenum Concilium Paleſtinam totam, in quâ Ieroſolyma fuit ſuffraganea Cæſareæ Metropolis, eſſe ſub Antiocheno Epiſcopo? ,, *ni fallor* (inquit D. Hieronymus) *hoc ibi decernitur, ut Paleſtinæ Metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia.*

Can. 6. Nic.

D. Hieron

72. His autem ſuppoſitis, ſequitur manifeſtè errare eos, qui canonem ſextum Nicenum interpretantur de poteſtate Sedis Romanæ in ſuburbicarias tantum Eccleſias, quæ continentur 10. Provinciis in Notitiâ expreſſis. Licet enim occaſionem ſtatuto dederit invaſio juris Alexandrini per Meletium, oſtendimus canonem de jure trium Sedium Patriarchalium contrà omnes invaſiones futuras ſtatuiſſe, & cum jura Patriarchalia tam Antiocheni, quam Alexandrini Epiſcopi ſeſe in plures Provincias latè diffunderent, quis umquam dicet, jura Patriarchalia Romani Antiſtitis intra 10. Provincias aut Regiones, quæ ferè Italiâ continentur, fuiſſe concluſa? nemo huc uſque Catholicorum aſſeruit, terminos Diœceſis Romanæ intrà 10. illas Provincias arctatos, ſed nec ullus, niſi ab omnibus peritis explodi velit, illud aſſerere poteſt, cum teſte à ſæculis experientiâ Romanus Epiſcopus Patriarchalia ſua jura longè latius exercuerit. Nemo ergo, niſi explodi velit, Nicenum Concilium interpretabitur de poteſtate Patriarchali Pontificis intrà ſuburbicarias tantummodo Eccleſias, quarum Synodus Nicena nec meminit, nedum ſtatuerit. Quod ſi Synodus Nicena tractans de pleno jure Patriarchico Romano intelligi non poſſit de ſuburbicarijs Eccleſijs, tamquam illius juris localibus terminis,

minis, quomodo Ruffini expositio potest prudens censeri & rectissima, ut censuit Parisiensium Archiepiscopus de Marca? Sanè Ruffinianæ interpretationi adstricta non est Romana Ecclesia, cujus extitit inimicus, utpotè ab ejus Pontifice Anastasio notatus, ut patet ex Anastasij ad Ioannem epistolâ 30. cujus quoque meminit D. Hieronymus in Ruffinum Apologiâ secundâ. Et reverà, quis ignorat illud electi à Rege Massiliensis Episcopi in opere contrà Marcum Antonium de Dominis Archiepiscopum Spalatensem: „hic multa afferri „posse ad elevandam fidem Ruffini.„ plura hâbet Eminentissimus Cardinalis Perronius contrà Angliæ Regem cap. 33. de Ruffini expositione, dicitque, esse cœcitatem voluntariam, ubi habemus authentica Niceni exemplaria in manibus, velle inhærere versioni dubiæ alicujus, quem constat ob suos errores excommunicatum, & quem aliundè D. Hieronymus accusat fuisse pessimum expositorem, ut vel ex hoc D. Hieronymi loco Apologiæ 2. contrà ipsum Ruffinum editæ colligitur: *omne iter dictionis tuæ, absque Palladis arte salebris & voraginibus vitiorum inciditur.* Quod adeò notum credebat Iosephus Scaligerus, ut exclamarit; „quis ignorat inscitiam Ruffini?„ ut immeritò Ioannes Launoius in dissertationis propugnatione ad cap. 7. contrà Henricum Valesium Ruffini authoritatem vindicare studeat, & urgere.

Coeffeteau

D. Hieron

Scaliger.

73. Quod si tamen aliquis Ruffini expositionem vindicandam contenderet, juxtà mentem Niceni Concilij, antiquam Ecclesiarum consuetudinem ex instituto Apostolico ortam confirmantis intelligendus esset Ruffinus. Apostolorum Princeps Petrus, qui juxtà Innocentium primum cunctas Occidentis instituit Ecclesias, in Metropoli Regni Ægyptiaci Alexandriâ majorem Sedem instituendam duxit, hinc ut latius suprà ostendimus, S. Marcus D. Petri Discipulus ex ejusdem authoritate Alexandriam pergens ad exemplar Sedis Romanæ Patriarchatum instituit, unde hoc magnum Nicenum Concilium canone 6. exorsum est: *antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est.* Ac si diceret: Sedes Patriarchalis Alexandrina instituta est ad exemplar Sedis Parriarchalis Romanæ, sed Sedes Romana habet potestatem super omnes Provincias totius Occidentis juri suo Patriarchico subjectas, itaque & Alexandrina potestatem habere debet suprà Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, suo juri Patriarchico subjecta. Et juxtà hunc genuinum canonis sensum interpretandus est Ruffinus, ut per Suburbicarias intel-

Can. 6. Nicen.

lexerit totius Occidentis Ecclesias, speciali jure Episcopo Romano subditas, „ per suburbicarias enim Ecclesias (inquit rectè Valesius cap. 7.) intelligit Ruffinus eas, quæ sunt sub Episcopo urbis Romæ. „ Nam suburbicariæ Ecclesiæ eodem modo dicuntur, quo suburbi- „ cariæ Provinciæ. Ut ergò suburbicariæ Provinciæ appellantur, quæ „ erant sub Vicario urbis Romæ; sic Ecclesiæ suburbicariæ dicuntur à „ Ruffino, quæcumque subjacebant Episcopo urbis Romæ. Et quem- „ admodum Provinciæ suburbicariæ peculiarem constituebant Diœce- „ sim Vicarij urbis Romæ, ita Ecclesiæ suburbicariæ Diœcesim con- „ stituunt Episcopi Romani. „ Et ne quis putaret, hanc esse primam aut à me aut Valesio excogitatam Ruffinianæ expositionis intelligentiam, præcessit ante nos splendidissimum totius Galliæ ingenium Cardinalis Perronius contrà Angliæ Regem cap. 33. cui accessit Nicolaus Coeffeteau electus per Christianissimum Regem Massiliensis Episcopus parte 2. contrà Spalatensem lib. 4. cap. 2. ex communi Orthodoxorum, rationemque addit; eo quod Episcopus Romanus à Paulino epistolâ 2. & S. Optato Milevitano lib, 1. *Vrbicus* vocatus est, omnes Occidentis Ecclesias ipsi subjectas suburbicarias à Ruffino vocatas. Cui addo Iacobum Sirmondum dissertatione 2. de suburbicarijs. cap. 4. qui Salmasium refellens: „ tantum abest (inquit) ut suburbicarij vocem hoc loco respuam, ut novâ tibi auctoritate con- „ firmaturus sim antiquissimæ Nicenorum Canonum editionis in „ Bibliothecâ Vaticanâ, ubi sextum hunc, de quo agimus, hoc titulo „ & exordio conceptum memini. *De primatu Ecclesiæ Romanæ, & aliarum „ civitatum Episcopis. Antiqui moris est, ut Episcopus urbis Romæ habeat Princi- „ patum: ut suburbicaria loca, & omnem Provinciam sua solicitudine gubernet.* „ Nunc ergò animum adverte. Iam vides ni fallor, aut diffidere ab se „ interpretes istos, aut unum atque idem in explicandâ Romanæ „ Diœcesis amplitudine voluisse. Diffidere, si quid sapis, non dices: „ idem ergò voluere. Quare suburbicarias Ecclesias Ruffinus cum „ dixit, omnes Ecclesias, quæ universæ Romanæ Diœcesi, quam „ Provinciam hic alter vocat, continentur, hoc est totius Occidentis „ Ecclesias complexus est. At suburbicariæ, inquis, Regiones aut „ Provinciæ tam latè non patent. Quid tum? quam multa sunt ejus- „ modi vocabula, quæ pro rei adjunctæ modo significationem variant? „ iidemne Orientis sunt fines ac termini, cum Comitem Orientis „ audimus, & cum Præfectum Prætorio Orientis? eademne Asiæ, „ cum Procunsul Asiæ nominatur, & cum Vicarius Diœcesis Asianæ?

Valesius.

Sirmondus

Codex, M. S.

„ eadem-

„ eademne Italia, quæ à Vicario Italiæ regitur, & quæ à Præfecto „ Prætorio Italiæ administratur? quod in his ergò alijsque sex-centis „ usus tulit, cur in suburbicarijs, quæ dicuntur, idem non faciat; ut „ quemadmodum suburbicariæ Regiones tuâ quidem sententiâ eæ „ dictæ sunt, quæ Prefecto urbi, ut ego interpretor, quę Vicario „ parebant: ita suburbicarię Ecclesiæ ritè nominentur omnes, quę in „ urbis Episcopi sint Diœcesi ac potestate. „ Hęc Sirmondus, cujus discursum libuit integrum transcribere, quia in his partibus libellus rarus est, & in Gallijs auctor omnium ore celebratus. Demum concludat Christianus Lupus parte 1. ad hunc canonem: „ non vacat de „ suburbicarijs Romani Imperij Provincijs disputare, atque ex illis „ quęrere naturam suburbicariarum Ecclesiarum: eam jam audimus „ non esse aliud, quam eos qui Romæ subditi sunt, id est, qui subditi „ sunt juri Patriarchico Ecclesiæ Romanæ, nempe totum Occidentem, „ Septemtrionem, Africam, atque Illyricum. „ Sic vir ille eruditus, uno alterove verbo hanc quæstionem à sese repulit, cui participato aliorum labore tantum hoc capite insudatum est. Et reverà, si canon Nicenus comparationem ineat de Alexandrino Episcopo cum Romano de jure Patriarchatus, (ut iniisse certum est) de Romani Patriarchatus jure in totum Occidentem locutum fuisse, duobus subsequentibus capitibus evincemus ostendendo in primo, quod Romanus Episcopus sit totius Occidentis Patriarcha, & in secundo, quod jura Patriarchalia in totum Occidentem exercuerit.

Lupus.

CAPUT III.

Quod Romanus Episcopus sit Patriarcha totius Occidentis.

74. *Leonis Allatij pro intelligentiâ 6. canonis Niceni ingeniosa observatio contrà eos, qui de potestate Patriarchali hic agi non animadverterunt: potestatis verò Patriarchalis Romanæ terminos esse Occidentem universum probatur ex pluribus.*
75. *Primò ex S. Ignatij Martyris epistolâ ad Romanos.*
76. *Secundò ex Concilio Arelatensi I. in Synodicâ ad S. Silvestrum.*
77. *Tertiò ex D. Basilio.*
78. *Quartò ex D. Hieronymo fatentibus de Marca & Sirmondo.*
79. *Quintò ex D. Augustino id ipsum contrà novatores probante de Marca.*

80. *Sextò*

80. *Sextò ex Innocentij epistolâ ad Decentium Eugubinum.*

81. *Septimò ex Stephano Larissensi Metropolitâ, & Theodosio Echiniensi in Synodo Romanâ sub Bonifacio II. publicatâ per Lucam Holstenium, qui Patriarchatum Romanum Occidentis delucidè ex illis proponit.*

82. *Octavò ex novella Iustiniani Imperatoris.*

83. *Nonò ex Synodo Generali 6. & Agathone Diacono.*

84. *Decimò ex D, Damasceno, & Ratherio Veronensi Episcopo.*

85. *Vndecimò ex Theodoro studitâ in terminis Romanum Episcopum Occidentalem nuncupante.*

86. *Duodecimò ex Synodi Generalis 8. canone 17.*

87. *Decimòtertiò ex Zonarâ apud Leonem Allatium.*

88. *Decimò quartò ex Theodoro Balsamone.*

89. *Decimò quintò ex alys Grecis Schismaticis Barlaamo Monacho, Macario Ancyrano, & Nilo Thessalonicensi.*

90. *Decimòsextò ex Nilo Doxapatrio, qui ipsam Thraciam sub Romano Patriarchâ collocat, in quo errasse probatur contrà Leonem Allatium.*

91. *Et ex his omnibus lucet, quam verè Sirmondus scripserit, omnes Græcos in hoc convenire: undè egregiè reiicitur Salmasius, qui contrà indubitatam antiquorum & modernorum sententiam Patriarchatum Romanum intrà suburbicaria loca conclusit.*

74. LEo Allatius lib. 1. cap. 12. n. 4. canonem 6. Nicenum interpretandum suscipiens, jus Patriarchale ibidem stabilitum asserit, ac pergit: „ Quid hic urbicaria & suburbicaria somniamus, de „ quibus nec vestigium est in verbis Concilij? Hâc ratione interpretes, „ cum inter potestatem absolutam Pontificiam & Patriarchalem non „ distinxissent, existimantes Concilium de primatu Papæ agere, nec „ intelligentes, quomodo fieri posset, ut eadem auctoritas Alexandri- „ no atque Romano tribueretur; alia atque alia commenti sunt, quæ „ planè omnia remanent, si de Patriarchali potestate, ut certè de- „ bent, intelligi exponantur. Epitomator Græcus canonum satis „ antiquus: *Ægypti, & Libyæ, & Pentapoleos Alexandrinus dominium habeat, & Romanus eorum, quæ sub Ditione Romanâ sunt, & Antiochenus & reliqui propriorum.* Alexius Aristenus ibidem: *unumquemque Patriarcham proprys privilegijs contentum esse oportet, & neminem ex ipsis Provinciam aliam, quæ anteà à principio non erat sub manu sua sibi vendicare.* Ex quibus duobus Græcis canonum collectoribus patet, de Patriarchali etiam Romanâ terminis circumscriptâ potestate in Niceno actum, quinam verò hi

Leo Allat.

Cod. Græcus.

Aristenus.

hi termini Patriarchatui Romano præscripti sint, omnium ferè sæculorum testimonia de Occidente evincunt.

75. 1. S. Ignatius secundus Antiochiæ Patriarcha, de quo D. Chrysostomus tom. 5. in Panegyrico ejusdem sancti: *Cum Petrus Antiochiâ esset discessurus, alteri Petro patem præceptorem* (Ignatium intelligit) *gratiâ spiritus substituit.* Hic inquam Ignatius, cum vinctus Romam duceretur martyrio coronandus, in viâ epistolam scripsit ad Romanos, cujus quoque meminit D. Hieronymus, & extat tom. 2. Annalium Baronij, & tom. 1. Bibliothecæ SS. PP. cum hac epigraphe: *Ecclesiæ sanctificatæ* &c. *quæ præsides in loco Romanæ Regionis.* Locus Romanæ Regionis erat Occidens, & cum ille ex Oriente scriberet, etiam primo sæculo Romanam Ecclesiam Patriarchalem Occidentis indigitavit.

Chrysost.

D. Ignat.

76. 2. Concilium Arelatense primum anno 314. scribens ad S. Silvestrum Papam: *qui majores Diœceses tenes*, utique totius Occidentis: ut exponit Parisiensium Archiepiscopus de Marca, nam cum Occidentis Metropolitæ singulis Provincijs Præsidentes S. Silvestrum majores Diœceses habere scribunt, Diœceses illas, quas Notitia Imperij tradit, fuisse in Occidente, intellexerunt, adeoque Illyrici, Africæ, Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, & Britanniæ, quæ & omnes Patriarchatui Romano subfuere.

Arelat. I.

77. 3. Autocephalicum caput Cæsareæ Cappadociæ Primas D. Basilius S. Athanasio contemporaneus, qui epistolâ 10. Romanum Episcopum, *Occidentalium Coripheum* scripsit. Obijt autem Basilius juxtà Lucam Holstenium in diagrammate chronotactico, sub Pontificatu Damasi anno 378.

Basilius.

78. 4. S. Hieronymus presbyter tempore Damasi Papæ in epistolâ ad Marcum: *Hæreticum me cum Occidente, hæreticum me cum Ægypto, hoc est, cum Damaso Petroque condemnent.* „ Quid apertius (clamat Parisiensis Archiepiscopus de Marca lib. 1. cap. 4. §. 2.) ut Ægyptum tamquam specialem Alexandrini Patriarchæ Diœcesim Petro Alexandriæ Episcopo tribuit Hieronymus, ita & Damaso Episcopo Romæ solum Occidentem. „ Et antè ipsum Iacobus Sirmondus de suburbicarijs parte 2. cap. 3. „ Quid aliud intelligi voluit, quam ut „ Petri Alexandrini Ægyptum, sic Damasi Episcopi Romani Diœcesim fuisse Occidentem? specialis ergo & Patriarchalis, ut ita dicam, Episcopi Romani Diœcesis Occidens fuit, quatenus is Patriarcha erat, quo nomine cum Alexandrino atque Antiocheno in Nicenæ Synodi canone comparatur. „

Hierony.

De Marca

Sirmondus

79. 5. Ex Africâ Coripheus SS. PP. Augustinus, qui ubi contrà Pelagium adduxisset testimonia S. Cypriani ex Africâ, Irenei, Rheticij, Olimpij, Hilarij ex Gallia, & Ambrosij ex Italia, pergit lib. 1. contrà Iulianum, cap. 2. *An ideò contemnendos putas, quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec ullus in eis est commemoratus Orientis Episcopus? Quid ergò faciemus, cum illi Græci sint, nos Latini? puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare, cui Ecclesiæ Præsidentem beatum Innocentium, si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses.* „ Ecclesia „ (subdit de Marca) nulla est alia, quam Occidentalis, cujus solius „ hoc in loco mentionem facit Augustinus: ut frustrà sint novatores, „ qui ad Romanam hæc verba referunt, cujus ne meminit quidem „ Augustinus. „

Augustin.

De Marca.

80. 6. Ipse Innocentius Papa D. Augustino contemporaneus, epistolâ ad Decentium Eugubinum: *Cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interiacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi aut quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerint Sacerdotes, aut legant, si in iis Provinciis alius Apostolorum invenitur aut legitur docuisse. Qui, si non legunt, quia nusquam inveniunt; oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, à quâ eos principium accepisse non dubium est, ne, dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere.* „ Planè (subdit de Marca loco citato) caput institu- „ tarum in Occidente Ecclesiarum Romanam Ecclesiam Innocentius „ vult haberi. „ Additque, tantum calculo Patriarchatus Romani deesse Illyricianæ Diœceseos Ecclesias, quas tamen Romano subfuisse, probat ex ipsius Innocentij epistolâ 12. ad Rufum Thessalonicensem suum per Illyricum Vicarium, ubi profitetur, sese relationem ex Illyrico accepisse: *Adverti Sedi Apostolicæ, ad quam relatio tamquam ad caput currebat &c.*

Innocent. I.

De Marca.

Innoc. I.

81. 7. Ex Synodo Romanâ sub Bonifacio 2. anno Domini 531. in causâ Stephani Larissææ in Thessaliâ Metropolitæ Episcopi, de quâ Lucas Holstenius in notis Concilij à se editi: „ Stephanus La- „ rissensis Episcopus Thessaliæ Metropolita legitimè ac regulariter „ electus & ordinatus, mox Probiani Suffraganei sui aliorumque im- „ proborum factione irregulariter Episcopatu privatus ab Epiphanio „ Patriarchâ Constantinopolitano Sedem Apostolicam appellat, & „ lugubrem calamitatum suarum historiam, duobus libellis præte- „ xens, restitui petit. „ In secundo verò illorum libellorum profitetur

Lucas Holstenius.

sese

sese recusasse Sedis Constantinopolitanæ judicium, eo quod *Apostolicam Sedem, id est, vestram Beatitudinem causas nostræ Provinciæ & audire convenit & finire.* Plura addit Stephanus, quibus probat Thessaliæ, & alias Illyrici Provincias potestati Patriarchali Romanæ juxtà consuetudinem ab omni tempore observatam & canonibus firmatam, subfuisse: undè sessione 2. dixit ad Bonifacium 2. Theodosius Echiniensis Civitatis Episcopus: *Ex relectione libellorum vestra cognovit Beatitudo, quæ acta sunt contrà sanctos canones, & ordinationem decessorum vestrorum. Nam constat venerandas Sedis vestræ Pontifices, quamvis in toto mundo Sedes Apostolica Ecclesiarum sibi vindicet Principatum, & solam Ecclesiasticis causis undique appellare necesse sit, specialiter tamen gubernationi suæ Illyrici Ecclesias vindicasse.* Diligenter (subdit in hujus loci annotatione Lucas Holstenius ab eminentissimo Cardinali Francisco Barberino Alexandro 7. nuncupatus) notanda sunt hæc verba: ,, in his enim clarissimè distinguitur duplex ,, in Romano Pontifice potestas. Prior universalis in omnem Eccle- ,, siam jure supremi Primatus, & officio pastoris œcumenici ei com- ,, petens: altera conveniens eidem tamquam peculiari Patriarchæ to- ,, tius Ecclesiæ Occidentalis, ad cujus Diœcesim Illyrici quoque Ec- ,, clesiæ pertinerent. ,,

Stephanus Larissensis

Theodos. Echiniens.

Lucas Holstenius.

82. 8. Ex Imperatore Justiniano, qui anno 541. quinque Patriarchas recensens primo loco meminit Patriarchæ Hesperiæ, seu Occidentis, sic novella 109. *Totius orbis terrarum Patriarchæ, scilicet Hesperiæ & Romæ, & hujus Regiæ civitatis, & Alexandriæ, & Theopoleos, & Hierosolymorum, & omnes qui sub eis constituti sunt sanctissimi Episcopi, Apostolicam prædicant fidem atque traditionem.* Hesperia, ut rectè animadvertit de Marca, malè interpretata est Italia, cum Justinianus totum Orbem sub 5. Patriarchis partiatur, & orbis Episcopos sub eis prædicet constitutos. Itaque cum Occidentales Provinciæ juxtà computum Iustiniani alicui debeant subesse, & nulli Orientali Patriarchæ subfuerint, consequens est, per Hesperiam Occidentem significari, cui congruit non solum communis illius verbi usurpatio, sed & ipsa Iustiniani Scrimgeriana æditio, quæ Patriarchatum Romanum non dividit in Hesperiam & Romam, sed uno membro complectitur legens: ,, *Occidentalis Romæ.*

Iust. Imp.

83. 9. Ex Synodo Generali 6. actione 18. ubi petitur à Principe: acta Concilij transmitti quinque Patriarchalibus Sedibus. Et iisdem transmissa esse, firmatur ex subsequentibus: nam acta Synodalia misit Princeps quinque Patriarchalibus sedibus, hoc modo: *Apostolicæ*

Synodus 6

 Sedi

Sedi sancti ac Principis Apostolorum Petri, nempè Agathoni sanctissimo Papæ senioris Romæ. Sedi sanctissimæ Catholicæ & Apostolicæ magnæ Ecclesiæ Constantinopoleos &c. Quæ etiam confirmantur ab Agathone Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diacono in per-oratione Synodi sextæ, ubi de actis: *quin & quinque Patriarchalibus Sedibus tradita.* Ex quibus patet, Romanum Episcopum contrà quatuor Orientis Patriarchas, ut Patriarcham proculdubiò Occidentis, fuisse distinctum, idque ut per eum Synodus 6. in partibus Occidentis post confirmationem foret promulganda.

Agatho Diac.

84. 10. Ex D. Ioanne Damasceno, qui obijt circà annum 740. in oratione adversus impium Imperatorem Constantinum: refellit ejus contrà sacras imagines Constantinopolitanum Concilium, nec passus est haberi œcumenicum: *Nam queso te* (inquit) *quis ei Patriarcharum inventus est interesse: Romanus ire noluit, &c.* Ecce primum Patriarcharum nuncupat Romanum utique Occidentis, & posteà quinque Sedium Patriarchalium meminit: *Ea* (inquit) *Synodus fit, cum 5. Sedes Patriarchales, unam sanxerint fidem.* Et Romanum sæpius Patriarcham vocatum ab aliis, ostendi posset pluribus: unum sufficiat ex Ioanne Ratherio Episcopo Veronensi circà annum 953. in epistolâ 3. ad Joannem 12. *Summo primæ, hoc est Romanæ Sedis Pontifici, Domino Patrichæ Reverendissimo Ioanni, Ratherius peccator & exul.* Apud Lucam D'acherium tom. 2. Spicilegij.

Damascen.

Ratherius Veron.

85. 11. Ex venerando Studiani Monasterij Abbate Theodoro, epistolâ ad Leonem Constantinopolitanæ Ecclesiæ Cancellarium: dicit Concilium convocandum, cui si nolint comparere Patriarcharum Vicarij, studendum esse, ut adsit Romani Patriarchæ Vicarius, & tunc alios quoque comparituros: *Si fieri non possit, ut ab alijs Patriarchis adsint Vicarij, quod certè fieri potest, si velit Imperator Occidentalem interesse.* En quam præclarè Magnus Theodorus Studita Romanum Episcopum dicat Patriarcham Occidentis.

Theodor. Studita.

86. 12. Ex Synodo generali 8. quæ quinque Sedium Patriarchalium meminit, & art. 6. ad Photianos in schismate Episcopos locutus est Basilius Augustus: *Ecce audistis sensum Patriarcharum, tam Romani, quam Hierosolymitani, quid vobis videtur ad hæc?* Alia prætereo, dicta sufficienter firmari ratus à canone 17. hujus Synodi 8. ipsum canonem 6. Nicenum de Patriarchatus Occidentalis potestate interpretantis: *Sancta & universalis Nicena prima Synodus antiquam consuetudinem jubet servari per Ægyptum, & Provincias, quæ sub ipsâ sunt, ita ut horum omnium.*

Basilius Aug.

Canon. 17. Synod. 8.

Alexan-

Alexandrinus Episcopus habeat potestatem, dicens: quia & in Romanorum civitate hujusmodi mos praevaluit. Quâ pro causâ, & hac magna & sancta Synodus tam in seniori & novâ Româ, quàm in Sede Antiochiae, ac Hierosolymorum, priscam consuetudinem decernit in omnibus conservari, ita ut earum praesules universorum Metropolitanorum, qui ab ipsis promoventur, & sive per manus impositionem, sive per pallij dationem Episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem, videlicet ad convocandum eos urgente necessitate ad Synodalem Conventum, vel etiam ad coercendum illos & corrigendum, cum fama eos super quibusdam delictis forsitan accusaverit. Ita canon 17. Synodi Generalis 8. ex versione Anastasij Bibliothecarij, qui eidem interfuit. Unde non solum colligitur, Romanum fuisse Patriarcham totius Occidentis, cujus Metropolitae ex Apostolico instituto ad Romani ordinationem spectabant, sed insuper 6. canonem Nicenum & locutum fuisse de potestate Patriarchali Romanâ in totum Occidentem, & de jure non tantum ordinationis sed pleno Patriarchico in subjectos Episcopos, ut suprà ex ipso D. de Marca evicimus. Et licet sufficere poterat auctoritas Concilij Generalis; „ cui nefas est refragari „ ut rectè scripsit Valesius cap.3. addo Graecos canonum interpretes, & plurimos ex ipsis schismaticis id ipsum clarè & ingenuè profitentes.

Valesius.

87. 13. Zonaras in expositione 6. canonis Niceni: *Antiquas consuetudines, quod alijs quoque posterioribus canonum legumque civilium decretis cautum est, retineri vult canon. Alexandrinum igitur Episcopum iis, qui in Ægypto, Libyâ, & Pentapoli sunt, praesidere jubet. Antiochenum subiectis sibi Provincijs, Syriae nimirum, Coelesyriae, Ciliciae utrique, & Mesopotamiae, ac alios Episcopos suis quemque Regionibus praeesse, quemadmodum & Ecclesiae Romanae praeses in Occidentales Provincias principatum antiquâ consuetudine obtinet.* Ita ex Graeco habes apud Leonem Allatium libro 1. de Consensione Orientalis & Occidentalis Ecclesiae, cap.12.

Zonaras.

88. 14. Theodorus Balsamon in Photij nomocanone, id est, certâ quâdam canonum & legum collectione à Photio Patriarchâ Constantinopolitano congestâ, cui Balsamon ad canon. 6. Nicenum ita adnotavit: *6. & 7. Canon statuunt quatuor Patriarchas videlicet Romanum, Alexandrinum, Antiochenum & Hierosolymitanum.* Errat Balsamon de Patriarchâ Hierosolymitano, qui per Nicenum nullatenus institutus est: interim & illius, & Antiocheni, & Alexandrini Patriarcharum Provincias longè & latè diffusas (intrà Orientis tamen terminos conclusas) enumerat, & subdit: *Quoniam & Romanus Episcopus praeest Occidentalibus Provinciis.* Ita Balsamon, qui sicut & Zonaras praestantissimi à Graecis reputantur canonum interpretes;

Balsamon.

89. 15. Græci fere omnes, inquit Leo Allatius lib. 1. cap. 9. n. 3. citatque Barlaam Monachum de primatu Papæ, cap. 11. *Iam verò solas Occidentales Ecclesias Papæ gubernationi à Sanctis Patribus fuisse commendatas &c.* Macarium Ancyranum contrà Barlaamum & Acindenum: *propter hoc itaque possumus cognoscere non omnes Episcopo Romano subiici, sed tantum Occidentales exceptis iis, qui in Africa sunt.* Et Nilum Thessalonicensem de primatu Papæ, qui ex canone Niceno colligit, Romano Episcopo Occidentem subiici: *quodque* (inquit) *Romano Episcopo hoc datum est, videlicet ut Occidentalibus præsit.* Schismatici sunt, qui loquuntur, quibus licet Romani Pontificis in totum orbem primatus displicebat, & ideò certis Provinciarum terminis ejus jurisdictionem circumscribere frustrà conati sint, Patriarchalem tamen in Occidentis Provincias dignitatem neutiquam abdicarunt, sed ultrò totius Occidentis Patriarcham unanimi voce & sententiâ admiserunt.

Barlaam monac.

Macar. An.

Nilus Thessalonicen.

90. 16. Citat Leo Allatius lib. 1. cap. 10. Nilum Archimandritam cognomento Doxapatrium tractatu de quinque thronis Patriarchalibus anno 1043. ad Rogerium Siciliæ Regem transmisso, ex quo cum dissertatione præcedenti in fine adduxerimus Orientalium Patriarcharum Diœceses & Provincias, opere pretium est, hic ab ipso mutuare Occidentalis Patriarchatus terminos. *Possidebat itaque Romanus Europam universam*(inquit) *ad confinia usque Mazorum, & Gallorum, Hispaniæ, Franciæ, & Illyrici, usque ad Gadira & columnas Herculeas, Oceanum, qui in occasum Solis vergit, in quo sunt demortuæ aquæ & paludosæ, & insula propè fines Oceani hominibus abundans, & est Christianorum universa multitudo usque ad Ravennam, Longobardos, & Thessalonicam, & Sclavos, Abaras, & Schytas ad Danubium fluvium Ecclesiastica confinia extendit, & Mantarium. Possidet & partem Regionum Occidentalium, partem Siciliæ & Calabriæ, in quibus perflant venti septemtrio, Paraas, Chobreus, Zephyrus Occidentalis & Libonotus, & totam plagam Occidentalem usque ad Byzantium, & insulas omnes interjacentes nempè Sardiniam, Siciliam, Cretam, Eubœam, & ipsam Majoricam, & Peloponesum, & Helladem universam, & Provincias ac civitates omnes Europæ, nec non Hispaniam & Superiores Alpes, & quæ ultrà eas extenduntur, & insulas Britannicas usque ad Occidentalem Oceanum, & Gadira & columnas Herculeas; nec non inferiores Gallias, quæ Italiæ sunt, sive Lombardiam, quæ nunc dicitur Longibardia, & Apuliam, & Calabriam, & Campaniam omnem; item Provinciam Byzatiæ in qua est carthago, & Mauritaniam, & Venetiam, & Provincias, quæ ultrà sinum Hadriaticum sese effundunt, nempè Pannoniam & totum Illyricum, Macedoniam & Thraciam, in qua est Byzantium, & quæ ul-* *trà*

Nilus Doxapatrius.

trà sese extendunt Regiones Occidentales. Hæc omnia Romano subdebantur. Huc usque Doxapatrius, qui Thraciam ipsam sub Patriarchatu Romano collocat, quod ipsum tuetur Leo Allatius lib. 1. cap. 10. num. 2. ubi putat antiquissimam Orbis Romani divisionem in Africam, Asiam, & Europam, & in tribus illis partibus institutos tres Patriarchas, undè sequi dicit. „ Ut Provinciæ Thracica, Pontica, & Asiana Patriarchæ „ illi cesserint, cui pars ea orbis, in quâ ipsæ erant, adscripta fuerat. „ Thracia ergo, Europæ terminus, Occidentis quoque terminus fuit. „ Sicque probat ex ipsorum Schismaticorum scriptis, Thraciam initio Ecclesiæ paruisse Romano Patriarchæ etiam ipsius Theodosij senioris ævo, ut tradit in additionibus, & iterum confirmare studet libro 1. cap. 11. At pace eruditi Allatij, Thracia paruit Romano Episcopo ut Pontifici, numquam ut Patriarchæ: divisio orbis in Asiam, Africam, & Europam longè posterior est. Orientis & Occidentis meminerunt antiqui: Diœceses quinque sub præfectis Prætorio Orientis paruisse, ostendimus suprà, in Oriente, & Ægypto institutos Patriarchas à Principe Apostolorum Petro, & in Asiâ, Ponto, & Thraciâ Exarchos fuisse nulli Patriarchæ subjectos, varijs Antiquitatis monimentis ostendimus: hinc Nicenum Concilium Canone 6. post firmatas Sedes Patriarchales statuisse, *ut suis privilegia serventur Ecclesijs*: hoc enim non suppostitius, sed genuinus Canon 2. Concilij generalis 2. luce clarius exhibet, cui licet derogare studuerit Concilium Chalcedonense, dum Canone 28. tres Autocephalos primates Patriarchatui Constantinopolitano subjecit, contrà illud tamen insurrexit Leo Magnus, qui epistolâ 53. ad Anatolium conqueritur, quod per laudatum Canonem 28. *omnes Metropolitani Episcopi honore privantur.* Et in litteris ad Pulcheriam Augustam istum Canonem, *Ut unius crescat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare Primatus, quietisque Provincijs & olim sanctæ Synodi moderatione dispositis bellum novæ perturbationis inferre.* Similia repetit epist. 54. ad Marcianum Augustum statuens, ne *convellantur Provincialium jura primatum, nec privilegijs antiquitus institutis Metropolitani fraudentur Antistites.* Ex quibus omnibus manifestum evadit, tres illos Thraciæ, Asiæ, & Ponti Metropolitas fuisse Autocephalos primates, nulli ut Patriarchæ adeoque nec Occidentali parentes, unde & à Leone I. non incusantur Chalcedonenses, quod jura sui vel alterius Patriarchatus impugnata sint, sed Metropolitanorum dumtaxat Antistitum, quod unicum vel rem ipsam absolveret. Maneat itaque indubitatum, Thraciam non fuisse sub Romano Episcopo ut Patriarchâ,

Leo Allat.

Conc. Nicen.

Leo I.

Ro-

Romanum tamen Patriarcham fuisse Occidentis, neque necesse est Patriarchatus terminos plus æquo extendere, suis contentus est Romanus Episcopus, in quo Latini conspirant, quinimmò & Græci concorditer sentiunt.

91. Enimverò ex Græcorum præfatâ confessione abundè constat, verum attegisse virum eruditum Iacobum Sirmondum, quando Dissertatione 2. de suburbicarijs, cap. 3. citato per Leonem Allatium laudato Zonaræ testimonio dixit, se additurum fuisse Balsamonem. „Et reliquos ejusdem Canonis Græcos interpretes, nisi supervacaneum esset, cum idem omnes dicant, singulorum verba recensere. „Leonem verò sapientem non præteribo, à quo hoc iamplius discere „potes, quod multorum quidem Pontificum epistolæ declarant, sed „ab his tibi ægrum sit persuaderi, quam latè fusa hæc, quam Romanæ „Ecclesiæ fuisse dicimus, Occidentis Diœcesis fuerit, ut quæ multas „etiam Macedoniæ, Epiri, Achaiæ, Peloponesi Metropoles contineret, quæ inde avulsæ ad Constantinopolitanam posteà Sedem „translatæ sint. Sic enim scribit in Diatyposi, seu notitiâ Episcoporum, qui Patriarchæ Constantinopolitano parebant: *Avulsi à Diœcesi „Romanâ, jamque Throno Constantinopolitano subjecti, Metropolitani Thessalonicensis, Corinthius, Nicopolitanus, Athenιensis, Patrensis.* Vides (pergit contrà Salmasium Sirmondus) ut avulsas à Diœcesi Romana tot Pro„vincias non dissimulet? in eâ igitur anteà fuerant ..... ut post tam „illustre documentum, quoad usque se per Orientis quoque Imperium Diœcesis Romana porrexerit, obscurum esse non possit. „Excessisse Occidentis terminos Diœcesim Patriarchatus Romani, quam Hincmarus Metropolita Remensis specialem Pontificis Diœcesim appellat, eruditè probat Sirmondus, ut certum supponens, totum Occidentem ipsius Patriarchatui fuisse subjectum: idque adeò notum orbi Catholico proclamat Galliæ splendor Perronius, ut cap. 33. contrà Angliæ Regem his terminis utatur: *y a t'il si simple escolier, qui ne sçache, que le Pape laissant la qualité de chef de l'Eglise à part, estoit Patriarche d'Occident?* Neque ipse Angliæ Rex id negare potuit, cum in monitorio ejusdem Iacobi primi ad omnes Principes & potentes Christianitatis, apud Nicolaum Coeffeteau Doctorem Theologum & electum Massiliensem Episcopum in responso ejus an 1610. Parisijs edito, hæc verba citentur: *si on venoit aujourd'huy* (nimirum ad disputationem de Primatu Patriarchali) *elle donneroit de bon cœur par son suffrage, le premier lieu à l'Evesque de Rome, parce qu'estant Roy en Occident, elle adhereroit volontiers au Patriarche d'Occident.*

Sirmondus

Leò Sapiens.

Perronius.

Coeffeteau citans verba Regis Angliæ.

CAPUT

CAPUT IV.

Quod Episcopus Romanus Iura Patriarchalia per totum Occidentem exercuerit.

92. *Ius Patriarchicum præcipuè consistere in iis, ut Episcopos sibi subditos ad Concilium evocet, ordinationes Episcoporum celebret, & de majoribus causis judicium ferat, quæ omnia Romano Episcopo competunt per Occidentem universum.*

92. ANtequam ostendi possit, Romanum Episcopum jura Patriarchalia per totum Occidentem exercuisse, prius assignanda sunt ipsa jura Patriarchica ex canone 17. Synodi Generalis 8. quæ tam in seniori & novâ Româ, quam in aliis Sedibus Patriarchicis priscam consuetudinem decernit in omnibus conservari, ita ut earum Præsules 1. universis sibi subjectis Metropolitis sive per manus impositionem, sive per pallij dationem Episcopalis dignitatis firmitatem tribuant; 2. ad convocandos eos urgente necessitate ad Synodalem conventum potestatem habeant: Demum in majoribus causis, quales sunt correctiones Metropolitarum &c. Iudicium habeant. Ubi singulariter notanda contrà Ioannem Launoium hæc canonis verba; *priscam consuetudinem decernit in omnibus conservari.* Quæ clarè innuunt, ex prisco Ecclesiæ more laudata jura Patriarchis competere: cum enim Generali Concilio antè 800. annos in Oriente celebrato magis de priscâ Ecclesiæ consuetudine adhærendum sit, quam privato doctori, qui nostro tempore in Gallia scribit, tenendum est (quidquid Launoius in dissertationis propugnatione scribat, ea jura non semper Patriarchis competiisse,) etiam ab ipsis Ecclesiæ cunabulis per Apostolica instituta, scripto Niceni canone roborata, & demum à Synodo Generali 8. recognita, fuisse orbi catholico proposita: ut convenienter ad hunc canonem scripserit Parisiensium Archiepiscopus de Marca lib. 1. cap.6. §.2. jus Patriarchæ in eo versari: „ ut Episcopos sibi subditos „ ad Concilium evocet, ordinationes Episcoporum celebret, & de ma„ joribus causis judicium ferat. „ Singula jura à Patriarchis primum duobus, posteà quatuor Orientalibus, semper observata facilè probaretur, sed cum Patriarchatum Romanum per Occidentis Provincias probandum suscepimus, jura illa per Occidentem universum ab illo executioni mandata, tribus sequentibus ostendemus articulis.

Can. 17. Synod. 8.

De Marca.

Romanum tamen Patriarcham fuisse Occidentis, neque necesse est Patriarchatus terminos plus ęquo extendere, suis contentus est Romanus Episcopus, in quo Latini conspirant, quinimmò & Gręci concorditer sentiunt.

91. Enimverò ex Gręcorum pręfatâ confessione abundè constat, verum attegisse virum eruditum Iacobum Sirmondum, quando Dissertatione 2. de suburbicarijs, cap. 3. citato per Leonem Allatium laudato Zonarę testimonio dixit, se addíturum fuisse Balsamonem. ,, Et reliquos ejusdem Canonis Gręcos interpretes, nisi supervacaneum esset, cum idem omnes dicant, singulorum verba recensere. ,, Leonem verò sapientem non pręteribo, à quo hoc amplius discere ,, potes, quod multorum quidem Pontificum epistolę declarant, sed ,, ab his tibi ęgrum sit persuaderi, quam latè fusa hęc, quam Romanę ,, Ecclesiæ fuisse dicimus, Occidentis Diœcesis fuerit, ut quę multas ,, etiam Macedoniæ, Epiri, Achaiæ, Peloponesi Metropoles conti-,, neret, quę inde avulsæ ad Constantinopolitanam posteà Sedem ,, translatæ sint. Sic enim scribit in Diatyposi, seu notitiâ Episcopo-,, rum, qui Patriarchæ Constantinopolitano parebant: *Avulsi à Diœcesi* ,, *Romanâ, jamque Throno Constantinopolitano subjecti. Metropolitani Thessaloni-* ,, *censis, Corinthius, Nicopolitanus, Athemensis, Patrensis.* Vides (pergit con-,, trà Salmasium Sirmondus) ut avulsas à Diœcesi Romana tot Pro-,, vincias non dissimulet? in eâ igitur anteà fuerant ..... ut post tam ,, illustre documentum, quoad usque se per Orientis quoque Impe-,, rium Diœcesis Romana porrexerit, obscurum esse non possit. ,, Excessisse Occidentis terminos Diœcesim Patriarchatus Romani, quam Hincmarus Metropolita Remensis specialem Pontificis Diœcesim appellat, eruditè probat Sirmondus, ut certum supponens, totum Occidentem ipsius Patriarchatui fuisse subjectum: idque adeò notum orbi Catholico proclamat Galliæ splendor Perronius, ut cap. 33. contrà Angliæ Regem his terminis utatur: *y a t'il si simple escolier, qui ne sçache, que le Pape laissant la qualité de chef de l'Eglise à part, estoit Patriarche d'Occident?* Neque ipse Angliæ Rex id negare potuit, cum in monitorio ejusdem Iacobi primi ad omnes Principes & potentes Christianitatis, apud Nicolaum Coeffeteau Doctorem Theologum & electum Massiliensem Episcopum in responso ejus an 1610. Parisijs edito, hęc verba citentur: *si on venoit aujourd'huy* (nimirum ad disputationem de Primatu Patriarchali) *elle donneroit de bon cœur par son suffrage, le premier lieu à l'Evesque de Rome, parce qu'estant Roy en Occident, elle adhereroit volontiers au Patriarche d'Occident.*

Sirmondus

Leó Sapiens.

Perronius.

Coeffeteau citans verba Regis Angliæ.

CAPUT

CAPUT IV.

Quod Episcopus Romanus Iura Patriarchalia per totum Occidentem exercuerit.

92. Ius Patriarchicum præcipuè consistere in iis, ut Episcopos sibi subditos ad Concilium evocet, ordinationes Episcoporum celebret, & de majoribus causis judicium ferat, quæ omnia Romano Episcopo competunt per Occidentem universum.

92. ANtequam ostendi possit, Romanum Episcopum jura Patriarchalia per totum Occidentem exercuisse, prius assignanda sunt ipsa jura Patriarchica ex canone 17. Synodi Generalis 8. quæ tam in seniori & novâ Româ, quam in aliis Sedibus Patriarchicis priscam consuetudinem decernit in omnibus conservari, ita ut earum Præsules 1. universis sibi subjectis Metropolitis sive per manus impositionem, sive per pallij dationem Episcopalis dignitatis firmitatem tribuant; 2. ad convocandos eos urgente necessitate ad Synodalem conventum potestatem habeant: Demum in majoribus causis, quales sunt correctiones Metropolitarum &c. Iudicium habeant. Ubi singulariter notanda contrà Ioannem Launoium hæc canonis verba; *priscam consuetudinem decernit in omnibus conservari.* Quæ clarè innuunt, ex prisco Ecclesiæ more laudata jura Patriarchis competere: cum enim Generali Concilio antè 800. annos in Oriente celebrato magis de priscâ Ecclesiæ consuetudine adhærendum sit, quam privato doctori, qui nostro tempore in Gallia scribit, tenendum est (quidquid Launoius in dissertationis propugnatione scribat, ea jura non semper Patriarchis competiisse,) etiam ab ipsis Ecclesiæ cunabulis per Apostolica instituta, scripto Niceni canone roborata, & demum à Synodo Generali 8. recognita, fuisse orbi catholico proposita: ut convenienter ad hunc canonem scripserit Parisiensium Archiepiscopus de Marca lib. 1. cap.6. §.2. jus Patriarchæ in eo versari: „ ut Episcopos sibi subditos „ ad Concilium evocet, ordinationes Episcoporum celebret, & de ma„ joribus causis judicium ferat. „ Singula jura à Patriarchis primum duobus, posteà quatuor Orientalibus, semper observata facilè probaretur, sed cum Patriarchatum Romanum per Occidentis Provincias probandum suscepimus, jura illa per Occidentem universum ab illo executioni mandata, tribus sequentibus ostendemus articulis.

Can. 17. Synod. 8.

De Marca.

ARTICULUS I.

De jure Patriarchico Romano in ordinandis Occidentis Metropolitis, & firmandis judicio suo Episcopis.

93. *S. Petrum ejusque successores per totum Occidentem jus ordinationum exercuisse, probatur testimonio Innocentij I.*

94. *Non semper sibi hoc reservasse constat ex testimonio D. Cypriani, cui consonat canon. 4. Niceni Concilij.*

95. *Hinc tamen non sequi, quod Patriarchæ Romano jus ipsum non competat, nam hoc ipsi vindicat Nicenum Concilium & Innocentius primus.*

96. *In Regionibus Suburbicariis Episcopos Romanos ordinasse antistites, & in reliquis Italiæ partibus nunc ordinationes Metropolitanorum gratiosè indulsisse, nunc iterum sibi reservasse, probatur varijs momentis.*

97. *In Diœcesi Illyriciana à temporibus Siricij Papæ ordinationes commissas fuisse Thessalonicensium Metropolitis tanquam Sedis Apostolicæ per Illyricum Vicariis, fusè ostenditur ex Siricio, Bonifacio I. & Leone Magno.*

98. *Quandoque Romanos Pontifices Salonitani Metropolitæ ordinationem sibi restituendam expostulasse, probatur ex Gregorio Magno & Ioanne 8.*

99. *Idem de Bulgariâ ex Nicolao primo; qui voluit eius Metropolitam pallium petere à Sede Apostolicâ.*

100. *Id quoque pro Angliâ noviter conversâ statuit Gregorius Magnus; & confirmavit Honorius I.*

101. *De Galliâ habemus varia tempora, quibus nunc Metropolitæ à suis suffraganeis ordinabantur, nunc pallia à Sede Apostolicâ petere debebant: quod ultimum ab Arelatensi Episcopo à temporibus Gregorij Magni observatum decreto Synodico ad omnes Galliarum Metropolitas extendit Bonifacius Moguntinus.*

102. *Quid de Africâ statuendum sit, variant periti, posito tamen quod Romanus Episcopus gratiosè indulserit, jus suum retinuisse probatur ex S. Optato consentiente Gabriele Albaspineo.*

103. *Ex dictis abunde constat contrà Dominum de Marca, Nicenum Concilium non tantum egisse de ordinationibus intra suburbicarias.*

104. *Constat enim ipso de Marca fatente jus Patriarchicum per totum Occidentem extendisse.*

105. *Addu-*

105. *Adducitur Genuinus canonis Niceni sensus novâ methodo expositus, ut nimirum non agat de juris exercitio, sed ipsamet potestate aut jure. Et hinc iam patere rationem ante hac ita difficilem, ut parilitas per Nicenum Concilium indicata locum habeat inter Alexandrinum & Romanum Patriarchas.*

106. *Quomodò ex jure Patriarchatus Romani deduci possit ipsum juris exercitium pro Patriarchatu Alexandrino, fusius exponitur.*

93. INitio nascentis Ecclesiæ omnes Occidentis Episcopos à principe Apostolorum Petro fuisse institutos, luce clarius testatur S. Innocentius primus modestissimus Ecclesiæ Pontifex epistola 1. ad Decentium Eugubinum Episcopum: *cum* (inquit) *sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam* (supple, ut ante monuimus, Illyricum) *insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi aut quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerint sacerdotes.* Nihil addi debet ad verba hujus sanctissimi Pontificis, cum apertè testentur ordinationes totius Occidentis primum à Sede Apostolicâ peractas.

Innoc. I.

94. Licet hoc jus ordinandi Episcopos ex instituto Apostolico per Occidentem usurpatum sit à Petro ejusque in Sede Patriarchali successoribus, hinc tamen non sequitur, semper hoc ita retinuisse, ut se ipsis ordinationes perfecerint; enimverò de sæculi tertij consuetudine testatur D. Cyprianus lib. 1. epist. 4: *Diligenter de traditione divinâ, & Apostolicâ observatione servandum est, & tenendum, quod apud nos quoque, & ferè per Provincias universas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè novit, & uniuscuiusque actum de eius conversatione perspexit. Quod & apud vos factum videmus in Sabini collegæ nostri ordinatione, ut de universa fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui in præsentia convenerant, quique de eo ad vos litteras fecerant, judicio, Episcopatus ei daretur.* Dum Ecclesijs ubique per Imperij Provincias institutis, primis Ecclesiæ temporibus Sæviente Imperatorum tyrannide incommodum nimis fuisset, undecumque ad Sedes Patriarchales pergere, datum est Metropolitis cum suæ Provinciæ Episcopis in defuncti locum eligere alterum, & tribus saltem præsentibus Episcopis, cæteris per scripta adsensum præstantibus, consecrationem peragere, ut ex prisca Ecclesiæ consuetudine decernit sacræ Nicenæ Synodi canon. 4. „ *Episcopum convenit maximè quidem ab omnibus, qui sunt in Provincia, Episcopis ordinari. Si autem hoc*

D. Cyprian

Can. 4. Nic.

 difficile

difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum, quæ geruntur, per unamquamque Provinciam Metropolitano tribuatur Episcopo.

95. Hinc tamen ne inferas, nullam in ordinationibus Patriarchas sibi retinuisse auctoritatem, enimverò canon 6. Nicenus agens de jure Patriarchico trium præcipuarum Sedium, & jure Autocephalico Primatuum, addit: *Illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definivit, Episcopum esse non oportere.* Ad quæ canonis verba rectè annotavit Christianus Lupus parte 1. non agi de Metropolitano unius Provinciæ, sed integræ Diœcesis, quem posteriora sæcula Patriarcham vocarunt: cum enim canon quartus egerat de Metropolitis Provinciæ, credendum non est, idem egisse canone 6. quia quod bis statuitur eodem tempore & Concilio, frustrà secundò decernitur, unde inquit Lupus: „ "per Metropolitanum non jam quomodò quartus canon intelligens „unius Provinciæ, sed totius Diœcesis Patriarcham, seu Primatem „Autocephalum.„ Idem contra Ioannem Launoium habet Henricus Valesius cap. 2. „ cum (inquiens) potestas Metropolitanorum in „capite illo 4. abundè stabilita esset, quid opus erat rursus in 6. cano„ne de Metropolitanis dicere? Prorsus inanis ac superflua esset hæc „repetitio, quæ in viros tam graves cadere non potest. Præterea in „hoc capite 6. agitur de Episcopis, qui regunt Diœcesim, non au„tem de his qui regunt unicam Provinciam; atqui Metropolitani „unam dumtaxat Provinciam regunt; singuli etiam præsunt Episco„pis suæ Provinciæ: Patriarchæ vero Diœcesim, id est, multas si„mul junctas Provincias administrant, & subjectos sibi habent mul„tos Metropolitanos. De his igitur intelligendus est hic canon, non „de simplicibus Metropolitanis.„ Et ne quis dicat, à nobis aliter canonem intelligi, quam intellexerit Antiquitas, en Innocentium I. epistola 18. capite 1. ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum: *Revolventes authoritatem Nicenæ Synodi, quæ unam omnium per orbem terrarum explicat sacerdotum ..... arbitramur frater Charissime, ut sicut Metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic & cæteros non sine permissu conscientiáque tuâ sinas Episcopos procreari, in quibus hunc modum rectè servabis, ut longè positos litteris datis ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu, vicinos autem, si æstimas, ad manus impositionem tuâ Gratia statuâ perve-*

Canon 6. Nicenus.

Lupus.

Valesius.

Innoc. I.

pervenire. Cum tam solicitè canonis Niceni observationem restaurat pro Patriarchâ Antiocheno Innocentius 1. quid pro suo Patriarchatu aut vigebat, aut vigere debebat, non obscurè insinuat.

96. In Regionibus urbicarijs Pontificem ordinasse cunctos Antistites, neminem puto negaturum, cum pateat ex Cælestini epistolâ ad Episcopos per Apuliam & Calabriam constitutos, quod idem facilè probari posset de cæteris urbicarijs Regionibus, quibus Sedes Apostolica sibi ordinationes reservare consuevit, ut Archiepiscopo Ravennati jus Autocephaliæ usurpanti acriter quoque obstiterit, donec iterum, *se pristinæ Sedi Apostolicæ subjugavit*, (ut loquitur Anastasius in vitâ Doni Pontificis) cui accedit Luitprandus in Dono: *Huius temporis Ecclesia Ravenna, quæ prius acephalicum caput contrà Romanam Ecclesiam erexerat, denuò fractâ cervice superbiæ Apostolicæ Sedi humiliata subiacuit.* Et hanc potestatem competiisse in alias Italiæ Provincias, colligi potest ex testimonio Pelagij Papæ apud Gratianum de Mediolanensi & Aquileiensi Episcopis: *Mos antiquus fuit, ut quia pro longinquitate vel difficultate itineris ab Apostolico illis onerosum fuerit ordinari, ipsi se invicem Mediolanensis & Aquileiensis ordinare Episcopos debuissent.* Ordinationem ad ipsam Sedem Apostolicam jure pertinuisse, Lucidius testari non potuit Pelagius Papa post sæculi 6. medium, quia tamen nimis onerosum erat pro itineris difficultate Romam accedere, gratiosè indultum fuit, ut Aquileiensis & Mediolanensis se invicem ordinarent, quod tamen postea mutatum fuit, concesso ut à suffraganeis consecrarentur accedente Sedis Apostolicæ consensu, ut patet ex D. Gregorio Magno libro 7. indict. 2. epist. 30. & lib. 8. epist. 65. ubi ad Mediolanensem populum & clerum pro electo Deusdedit Mediolanensi Episcopo rescribit: *Divinitatis gratia suffragante eum præsentium scriptorum auctoritate solemniter decernimus ordinari.*

Anastasius Bibliothec. Luitprand.

Pelagius Papa.

Gregor. I.

97. Quid in Illyrico ante Siricium Papam observatum fuerit, non ita expressum habemus ex Antiquitatis monumentis: videtur Romam de ordinationibus referri consuetum, sed plerisque mendacijs actum, undè Siricius Pontifex Anysio Thessalonicensi Metropolitæ vices suas commisit, ut patet ex epistolâ Siricij ad Anysium per Lucam Holstenium publicatâ: *Etiam dudum Frater Carissime per Candidianum Episcopum, qui nos præcessit ad Dominum, huiusmodi litteras dederamus, ut nulla licentia esset, sine consensu tuo in Illyrico Episcopos ordinare præsumere: quæ utrum ad te pervenerint, scire non potui, multa enim gesta sunt illic per contentionem ab Episcopis in Ordinationibus faciendis, quod tua melius caritas novit.*

Siricius.

Et infrà : *ad omnem enim huiusmodi audaciam comprimendam vigilare debet instantia tua, Spiritu in te sancto fervente : ut vel ipse, si potes, vel quos iudicaveris Episcopos idoneos, cum litteris dirigas, dato consensu, qui possit in eius locum, qui defunctus vel depositus fuerit, Catholicum Episcopum, vitâ & moribus probatum, secundum Nicenæ Synodi statuta, vel Ecclesiæ Romanæ clericum de clero meritum ordinare.* Cum vices suas Anysio concedat Siricius, potestatem sibi competiisse ad ordinandos Episcopos Illyricæ Diœcesis juxtà Nicenæ Synodi statuta prę̨clarè ostendit : & hunc quoque morem retinuisse Successores Romanos Pontifices, apparet ex Bonifatio I.

Bonifac. I. epistolâ ad universos Episcopos per Thessaliam constitutos : *Episcopos per Illyricum citrà conscientiam Episcopi nostri Rufi, nullus ordinare præsumat.* Et rursus in aliâ epistolâ ad Rufum & cæteros Episcopos per Illyricum : *nullus, ut frequenter dixi, alicuius ordinationem citrà eius conscientiam celebrare præsumat : cui, ut suprà dictum est, vice nostrâ cuncta commisimus.* Ex quibus lucet, Rufum post Anysium fuisse Thessalonicensem Metropolitam, & S. Bonifacij primi per Illyricum Vicarium, cui jus suum commiserat Pontifex pro ordinandis Episcopis. Post quos extat testimonium luculentissimum ex epistolâ Leonis primi ad Anastasium Thessalonicensem pariter Episcopum circà Ecclesiarum regimen per

Leo I. Illyricum positarum : *Quas* (inquit) *dilectioni tuæ vice nostrâ commisimus, beatæ recordationis Siricij exemplum secuti, qui sanctæ memoriæ Anysio prędecessori tuo, bene de Apostolicâ Sede tunc merito, & rebus post sequentibus approbato, certâ tum primum ratione commisit.* Undè & infrà : *Nullus te inconsulto per illas Ecclesias ordinetur Antistes. Ita enim fiet, ut sint de eligendis matura iudicia, dum tuæ dilectionis examinatio formidetur. Quisquis verò de Metropolitanis Episcopis contrà nostram præceptionem prę̨ter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam sibi apud nos status sui esse noveris firmitatem, eosque usurpationis suæ rationem, qui hoc prę̨sumpserint, reddituros. Singulis autem Metropolitanis sicut potestas ista committitur, ut in suis Provincijs ius habeant ordinandi, ita eos Metropolitanos à te volumus ordinari; maturo tamen & decocto iudicio.* Extat epistola apud Lucam Holstenium in collectione Romanâ, parte 1. ex qua ne quis inferat, solam Metropolitanorum ordinationem reservasse, ad aliorum quoque Episcoporum Provincialium ordinationes Vicarij sui consensum requisivit, ut patet ex epistolâ Leonis primi 84.

Leo I. cap. 6. ad eumdem Anastasium : *De persona autem consecrandi Episcopi, & de cleri plebisque consensu Metropolitanus Episcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in Provinciâ benè placuit, scire te faciat, ut ordinationem ritè celebrandam tua quoque firmet auctoritas.* Et apud Lucam Holstenium epistolâ

25. ad

25. ad Episcopos Metropolitanos Illyrici: *Vt vero vestræ dilectioni Provinciæ suæ ordinatio permittitur sacerdotum, ita fratrem & Coepiscopum nostrum Anastasium de ordinando Antistite volumus consulatis: cui Metropolitani Episcopi consecrationem statuemus reservari.* S. Leonem Papam ut tenacissimum canonum observatorem conformiter ad canones hæc omnia statuisse, cum nemo dubitet, dicendum ex canone 6. Niceno, authoritatem Patriarchalem in ordinationibus sibi competentem, Vicario suo per Illyricum contulisse, ut non immeritò Christianus Lupus parte 1. ad Canonem 6. Nicenum relato Leonis 1. ex epistolâ 84. testimonio, subdiderit: „ propter nimiam ab urbe distantiam, in Provinciis illis „ vices suas Episcopo Thessalonicensi commiserat Sedes Apostolica, „ ideoque ab illo non tantum Metropolitanorum, sed & Provincia- „ lium Episcoporum præviam confirmationem iubebat peti virtute „ canonis præsentis, Sexti nimirum Niceni.

Lupus

98. Temporis successu, Pontifices Romanos totam hanc authoritatem non reliquisse Vicario per Illyricum constituto, licet colligere ex libri 4. epistolâ 9. D. Gregorij Magni ad universos Episcopos per Illyricum constitutos, ubi ad relationem de electione Ioannis Episcopi omnium Episcoporum consensu peractâ scriptum reliquit: *Proinde juxtà postulationis vestræ desiderium, prædictum fratrem & Coepiscopum nostrum, in eo, in quo est sacerdotij ordine constitutus, nostri assensus authoritate firmamus.* Enimverò & libro 3. epistolâ 16. ad universos Episcopos per Dalmatiam constitutos scripserat, sese Salonitani Episcopi ordinationem Sedis Apostolicæ reservasse judicio: *Præcipimus, ut nulli pœnitus extrà consensum permissionemque nostram, quantum ad Episcopatus ordinationem pertinet, in Salonitana civitate manus præsumatis imponere: nec quemquam in civitate aliter, quam diximus, ordinare.* Undè cum Leo Isaurus Diœcesim Illyricianam Romano violenter substractam ad Patriarchatum Constantinopolitanum transtulisset, ad Clerum & Provinciales Salonitanæ Metropolis Dalmatiæ Episcopos scripsit Ioannes 8. epistolâ 190.: *Monemus atque hortamur, ut ad gremium S. Romanæ Ecclesiæ redire ovanter attendatis, & electus à vobis Canonicè Archiepiscopus, ad nos veniens gratiam Episcopalis consecrationis, sacrumque pallium à nobis, more pristino incunctanter percipiat. . . . quod si fortè ad Sedem Apostolicam Romanæ Ecclesiæ redire, & inde secundum antiquam normam, Episcopalem consecrationem, sacrumque pallium recipere contempseritis, omni Ecclesiastica vos communione scitote pœnitus excommunicandos.*

Gregorius Magnus,

Ioannes 8.

99. Nec minus pro restitutione Bulgariæ ante Ioannem 8. eodem

sæculo

sæculo 9. sudaverat Nicolaus primus, qui epistolâ 71. capite 73. scribit ad Bulgaros: *Vos sive Patriarcham sive Archiepiscopum, sive Episcopum vobis ordinari postuletis, à nemine nunc velle congruentius, quam à Pontifice Sedis B. Petri, à quo & Episcopatus & Apostolatus sumpsit initium, hunc ordinari voletis, in quo hic est ordo servandus: ut videlicet à Sedis Apostolicæ Præsule sit nunc vobis Episcopus consecrandus, qui si Christi plebs ipso præstante crescit, Archiepiscopatus privilegia per nos accipiat, & sic Demum Episcopos sibi constituat, qui ei decedenti successorem eligant, & propter itineris longitudinem non jam huc, qui electus est, veniat, sed hunc Episcopi, qui ab obeunte Archiepiscopo consecrati sunt, simul congregati constituant: sanè interim in throno non sedentem, & præter corpus Christi non consecrantem, priusquam pallium à Sede Romanâ percipiat, sicut Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliarum Regionum Archiepiscopos agere comprobantur.* „ Bulgaricum Regnum (subdit Christianus Lupus parte 5.) erat Illyrici pars, Patriarchica Diœcesis Romani Pontificis. Hinc „ ejus cum Episcopis futurum Archiepiscopum Nicolaus asserit spe- „ ctare ad suam consecrationem. Et tamen propter itineris distantiam, „ dat eis istud ipsum privilegium, quod habebant Gallicani, Germa- „ ni, ac aliarum ad Romanum Patriarchatum spectantium Diœcesium „ Metropolitæ ac Episcopi, ut à sese mutuò consecrentur. „ Addo tamen in signum Patriarchatus Romani pallium ab eo suscipere debuisse, antequam potestate Episcopali potuissent uti.

Nicolaus I.

Lupus.

100. Pro Anglia id quoque apertè statuerat Gregorius I. lib. 12. epist. 15. ad Augustinum Anglorum Apostolum, cui præscribit formam instituendi duos in Eboracensi & Londoniensi civitatibus Metropolitas, qui singuli duodecim haberent suffraganeos Episcopos; *Quatenus* (inquit) *Londoniensis Episcopus civitatis semper in posterum à Synodo propriâ debeat consecrari, atque honoris pallium ab hac sanctâ & Apostolicâ, cui authore Deo deservio, Sede percipiat.* Et privilegium, quoque Gregorij innovans Honorius I. epistolâ ad Honorium Cantuariensum & Paulinum Episcopum Eboracensem, addit rationem: *Quia ut hæc vobis concederemus longa terrarum marisque intervalla, quæ inter nos & vos obsistunt, adhæc nos condescendere coegerunt, ut nulla possit Ecclesiarum vestrarum Iactura per cuiuslibet occasionis obtentum quoquomodo provenire, sed potius commissi vobis populi devotionem possitis plenius propagare.* Has litteras suæ Anglorum historiæ inseruit venerabilis Beda, & commentatur libro 2. cap. 10.: *Ne sit necesse ad Romanam usque civitatem per tam prolixa terrarum & maris spatia pro ordinando semper Archiepiscopo fatigari.*

Gregor. I.

Honorius I.

Beda.

101. Pro Galliâ licet habeamus testimonium Leonis primi epistolâ 89.

lâ 89. cap. 6. ad Viennensis Provinciæ Episcopos, testantis contrà Hilarij calumnias: *Non nobis ordinationes vestrarum Provinciarum defendimus.* Hinc tamen concludi nequit, Galliam pro Episcoporum ordinatione non pertinuisse ad Pontificem: enim-verò aliud est usus juris, aliud jus ipsum per se alicui competens: nam usus potest alijs committi, retento jure, ut omnes norunt: hinç licet gratiosè indultum fuisset Galliæ, ut ipsius Episcopi à Metropolitano, & Metropolitani à suis suffraganeis ordinarentur, tamen non sequitur, jus illud non competiisse Romano Pontifici. Scimus, Marcianum Arelatensem Metropolitam ad instantiam D. Cypriani, & aliorum Episcoporum Galliæ à Stephano Papâ deponi jussum, & in locum ipsius alium ordinari præceptum, quod jus ordinationis in Gallijs non obscurè innuit. *Dirigantur* (inquit D. Cyprianus in epist. ad S. Stephanum) *à te litteræ, quibus abstento Marciano, alius in locum eius substituatur.* Et tempore D. Gregorij Magni morem invaluisse, ut Episcopus Arelatensis à Sede Apostolicâ pallium reciperet, ingenuè fatetur D. de Marca lib. 6. cap. 5. §. 3. ac lucet ex varijs D. Gregorij epistolis: quod ipsum anno 742. S. Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus & martyr in Synodo Galliæ à se coactâ, ad omnes Metropolitas extendit, ut patet ex epistolâ S. Bonifacij 105. ad Cudbertum, ubi scribit in Synodali conventu statutum: *Metropolitanis pallia ab illa sede* (nimirum Apostolicâ Romanâ) *quærere.* Et quidquid Zacharias Pontifex anno 744. apud Bonifacium de Francorum hâc in re nutatione conqueratur, tempore tamen Caroli Magni Francorum Regis usu recepta fuit pallij postulatio, ut patet ex capitularis 6. titulo 8. unde Nicolaus 1. epistolâ 71. ad Bulgaros scribit, ut eorum Archiepiscopi pallium à Sede Romanâ percipere debeant: *Sicut Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliarum regionum Archiepiscopi agere comprobantur.* Quam consuetudinem Synodus Generalis 8. canone 17. comprobavit: in quo, ut observat de Marca libro 6. cap. 7. §. 9. statutum est: „ necesse esse, ad hoc ut Metropolitanus esse possit in pos„sessione integrâ juris Metropolitici, ut aut à Patriarchâ sit conse„cratus, aut pallium ab eo acceperit. „ Verba canonis sunt: *priscam consuetudinem decernit in omnibus conservari, ita ut earum præsules universorum Metropolitanorum, qui ab ipsis promoventur, & sive per manus impositionem, sive per pallij dationem Episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt &c.*

Leo I. | Cyprianus | Bonifatius Mogunt. | Nicol. I. | De Marca. | Can. 17. Synod. 8.

102. De Africæ consuetudine pro Episcoporum ordinatione ab initio servatâ non eadem est opinio Doctorum, vult enim Lucas

Holstenius in annotationibus, pag. 265. sine consensu Vicarij Apostolici Episcopos in Africâ ordinari non potuisse, uti diximus in Illyrico observatum: & Christianus Lupus parte 1. ad canonem 6. Nicenum, producto hoc Syricij Papæ pro Africâ decreto: *Extra conscientiam Sedis Apostolicæ, hoc est Primatus, nullus audeat ordinare.* Pergit de Carthaginensis Primatus ambitu, qui dum suum consensum pro ordinatione Africanorum Præsulum sufficere contendit: „ intercessit Siricius Pontifex dicens; autocephalicum Africæ Primatem nullum esse, nisi Romanum Episcopum, ideoque sine ejus licentiâ non posse istic Episcopos creari. „ Hæc Lupus, de cujus mente quidquid sit, saltem constat, cum Africa Patriarchatui Romano subjecta esset, jus illud ordinandi Metropolitas, & consensum præbendi cæteris Episcoporum ordinationibus, ad ipsum spectasse ut ad Patriarcham: idque non sine exemplo adferri, patet ex S. Optato Milevitano lib. 1. contrà Parmenianum, ubi narrat, Cæcilianum Carthaginensem Metropolitam post judicium Melchiadis Papæ mansisse Brixiæ, nec reversum fuisse Carthaginem pro Episcopatu recuperando, & pergit: *Tunc duo Episcopi ad Africam missi sunt, Eunomius & Olimpius, ut remotis duobus unum * ordinavit. Venerunt Carthaginem, fuerunt per 40. dies, ut pronuntiarent, ubi esset Catholica. Hoc seditiosa pars Donati fieri non est passa.* Ad quæ verba Gallicanæ Ecclesiæ Doctor Gabriel Albaspineus Aurelianensis Episcopus: „ necesse est fateri, hos duos Episcopos Eunomium & Olimpium à summo Pontifice fuisse missos, alioqui potestatem non habuissent alium in Africa ordinandi: sed nota, quemadmodum ordinatio in alijs Provincijs & longe dissitis potest celebrari à summo Pontifice. „

Siricius. Lupus. S. Optatus * Ordinarent. Gabriel Albaspin.

103. Licet ex dictis sufficienter appareat, Romanum Pontificem pro Episcoporum ordinatione jus Patriarchale obtinuisse per Occidentem universum, quædam tamen ex libri quarti Parisiensium Archiepiscopi verba circà mentem Niceni Concilij in canone 6. expressam veniunt observanda: „ posset tentari, (inquit de Marca) ex iis quæ dicta sunt, ordinationem omnium Metropolitanorum Occidentis pertinere ad Romanum Pontificem, cum præsertim Episcoporum Alexandriæ & Antiochiæ authoritatem Nicena Synodus constituat ad exemplum Episcopi urbis Romæ. Equidem id necessariò consequitur ex iis, quæ dicta sunt, sed ita tamen, ut auctoritas illa ordinandorum Metropolitarum coerceatur intrà limites Synodi Patriarchalis ordinariæ Episcopi Romani, id est, de Metropolitanis tantum

De Marca.

„ tum accipiatur, qui Diœcesis urbicariæ finibus continentur. „ Excipit hæc verba Christianus Lupus parte 5. dissertatione de Romani Episcopi consecratione cap. 5. & exclamat: „ Utinam à nemine huc- „ usque sic fuisset erratum, & hic denuò est primus Domini Archiepis- „ copi error. Hos enim plerosque errores jam dudum anteà docuit, & „ propter ipsos ab 8. Synodo notari meruit Hincmarus Metropolita „ Remensis „ & infrà. „ Error est, quod istæ solæ Provinciæ (subur- „ bicariæ) sine Ecclesiasticis Metropolitis civiles Provinciæ fuerint „ proprius & totius Romanæ Ecclesiæ Patriarchatus. O miserandum „ & nominalem sine Metropolitis Patriarcham; omnia, quæ Hincma- „ rus adversum Ansegisi Senonensis Episcopi Apostolicas in Gallia vi- „ ces, & adversum Romanas inferioris præsertim cleri Appellationes „ pro Metropolitarum jure scripsit, eo tendunt, ut quisque Gallica- „ nus Metropolita sit Autocephalus suæ Provinciæ Primas, nulli sub- „ jectus Patriarchæ aut Exarcho. Est Ravennatum Metropolitarum „ antiqua superbia damnatissima apud omnes Ecclesias. „ Hæc & plura Doctor Lovaniensis contrà Parisiensem Archiepiscopum. Lupus.

104. Interim ad Dominum de Marca respondeo, quæ sibi objecit initio de Patriarchatu Romano Occidentis, lucidè evertere finalem expositionem de potestate Patriarchali intrà terminos Regionum suburbicariarum. Enimverò negari non potest illud Lupi parte 5. ad can. 17. quinti Romani sub Gregorio 7. Concilij: „ Omnes & Metro- „ politarum & Provincialium Episcoporum consecrationes ex Aposto- „ lico canone spectant ad Patriarcham. „ Hinc enim anno 352. primum Generale Concilium adjudicat canone 6. potestatem ordinandi Episcopos per Libyam, Ægyptum, & Pentapolim Patriarchæ Alexandrino, prout latius exposuit in epistolâ Synodicâ ad Episcopos per easdem partes constitutos. Cum verò Episcopus Romanus, approbante & plurimis confirmante de Marca, sit totius Occidentis Patriarcha, quis negare poterit, auctoritatem ordinandorum Metropolitanorum Occidentalium ipsi ex instituto Apostolico competere? Id & vidimus ex Innocentio I. manifestum esse. „ *In omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerunt sacerdotes.* Cumque canon 6. Concilij Niceni de toto jure Patriarchico agat, & æqualitatem porat inter ipsum Romanum & Alexandrinum, quis negare poterit, jus Patriarchatus Romani in totum Occidentem confirmasse, cui æquiparandum firmat jus Alexandrini in totam suam Diœcesim? Lupus. Innoc. I.

105. Scimus Romanum Episcopum non semper jure illo per Occidentis provincias usum, sed & dicimus, hoc non requiri ad rectam intelligentiam canonis Niceni, ut communiter errarunt hucusque periti. Enimverò non agit canon de usu potestatis Patriarchicæ, sed jure vel potestate ipsâ Patriarchicâ: *Antiqua* (inquit) *consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est.* Verba sonant potestatem, non potestatis exercitium, ut sensus genuinus sit: vi Patriarchatus habet Romanus Episcopus potestatem in totam Patriarchalem Occidentis Diœcesim, & cum Alexandrinus Patriarchatus à S. Marco Petri Discipulo ad normam Romani sit institutus, Alexandrinus quoque Episcopus in totam suam Diœcesim, Ægyptum, Libyam, & Pentapolim habere debet potestatem: qui sensus planus est, nec ulli difficultati obnoxius. Aliud profectò, si intelligas de juris exercitio. Quia cum Romanus Episcopus aliqua gratiosè indulserat, non eodem plane modo jus Patriarchicum executioni per suam Diœcesim mandabat, undè & parilitas necessariò deficit, quam Nicenum inter Alexandrinum & Romanum inducit. Deindè etiamsi poneremus hic agi de jure ordinationum à Meletio invaso; quod contrà Meletianos canon Nicenus non rectè fuisset positus, facilè colligitur ex eo, quod Meletiani excipere potuissent, eo quod Romanus Episcopus intrà suburbicarias jura ordinationum exercebat, non sequi, Alexandrinum in totam suam Diœcesim jura ordinationum exercere debuisse, sed ad summum intrà terminos locales suburbicarijs similes: & sic Meletio vel sequacibus occasio data fuisset excipiendi contrà Patriarcham Alexandrinum dicendo, quod jus ordinationum latius extendere non deberet, quam Romanus Episcopus consuevit. Quod initium rebellionis, cum certum sit, pœnitus extinxisse canonem Nicenum, certum quoque est, non de parilitate exercitij intelligendum, sed de parilitate juris Patriarchici, quod ex Apostolico instituto in totam Diœcesim utrique competebat.

Can. 6. Nicen.

106. Quod si quæras, qualiter Concilium Nicenum ex hoc jure Patriarchæ Romani in totum Occidentem inferre potuerit usum juris Patriarchici Alexandrini pro totâ ipsius Diœcesi, in promptu solutio est: Alexandrino nimirum usum omnem juris Patriarchici competere, quem gratiosè alijs non indulsit, cum autem Diœcesis suæ Metropolitis non indulserat suffraganeos ordinare Episcopos absque suo judicio, rectè infertur ex potestate per canonem 6. Alexandrino in

in totam Diœcesim adjudicatâ, ipsi potestatem salvam mansisse juxtà consuetudinem antiquam pro Episcoporum ordinationibus, ut nemo ordinare posset à populo electum, nisi *condecernente simul & designante maxima Alexandriæ civitatis Episcopo*; ut habet epistola Synodica ipsius Niceni Concilij. Et quamvis admittatur, Romanum Episcopum hoc jure non semper per Occidentis Provincias usum, ad summum sequetur gratiosè indulsisse Metropolitis, ut suffraganeos suos ordinarent, & à suffraganeis ordinarentur, prout plura Romanorum Pontificum produnt superius testimonia, tenentibus tamen ipsis Romanis Episcopis jus Patriarchale, ut patet ex tot eorum per Occidentem universum decretis, quibus nunc Metropolitanorum ordinationes, nunc Episcoporum ad suum vel Vicariorum suorum statuerunt pertinere judicium, quod tandem nostris sæculis eo usque invaluit, ut absque Romani Episcopi judicio & confirmatione nulla Episcopi ordinatio, multò minus Archiepiscopi, valeat perfici. Quod in tantum abest, alienum esse à primitivæ instituto Ecclesiæ, ut potius ei longè sit conformius, Episcopo Romano vel ex sola dignitate Patriarchali jus habente ordinandi per Occidentem Archiepiscopos, & judicio suo confirmandi Episcopos.

Synodica Niceni.

ARTICULUS II.

De Iure Patriarchico Romano in convocando totius Occidentis Episcopos.

107. *Ex priscâ consuetudine Romanus Pontifex nihil decernebat sine concilio cleri, ut luces ex pluribus Antiquitatis monumentis.*

108. *Sedatâ Ethnicorum Tyrannide Italicas Synodos authoritate Pontificiâ fuisse frequenter indictas, quæ vocari potuerunt consistorium & Sedes Apostolica.*

109. *In Synodis Italicis Pontifex Romanus supremum jus exercebat suo solius nomine acta edens & cuncta constituens, quæ eo usque extendit Lupus, ut in Patriarchali totius Occidentis Synodo soli Romano Pontifici suffragium decisivum concedat.*

110. *Synodum Occidentalem spectasse ad Romanum Episcopum colligitur primò ex Eusebianorum responso ad Concilium Sardicense.*

111. *Secundò ex actis circa Concilium Ariminense, in quo competiisse Romano* Ponti-

Pontifici eamdem potestatem, quæ Alexandrino competebat in suæ Diœcesis Synodo, ut constat ex pluribus.

112. *Tertiò ex responsione D. Ambrosij in Concilio Aquileiensi.*

113. *Quartò id clarè probatur ex Synodo Romanâ sub Damaso; cui non solum Itali, sed & Galli adfuerunt Episcopi.*

114. *Quintò ex Synodis sub Symmacho, ad quas Gallos spectasse luce clarius edicit S. Avitus Viennensis Archiepiscopus.*

115. *Sextò ex Synodo Romanâ sub Agathone, cui interfuerunt Galliæ & Britanniæ Episcoporum legati, & ad quam spectasse universum Occidentem ex illustri Agathonis Papæ testimonio probat Lupus, & firmat Perronius, ac de Galliâ consentit de Marca.*

116. *Septimò ex Synodo Romanâ sub Stephano 4. cum 12. Galliæ Episcopis celebratâ.*

117. *Octavo ex Nicolao I. & Hincmaro Remensi, cujus testimonium urget Cardinalis Perronius.*

118. *Nonò ex Synodi Generalis octavi canone 17. expressè hac de re edito.*

119. *Laudato Canone satisfieri adversantium tergiversationibus paucis attingitur, neque unquam Gallicanam Ecclesiam Pontifici abjudicasse jus evocandi Episcopos.*

120. *Confirmatur id fusius ex Leone 9. D. Bernardo, & Stephano Tornacensi, qui non obtemperare Pontificis evocationi pro Idololatriæ ac ariolandi scelere habuit.*

121. *Licet Patriarchalem authoritatem semper in jure evocandi ad Concilia Romana & Italica agnoverit Gallia, Patriarchalem tamen Synodum in Corpore nunquam ferè dilexerunt accedere ejus Episcopi, hinc forma regiminis ad primævum Ecclesiæ statum reducta, ut sicut olim Pontifices cum cleri Concilio, ita nunc cum Cardinalium Collegio res Ecclesiæ disponant.*

107. ROmanos Episcopos ab initio nascentis Ecclesiæ nihil statuisse sine Concilio, omnes periti norunt, & vel leviter in ecclesiasticâ historiâ versati sciunt. Quia collatis in unum multorum sententijs facilius, quod ex usu est, perspicitur, hinc, inquit eruditus Lucas Holstenius in notationibus ad Romanam historiam bipartitam fol. 226. „ Romani Pontifices, etiamsi per se soli summâ rerum custodiendarum auctoritate pollerent, ad deliberationes tamen, & consilia Ecclesiastica Presbyteros urbis, & Episcopos, qui fortè aderant, aut è propinquo ad id ipsum accersebantur, adhibere ab antiquo consuevere. „ Lucet ex D. Cornelij epistolâ 47. olim malè

Lucas Holstenius.

Cypria-

Cypriano attributâ ubi agebatur de Urbano, Sidonio, & Maximo ex Schismate ad Ecclesiæ sinum revertentibus, & ait Cornelius Papa. *Omni actu ad me perlato, placuit contrahi Presbyterium. Adfuerunt etiam Episcopi quinque, qui & hodie præsentes fuerunt, ut firmato consilio, quid conservari deberet, consensu omnium firmaretur.* Idem testatur observatum Siricius Papa epistolâ 11.: *Facto igitur Presbyterio, constitit doctrinæ nostræ, id est Christianæ legi, esse contraria, unde omnium nostrum tam Presbyterorum & Diaconorum, quam totius etiam cleri una lata fuit sententia.* Et Bonifacij II. Synodus Romana per Lucam Holstenium publicata, cui in causâ Stephani Larisseæ per Thessaliam Metropolitæ adfuerunt Episcopi 5. Presbyteri 40. Diaconi 4. ex clero Romano. Addit Lucas Holstenius in notis, ex epistolâ Vitaliani Papæ intelligi, Episcopis ad urbem peregrè adventantibus Romanos Pontifices dare audientiam consuetos in Synodo Episcoporum eam ob causam coactâ: „ Cujus, inquit, rei exemplum extat in epistolâ Innocentij Papæ editâ per Sirmondũ tomo 1. „ Conciliorum Galliæ, paginâ 38. ubi Episcopus Hilarius & Elpidius Presbyter ad Sedem Apostolicam commeantes, ut de dissensione & Schismate Ecclesiarum Hispaniæ referrent, in consessu Presbyterij auditi memorantur. „ Plura ejus rei testimonia suppeditat Antiquitas, ut & Sede vacante [illegible]m consuetudinem à Clero Romano servatam doceat Cyprianus epistolâ 31. indicans de causâ lapsorum: *Ut temperamenti moderamen quæreretur, clerum Urbanum cum quibusdam Episcopis vicinis urbi & appropinquantibus, & quos ex alijs provincijs longè positis persecutionis ardor eiecerat, tractasse.* Tractasse dicitur, sed statuisse non memoratur, cum Cypriano Romam scribenti pro decisione quęstionis, an lapsis pœnitentibus pax esset impertienda? Presbyterium Romanum reposuerit: *Post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani nondum est Episcopus propter rerum & temporum difficultates constitutus, qui omnia illa moderetur, & eorum, qui lapsi sunt, possit cum auctoritate & cum consilio habere rationem.* Clero seorsim sumpto non competebat discernendi auctoritas, quia fatente Clero Romano, auctoritas illa competebat Apostolicæ Sedis Antistiti, qui cum consilio cleri auctoritatem exercebat: & hic clerus, ut observat Justellus in notis ad codicem canonum Ecclesiæ universæ à S. Ignatio epistolâ ad Trallianos vocatur: *cœtus sacer consiliarij, & consessores Episcopi.* Et à Pio primo ad Justum Viennensem Episcopum: *Senatus pauper Christi apud Romam constitutus*; & à D. Hieronymo epistolâ ad Rusticum: *Ecclesia habet Senatum cœtum presbyterorum.* Subindè appellatus fuit hic Senatus Com-presbyterium, & Consistorium,

Cornelius Papa.

Siricius.

Holstenius

D. Cyprian.

Clerus Romanus.

D. Ignat.

Pius I.

D. Hieron.

storium, quod ultimum nomen obtinuit ex loco, ubi coadunari consuevit, ut patet ex Synodo Romana sub Bonifacio 2. quæ dicitur celebrata in Consistorio S. Andreæ, quod erat ad S. Petrum in Vaticano.

108. Ultrà hoc presbyterium, plurimorum Episcoporum Concilia post sedatam ethnicorum tyrannidem celebrata fuerunt ex Italiæ Provincijs aut Regionibus. Ad finem sæculi tertij ampliorem Romæ Synodum coactam fuisse in causâ Pauli Samosateni Antiochiæ Episcopi, colligi potest ex mandato Aureliani Imperatoris, qui, dum Paulus bis à Concilio Antiocheno damnatus Sede Episcopali cedere recusaret, interpellatus hâc de re, inquit Eusebius lib.7. cap. 24. *Præcepit, ut domus Ecclesiæ illis tribueretur, quibus Christiani Italiæ, & urbis Romæ Episcopi per litteras tribuendam præscriberent.* Potestate Imperatoris obtentâ pro coadunando Italiæ Concilio, facilè conjecturare licet, frequentissimam Italicorum Episcoporum celebratam Synodum, quot tamen adfuerint, cum actis ipsis desideratur. Certius constat de Romano Concilio sub Julio I. in causâ Athanasij, de quo idem Athanasius initio Apologiæ secundæ: *Fuerunt autem in eo consessu plusquam quinquaginta Episcopi.* Episcopos hos omnes fuisse Italicos, criminando effutiunt Ariani apud Hilarium in fragmentis libro 1. Athanasius *ad Iulium Romam perrexit* (inquit Eusebianorum factio in Synodicâ suâ epistolâ, quam nomine Sardicensis Concilij edidit) *sed & ad Italiæ quosdam ipsius partis Episcopos: quos seducens per epistolarum falsitatem, ab eisdem perfacilè in communionem est receptus.* Et ipse Athanasius in epistolâ ad solitarios enumerans regiones, quarum Episcopis communicabat: *à magnâ Româ, Italiâque universâ, ex Calabriâ, Apuliâ, Campaniâ, Brutijs.* Et Iulius primus in epistolâ ad Orientales apud Athanasium Apologiâ 2. *Nam tametsi solus sim, qui scripsi, non meam tamen solius sententiam, sed omnium Italorum & omnium in his Regionibus Episcoporum scripsi. Certè ad constitutum tempus convenere Episcopi, & eius sententiæ fuere, quam vobis iterum significo.* Italorum omnium meminit Iulius, proculdubiò ex iis Provincijs congregatorum, quas enumerat Athanasius, & similes Synodos Italicas fuisse per Pontifices Romæ frequentatas, primò colligitur ex Placidiâ Augustâ epistolâ ad Theodosium Imperatorem, parte 1. Concilij Chalcedonensis, cap. 26. ubi Imperatrix testatur, sese, cum ad altare B. Petri accessisset, exoratum fuisse à Leone 1. ut à Thedosio convocandum Generale Concilium impetraret: *erat autem Leo* (inquit Galla Placidia) *Episcoporum multitudine circumseptus, quos ex innumerabilibus civitatibus*

Eusebius. D. Athan. Ariani. D. Athan. Iulius primus. Galla Plac.

tatibus Italiæ pro Principatu proprij loci seu dignitate collegit. Deindè ex ipso Leone 1. epistolâ 4. ad universos Episcopos per Siciliam constitutos, cap.7. *Quare illud primitus pro custodiâ concordissimæ unitatis exigimus, ut quia saluberrimè à sanctis Patribus constitutum est, binos in annis singulis Episcoporum debere esse conventus, terni semper ex vobis ad diem tertium calendarum octobrium Romam fraterno Concilio sociandi occurrant, & indissimulanter à vobis hæc consuetudo observetur.* Singulis annis Romæ Concilium haberi solitum testatur Leo primus, ad quod convenire voluit tres Siciliæ Episcopos. Deducit verò hanc consuetudinem ex statuto Niceni canonis 5. qui voluit: *Annis singulis per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari,* Unum ante quadragesimam Paschæ, aliud circà tempus autumni; quod ipsissimum tempus est à Leone primo de mense octobris expressum. Cum itaque Leo primus ex eo colligat consuetudinem Romani Concilij bis in anno celebrandi, ad quorum ultimum mensis octobris vocat Episcopos Siculos, constat tum de frequentiâ Conciliorum Italiæ sub Romano Episcopo, tum de ipsorum Notione, quæ tantum Provincialia fuisse apparent, quod 5. canon Nicenus non de Patriarchicis sed Provincialibus dumtaxat statuerit Metropolitanorum Concilijs, ut ipsius canonis contextus clarissimè demonstrat: habebat autem Romanus Episcopus præter Diœceses juris Patriarchici vicinam Romæ particularem Provinciam cujus Metropolitano jure gaudebat, uti præclarè animadvertit Jacobus Sirmondus parte 2. de suburbicarijs, cap.5. qui addit ex veteri Notitiâ provinciarum Ecclesiæ: Provinciam Romanam constitisse ex Episcopis suprà sexaginta, quibus Episcopus Romanus ut Metropolita præerat ordinando, jus dicendo, & vocando ad Concilium, quod, ut rectè animadvertit Christianus Lupus parte 4. ad canonem 18. dictatus Gregorio 7. dici poterat Romani Episcopi Consilium, Consistorium, & Sedes Apostolica, cui convenit Cardinalis Perronius contrà Angliæ Regem cap. 25 *Le Consistoir de Rome* (inquiens) *composè des Evesques voisins de la Ville de Rome, sans les quels le Pape ne jugeoit rien d'importance.*

Leo I.

Can. 6. Nic.

Perronius

109. Extat inter epistolas D. Gregorij Magni lib. 4. Registri epistolâ 44. Concilium Romanum cum 22. Episcopis Italiæ celebratum, cujus acta concepta sunt sub nomine D. Gregorij his verbis: *quâ in re constituo.* Neque hoc novum sed ex more antiquissimo desumptum scribente ad Episcopos Orientales Iulio primo apud D. Athanasium Apologiâ 2. *Nam tametsi solus sim, qui scripsi, non meam tamen solius sententiam,* *sed*

Iulius. I.

sed omnium Italorum & omnium in his Regionibus Episcoporum scripsi. Nempe suo nomine cuncta Concilij acta in causâ D. Athanasij ediderat, quam veterem Romanæ Ecclesiæ disciplinam ingenuè confirmant patres Synodi Romanæ sub Felice 3. circà annum 484. in epistolâ Synodicâ ad Constantinopolitanos: *Quoties intrà Italiam propter Ecclesiasticas causas, præcipuè fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, consuetudo retinetur, ut Successor præsulum Sedis Apostolicæ ex personâ cunctorum totius Italiæ sacerdotum, juxtà sollicitudinem sibi Ecclesiarum omnium competentem, cuncta constituat, qui caput est omnium.*,, Atque adeò addunt (subdit Parisiensium Archiepiscopus de Marca lib. 1. cap. 6. §. 3.) inferiori loco ejusdem epistolæ: *Felix caput nostrum, Papa & Archiepiscopus.* Et ad hunc locum respiciens Christianus Lupus parte 4. ad can. 19. dictatus Gregorij 7. sicut audivimus suprà ex clero Romano ad Cyprianum, Pontifici auctoritatem agendorum competere in presbyterio, sic & Romanum Episcopum rectè docet in Synodo Italicâ confirmationem atque authoritatem omnium agendorum habuisse: ,, etenim (inquit) in hoc Romanus eam ipsam ,, habuit potestatem, quam in sua Alexandrinus Episcopus, sine cujus ,, assensu nec divisim nec collectim sumpti Episcopi adeò nihil potue-,, runt definire, ut nec Chalcedonensi Synodo potuerint subscribere. ,, Et hanc à Meletio læsam dignitatem reparans Nicena Synodus in ,, exemplar dedit Romanum Patriarcham: quia & urbis Romæ pari-,, lis mos est. Et hinc ad Eutychem heresiarcham, de S. Flaviani Con-,, stantinopolitani Episcopi dato in se Synodali damnationis judicio ,, quæritantem & auxilia supplicantem, rescripsit S. Petrus Chrysolo-,, gus Ravennæ Archiepiscopus: *Nos pro studio pacis & fidei, extrà con-,, sensum Romanæ civitatis Episcopi, fidei causas audire non possumus.* Quod nem-,, pè in ejus Synodo consilium dumtaxat haberent Episcopi, non de-,, cisivum suffragium. ,, Unde & rectè solvit difficultatem toties à pluribus motam contrà authoritatem Pontificis: olim appellari consuetum ad Concilium, non verò ad solum pontificem: ,, Omninò (inquit ad can. 18. dictatus) ,, vera est hæc per D. Petrum de Marca tradita ,, regula lib. 7. cap. 7. *Appellationes factas ad Patriarchas, censeri etiam factas ,, ad eorum Synodos, ut constat ex formulâ appellationis Eutychetis:* Quod in-,, tellige non de plenâ Diœcesanâ, sed de solâ ipsorum Provinciali ,, Synodo. Hæc enim est ipsorum Consilium & Consistorium: & in ,, hac etiam Iulius retractavit Athanasij atque collegarum Episcopo-,, rum causam. Sic enim Romani Pontifices semper consueverunt. ,, Verum in istâ Synodo Romanus Episcopus erat omnia, & solus ,, decide-

Synodica Felicis 3.

De Marca.

Lupus

Petrus Chrysol.

Lupus.

De Marca.

„ decidebat. Hinc ad istam Synodum factæ appellationes palam fie-
„ bant ad Sedem Apostolicam. Ea quippe Synodus est ipsa Sedes
„ Apostolica.„ Et ne quis inconsequentiæ arguat doctrinam, docet
ad canonem 21. dictatus, idem illud jus competiisse in totius Diœce-
cesis Patriarchicæ Synodum eo usque, ut in illâ soli Romano Episcopo
suffragium decisivum concedat, & reliquis Episcopis dumtaxat con- Lupus.
sultivum, quód licet non facile admitterem, eamdem tamen omnium
potestatem Alexandrino in totam Diœcesim tradidisse Niceni ca-
nonem 6. pluribus edicit Christianus Lupus, cujus hæc sunt loco
citato verba: „ In cunctis ad Romanum Patriarchatum spectanti-
„ bus Metropolitis ac Provincialibus Synodis viguisse istum parilem
„ morem, docet Romana Melchiadis, non ex solis Italis, sed etiam
„ ex Gallis Episcopis adversum Donatistas collecta, & in solum Pa-
„ pale nomen concepta Synodus, in qua solus Pontifex dicit: *Censeo.*
„ Ita testatur S. Optatus Episcopus Mileviranus. Quod nempè in
„ omnem suam Patriarchalem Synodum, & cunctos ad ipsum spectan-
„ tes Episcopos Papa haberet plenissimam potestatem, ideoque nullus
„ vel intrà, vel extrà ipsam haberet suffragium nisi consultiuum.„
Ita Lupus; cujus Doctrina circà Episcoporum suffragium consulti-
vum licet difficultate non careat, in hoc veritati Consona reperitur,
quod Romanus Episcopus in Patriarchali Occidentis Synodo supre-
mam auctoritatem exerceat, cum totius Ecclesiæ vel aliorum Patriar-
chatuum causæ aguntur, de quibus fusius suis locis, hic contenti con-
cilij Patriarchatus Romani terminos indagare.

110. Julius primus in Concilio Romano retractarat causam Atha-
nasij, unde posteà Generali Concilio Sardim convocato, Eusebiano-
rum factio virus suum evomere cœpit: nam relinquens Occidentis ibi-
dem Episcopos seorsim Concilium peperit, & ex Philippolitano suo
conventiculo sub nomine Sardicensi epistolam Synodicam divulgavit,
in quâ Occidentales Sardicæ relictos his verbis impetit: *Hanc novi-* Concil. Philoppol.
*tatem moliebantur inducere, quam horret vetus consuetudo Ecclesiæ, ut in Concilio
Orientales Episcopi, quod fortè statuissent, ab Episcopis Occidentalibus refricaretur;
similiter quidquid Occidentalium partium Episcopi, ab Orientalibus solveretur.*
Impia Eusebianorum factio moliebatur perditionem Monarchiæ Ec-
clesiasticæ: sciebat tres Patriarchas decreto Apostolico constitutos,
eorumque Romano pro sorte Occidentem obtigisse, hinc volunt Oc-
cidentalium Episcoporum judicium solo Occidentis termino circum-
scriptum, nec in Orientalium partium cadere Sententiam. Errant gra-

viter in Romani Pontificis supremâ per omnem Ecclesiam auctoritate, ut suo loco videndum est, interim lucet ex ipsorum confessione, Occidentis Concilia ad Romanum Patriarchatum spectare, pro tali dumtaxat habentes Sardicense Concilium, quod sese ab eo separassent, & maxima pars ex Occidentalibus Episcopis coadunata mansisset, quorum omnium caput per suos legatos extiterat Iulius, ut & in illum damnationis sententiam ferre ausi sint: *Iulium ut Principem & ducem malorum, qui primus januam communionis sceleratis atque damnatis aperuit, cæterisque aditum fecit ad solvendum jura divini.* In cæteris intelligunt Sardicensis Concilij Præsules, qui Iulij primi sententiam decreto suo duxerant firmandam.

Eusebiani.

111. Ex hoc impio Philippolitani conciliabuli fundamento provenit, quod Ariani Constantio persuaserant in rescripto ad Concilium Ariminense, quod exstat libro fragmentorum apud Hilarium: *Non enim de Orientalibus Episcopis in Concilio vestro patitur ratio aliquid definiri. Proindè super his tantum, quæ ad vos pertinere cognoscit gravitas vestra, tractare debetis.* Et infrà: *adversus Orientales nihil statuere vos oportet, aut si aliquid volueritis contrà eosdem prædictis absentibus definire, id quod fuerit usurpatum, irrito evanescet effectu.* Frendebant utique in dogma Catholicum Arianorum reliquiæ, & in suam partem subdolè traxerant Imperatorem Constantium: ex factionis Philippolitanæ fundamento ipsi persuaserant Occidentalem Synodum nihil posse in Orientis Episcopos, ut hoc modo eorum censuram evaderent, & persuasus Constantius scripsit ad Ariminense Concilium: *Non enim de Orientalibus Episcopis in Concilio vestro patitur ratio aliquid definire.* Utique Patriarcham Romanum Occidentis terminos transgredi non posse statuebat, adeoque nec Concilium Ariminense ex Patriarchatû Romano coadunatum, ut ipsum Concilium fatetur in litteris ad Constantium apud D. Athanasium de Synodis: *Ariminum ex omnibus ad Occidentem positis civitatibus in unum convenimus.* Et consentit Sulpitius Severus libro 2.: *Missis per Illyricum, Italiam, Africam, Hispanias, Galliasque magistris officialibus, acciti atque tracti quadringenti & aliquot amplius Occidentales Episcopi Ariminum convenere.* Unde facilè colligitur, hoc Concilium fuisse plenum Patriarchale Romanum, in quo Romano Episcopo non solum ut Pontifici, sed ut Occidentis quoque Patriarchæ primatus competebat, uti vel exindè patet, quod Ariminensi Concilio Constantij tormentis & minis ad defectionem inducto, Damasus Pontifex cum Romanâ sub ipso Synodo in epistolâ ad Orientales apud Theodoretum lib. 2. cap. 22. scripserit,

Ariani.

Constant. Imperat.

Concil. Arimin.

Sulpitius Severus.

rit, irritum esse Concilij Ariminensis decretum, præsertim cum formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cujus sententia præ cæteris omnibus expectanda erat, neque alijs eidem consentientibus. Vel ut habet epistola illa 93. Episcoporum apud Lucam Holstenium in historiâ Romanâ bipartitâ correctius edita: *Cum constet, neque Romanum Episcopum, cujus ante omnes fuit expetenda sententia, neque Vicentium, ... hujusmodi statutis consensum aliquem commodasse. Ante omnes* (inquit Damasi Romana Synodus), quia omnibus ibidem congregatis præerat ut Patriarcha, sine cujus sententiâ nihil magis licebat Patriarchatus sui Episcopis in causâ communi, quam ab Episcopis Ægyptiacis sine sententiâ Alexandrini, hic enim consuetudinem pariliter militasse, ostendit pro Patriarchatu Alexandrino Arsenij Hypselitarum Episcopi è Meletiano schismate redientis ad Athanasium edita sub ipso professio: *Nos diligentes pacem & unanimitatem cum Ecclesiâ Catholicâ, cui tu per Dei gratiam præfectus es, volentesque Ecclesiastico canoni pro veteri instituto subiici, scribimus tibi Pontifex dilecte, promittimusque in nomine Domini, nos deinceps citrà tuam Metropolitani Episcopi sententiam nullum de Episcopis aut alio dogmate communi & Ecclesiastico decretum edituros, sed cessuros canonibus anteà susceptis.* Exstat in secundâ Apologiâ D. Athanasij: & pro Patriarchatu Romano ad Eutychetem responsio S. Petri Chrysologi Ravennæ Archiepiscopi: *Nos pro studio pacis & fidei, extrà consensum Romanæ civitatis Episcopi, causas fidei audire non possumus.* Iterum pro Patriarchatu Alexandrino Episcopi Ægyptiaci in Concilio Chalcedonensi coadunati, cum urgeretur eorum subscriptio fidei: *Petimus vestram clementiam exspectare præsidis nostri sententiam, quia eum in omnibus sequimur. Quia & sanctissimi Patres, qui in Nicæâ congregati sunt 318. hanc regulam dederunt, ut sequatur omnis Ægyptiaca Regio Archiepiscopum magni nominis civitatis Alexandrinæ, & nihil absque ipso agatur ab aliquo ei subjacente Episcopo.* Si nihil statuebant Episcopi simul congregati in Concilio Universali absque sententiâ Patriarchæ, id ex eo procedebat, quod moris erat Episcopis Ægyptiacis nihil statuere sine sententiâ Patriarchæ licet in Ægypto simul coadunatis: & hoc etiam non licuisse in Concilio Patriarchali Occidentis, testatur de Ariminensi Romana sub Damaso Synodus, irritum declarans Synodi statutum, cum neque Romanus Episcopus consensum præbuerat, *cujus antè omnes fuit expetenda sententia.* Ita Theodoretus versionis Valesij.

Synodica Damasi. Arsenius. S. Petrus Chrysol. Conc. Chalced. Theodor.

112. Erat annus Domini 381. cum Aquileiensis sub D. Ambrosio ex 32. Gallis, Italis, & Africanis Episcopis coadunata Synodus Palladio

ladio Arianæ factionis Episcopo sine Orientalium Episcoporum Concilio se judicare non posse alleganti, responderit: *Ad Orientales Præfectus Italiæ litteras dederat, ut si vellent convenire, in potestate haberent.* Rationem verò absentiæ Orientalium subdit D. Ambrosius: *Quia scierunt consuetudinem hujusmodi, ut in Oriente Orientale esset Concilium, intrà Occidentem Occidentalium, ideò putaverunt non esse veniendum.* Occidentis Concilium ab Orientali separat Ambrosius, & separatim celebrari consuetum edixit, respiciens ad Concilium Ariminense Occidentale & Seleuciense Orientale eodem tempore sub Constantio Imperatore coacta, quem morem illo tempore Orientales retinebant Constantinopoli suum celebrantes Concilium: id tamen graviter tulit Romana sub Damaso Synodus in litteris ad Theodosium Imperatorem, quod Generale Romæ indictum Concilium declinaverant, & Constantinopoli suum Orientale celebrarant. Addit, Maximum Cynicum jam fuisse in Italiâ, ut causam in Synodo ageret suam: *Quod* (inquit Romana Damasi Synodus,) *etiamsi indictum Concilium non fuisset, jure & more majorum, sicut & S. memoriæ Athanasius, & dudum Petrus Alexandrinæ Civitatis Episcopi, & Orientalium plerique fecerunt, ut ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugisse judicium videretur.* Totius Occidentis Ecclesiæ per modum unius meminit Synodica Damasi, ex quo cuique perito statim occurret, Occidentem sub unius dispositione fuisse servatum, cujus autem alterius, quàm Romani Pontificis? ad quem & D. Athanasius & Petrus Alexandrini Patriarchæ confugerant, sic ut in Romano Episcopo tanquam Occidentis Patriarchâ totum Occidentem sibi adstringerent.

Concil. Aquileien.

Ambros.

Synodica Damasi.

113. Ne tamen videamur conjecturis potius quam veritate agere, Parisiensis Archiepiscopus de Marca lib. 1. cap. 7. §. 8. testatur de Galliâ ad Romanum Concilium pertinente: „Immoverò (inquit) & legatos suos ad Concilium Romanum misisse, cum fidei causa adversus hæreticos esset statuenda, docet Synodus Romana sub Damaso apud Theodoretum.„ Locus Theodoreti à de Marca laudatus est libro 2. cap. 22. ubi agitur de epistolâ Synodicâ Damasi pro Ariminensis Concilij defectu: & versionis Valesij verba sunt: *Inter eos verò qui hanc epistolam scripserunt, principem locum obtinet Damasus, qui tunc temporis post Liberium Romanæ Ecclesiæ præsidebat; vir omni genere virtutis ornatus. Scripserunt autem una cum illo eas litteras 90. Episcopi Romæ congregati ex Italiâ & Galliâ.* Litteras hasce correctiores edidit Lucas Holstenius in Romanâ Historiâ bipartitâ, & habens hunc titulum: *Exemplum Synodi habitæ*

De Marca.

Theodor.

habitæ Romæ Episcoporum 93. *ex Rescripto Imperiali : Damasus , Valerianus &c.*

114. Plura Romana Concilia ab anno 502. sub Symmacho Papâ Romæ celebrata, & iis interfuisse quam plurimos Episcopos, acta Synodica in tomis Conciliorum abundè demonstrant : unum inter illa coadunatum ex diversis Provinciis anno 502. juxtà Cardinalem Baronium, cum se animadvertisset à Theodorico Rege convocatum, per Episcopos Æmiliæ & Venetiarum in pleno consessu edixit : *Symmachum, qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare.* Quæ Concilii exprobratio, ut commentatur D. de Marca lib. 6. cap. 28. §. 13. : „ locum habebat quoad Italiam, neque recipienda esset in alijs Regnis, „ quia Concilium Patriarchale convocandum est à Patriarchâ, & à „ nullo alio convocari potest secundum canones, ideoque ad Papam „ Symmachum, non autem ad Regem spectabat evocatio Episcoporum Italiæ, qui per illas tempestates Patriarchalem Synodum Ro„ manam constituebant. „ Synodum Patriarchalem spectare pro Episcoporum convocatione ad Patriarcham, libenter admitto, at Synodum Italicam fuisse Patriarchalem Romanam constanter nego. Inter Synodos Romanas sub Symmacho ordine 5. habuit ducentos decem & octo Episcopos : ita tomi Conciliorum à diversis editi. Neque hos omnes ex solâ Italiâ coadunari potuisse, quis non fatebitur ? subscriptiones hujus Concilii extant apud Binnium & in collectione regiâ tomo 10. & enumerantur ex Hispaniâ, Galliâ, aliisque Regionibus complures Episcopi. Demus tamen, ob enumeratos quosdam Episcopos tunc verisimiliter mortuos, subscriptiones has spectare ad aliud Concilium; neque his Concilijs sub Symmacho alios interfuisse quam Italiæ totius Episcopos, an inde sequetur solius Italiæ Synodum fuisse Patriarchalem Romanam ? præclarè fatetur S. Avitus Viennensis Archiepiscopus, ad Synodum Patriarchalem Romanam ità huc usque spectasse Galliam, ut & ipsius Galliæ Episcopi Synodis Symmachi interfuissent nisi Barbarorum invasio remoram attulisset. Exstat epistola apud Iacobum Sirmondum tom. 1. Conciliorum Galliæ, cum hac epigraphe, & exordio : *Avitus Episcopus Fausto & Symmacho Senatoribus urbis : primum fuerat talis status rerum desiderandus, ut ipsi per nos urbem Orbi venerabilem, pro dependendis divinis humanisque expeteremus officijs : sed quia istud jam dudum per rationem fieri posse cessavit, velimus, quod fatendum est, vel eo securitatis accedere, ut quæ in causâ communi supplicari oportet, amplitudo vestra congregatorum Galliæ sacerdotum relatione cognosceret.* Vivebat

Concil. Rom.

De Marca.

S. Avitus.

bat S. Avitus in Gallia Viennensi Archiepiscopus, dum laudatæ Synodi sub Symmacho Papâ fuerunt celebratæ, & clarè edicit, quod sæpius observavit Doctor Lovaniensis Christianus Lupus signanter parte 4. ad Canonem 20. dictatus Gregorij 7. „ Quod Romanorum „ evocationum prima apud Gallos remora provenerit à Romani Im„ perii laceratoribus Barbaris, idque disertè testari, atque ut mise„ randam servitutem lamentari S. Avitum Archiepiscopum Viennen„ sem. „ Enimverò rectè consideranti magis favere non potuerunt citata sancti Aviti verba. Desiderat primæuum securitatis statum, quo Galliæ Episcopi urbem Romam Orbi venerabilem, pro dependendis aut tractandis divinis humanisque officiis expetebant: ubi manifestè testatur, olim Galliæ Episcopos ad Synodum Romanam pergere consuetos: addit & suum & totius Galliæ desiderium, quo ipsis Symmachi Papæ Romanis Concilijs interfuissent: & exindè apparet, Galliæ Antistites non solum pro causâ fidei, sed & Disciplinâ Ecclesiæ ad Romanum Patriarchale Concilium olim accedere consuevisse, multò magis spectasse.

Lupus.

115. Annus erat 680. quando sub Agathone Papâ litteræ per totum Occidentem missæ sunt, ut ad Romanum Concilium properarent Episcopi, vel qui impedirentur ætate, morbo, itinerisve molestijs, per legationem suo nomine deputatam accederent professuri, quid pro fide Catholicâ adversus Monothelitas decernendum sentirent. Comparuere ad litteras Agathonis Papæ centum viginti quinque ex omni Occidente Episcopi, & inter alios Synodicis litteris subscripti habentur *VVilfridus Episcopus Eboracensis insulæ Britanniæ, & legatus Synodi per Britannias constitutæ: Adeodatus Episcopus Ecclesiæ Leucorum, legatus Synodi per Galliarum Provincias.* Felix Arelatensis Episcopus, & Taurinus Telonensis pariter Synodorum per Gallias legati: unde manifestum est, tam Galliam quam Britanniam spectasse ad Synodum Patriarchalem Romanam: quinimmò totum Occidentem, facilè colligitur ex dogmaticâ Agathonis epistolâ, quam legatis tradidit pro sextâ Synodo Constantinopolim proficiscentibus cum hocce titulo: *Agatho Episcopus servorum Dei, cum universis Synodis subjacentibus Concilio Apostolicæ Sedis.* Et inter rationes tam tardi legatorum adventus: primum quidem *quod numerosa nostrorum Episcoporum multitudo usque ad Oceani Regiones extenditur, cujus itineris longinquitas in multi temporis cursum protelatur. Sperabamus deindè de Britannia Theodorum consamulum atque Coepiscopum nostrum, magnæ insulæ Britanniæ Archiepiscopum & Philosophum, cum alijs qui ibidem demorantur,* exindè

Syn. Rom.

Synodica Agathonis

exinde ad nostram humilitatem coniungere, atque diversos huius Concilij Episcopos in diversis Regionibus constitutos, ut à generalitate totius Concilij nostra servilis suggestio fieret, ne si tantum pars, quod agebat, recognosceret, partem lateret, & maximè quia in medio gentium, tam Longobardorum quam Sclavorum, nec non Francorum, Gallorum, atque Britannorum, plurimi consamulorum nostrorum esse noscuntur. Excipit Christianus Lupus parte 5. dissertatione de Romanâ Episcoporum consecratione, & pergit de Agathone: „ palam profitetur, Gallos, Germanos, Francos, Britannos, Illyricianos pertinere ad Patriarchale Concilium Romanæ Ecclesiæ. „ Nec de Galliâ id negare potuit Parisiensium Archiepiscopus de Marca, qui libro 1. capite 7. §.8. palam fatetur: „ Et Occidentalium synodus „ sub Agathone, cui tres legati Galliarum interfuere. Quare, ut antea dicebam, apud Gallos Ecclesiæ Romanæ reverentia eo semper „ nomine floruit, quod esset communionis Ecclesiasticæ caput per „ universam Ecclesiam, & speciali quodam jure per omnes Occidentis Provincias. „ Speciali illo jure intelligit Patriarchale (quod antè fusius probaverat in totum Occidentem competere Romano Episcopo) idque adeò certum putavit Eminentissimus Gallicanæ Ecclesiæ alumnus Cardinalis Perronius, ut cap. 42. contrà Angliæ Regem proclamet: *Les Conciles de l'Eglise Occidentale tenus à Rome, par le Pape Damase au temps de l'heresie des Macedoniens: par le Pape Celestin contre l'heresie de Nestoriens; par le Pape Leon contre l'heresie des Eutychiens; par le Pape Agathon contre l'heresie des Monothelites, forçent les plus obstinez de confesser, que le Pape, si non comme chef de l'Eglise universelle, pour le moin comme Patriarche d'Occident convoquoit les Conciles Patriarchaux de l'Eglise Occidentale.* Quid illustrius? quid expressius?

Lupus.

De Marca.

Perronius

116. Anno 769. Romæ Synodum parabat Stephanus Papa quartus, & ad illam evocasse Galliæ Episcopos tradit Anastasius Bibliothecarius apud Iacobum Sirmondum tomo 2. Conciliorum Galliæ his verbis: *In exordio ordinationis suæ, quando idem sanctissimus Præsul Pontificatus apicem assumpsit, direxit in Franciæ partes ad excellentes viros Pippinum, Carolum, & Carolomannum Reges Francorum & Patricios Romanorum Sergium secundicerium, & nomenclatorem in illo tempore existentem, deprecans atque adhortans eorum excellentiam per suas Apostolicas litteras, ut aliquantos Episcopos gnaros & in omnibus divinis Scripturis atque sanctorum Canonum institutionibus eruditos ac peritissimos dirigeret in hanc Romanam urbem ad Concilium.* Addit Anastasius, properante Sergio ad Gallias invenisse defunctum Pippinum Regem, & à duobus filijs Carolo & Carolomanno impetrasse,

Anastasius Bibliothe.

quod petijt: *Pro quibus missus est, ab eorum excellentia impetravit: dirigentes ipsi Christianissimi Reges 12. Episcopos ex eisdem Francorum Regionibus.* Adnotat Sirmondus ad hoc Concilium missos ex Franciâ Episcopos, citans ex Panuini schedis Wilicarium Senonensem, Lullum Moguntinum, Gavienum Turonensem, Adonem Lugdunensem, & alios 8. præcipuos Galliæ Episcopos, cum quibus Stephanum Papam celebrasse Romanum Concilium confirmat Adrianus primus in litteris ad Carolum Magnum: *In alio* (inquit) *Concilio Prædecessoris nostri Stephani Papæ, una cum sacerdotibus partium Franciæ & Italiæ acto.*

Adrian. I.

117. Sæculo 9. floruit Nicolaus primus, qui epistolâ 70. ad Hincmarum & alios Galliæ Episcopos variè tractat gravitatem Photiani schismatis, & pergit: *Pro his & similibus causis canonicè discutiendis, & ritè definiendis, tam vestram quam aliorum fratrum & Coepiscoporum nostrorum reverendam ad nos convocare vellemus præsentiam, nisi nos diversæ mundi calamitates & pressuræ id gerere vetuissent*; & infrà: *Alioqui vestram ad nos fraternitatem evocandi, & pariter de huiusmodi quæstionibus tractandi nobis erit omninò necessitas, ut videlicet iuxtà pristinam consuetudinem nobiscum in idipsum apud S. Petrum convenientes communes Ecclesiæ contumelias reparemus.* Ex quibus verbis lucet, verissimam esse glossam Christiani Lupi: Nicolaus I. *Constanter asserit, Gallicanos Episcopos spectare ad suam Patriarchalem Synodum, & ipsorum in eâ præsentiam esse antiquam consuetudinem.* Neque illud negarunt Gallicani Antistites, sed varijs excusationibus obtentis iter Romanum evitare conati sunt. Dicebant, quod Episcopos Romam ad Synodum properandi necessitas non postulet: addebant, Metropolitanos bis in anno facere Synodos, ideoque ad Patriarchale non debere concurrere caput: demum à Principibus impediri, ne ad Synodos illas accedant. Graviter hæc omnia tulit Nicolaus primus, & litteris ad Carolum calvum altè conquestus tam insigniter Sedis suæ Patriarchicæ privilegia contrà omnes turbinum impetitiones munivit & defendit, ut Hincmarus Remensis Archiepiscopus, quem tota Gallia ut accerrimum suæ libertatis vindicem intuetur & veneratur, ad Nicolaum primum datis litteris apud Flodoardum in Historiâ Ecclesiæ Remensis lib. 3. cap. 13. extantibus, scripserit. *Dignum & iustum est, ut quemcumque Episcopum Romanus Pontifex ad se Romam venire mandaverit, si infirmitas, vel gravior quæcumque necessitas, vel impossibilitas, sicut sacri præfigunt canones, eum non detinuerit, ad illum venire studeat: multò magis etiam is, quem pro querelâ ad se quocumque modo clamantem præsentia sua iudicat exhibendum. Et quicumque viderit vel audierit, quod Rex & Episcopi Apostolicæ*

Nicol. I.

Lupus.

Hincmar. Remensis

licæ Sedis summum Pontificem promptè obaudiunt & honorant, promptius & humilius eis subjecti sui obedient. Quæ Hincmari Metropolitæ Remensis ingenua de auctoritate Pontificis confessio, adeò perspicua visa est Eminentissimo Galliæ Cardinali Perronio, ut contrà Angliæ Regem capite 52. prætendat, quidquid veteres Galli sæpius oppugnarint appellationes personales & minoris momenti, non tamen debellasse Episcoporum evocationes: *Et nos anciens François ont souvent debatu les appellations de France à Rome aux causes mineures & personelles, sans pretendre pour cela debatre ny les evocations, ny la superiorité.* Addit testimonium Hincmari, quo impugnat minorum rerum appellationes, & pergit: *Neantmoins pour monstrer, qu'il ne pretendoit de toucher, ny à la superiorité, ny aux evocations, adjouta ibid: [nous sçavons tous tant jeunes que vieux, que nos Eglises sont sujets à l'Eglise Romaine : & un peu apres : il est digne & iuste*, &c. ut suprà.

Perronius.

Hincmar. Remensis.

118. Nicolai primi vestigia insecutus Adrianus secundus jus suum Patriarchale ab omni in posterum tergiversatione Episcoporum Occidentalium vindicare conatus est, & missis legatis ad Synodum Constantinopolitanam Generalem 8., canonem 17. ab eâ pro jure Patriarchico obtinuit, & cunctas adversantium rationes egregiè in eo solutas: *Consueverunt Metropolitani bis in anno Synodos facere,* (inquit canon 17.) *ideoque sicut dicunt ad Patriarchale pœnitus non posse concurrere caput. Sed sancta hæc & universalis Synodus, nec Concilia, quæ à Metropolitanis fiunt, interdicens, multò magis illa novit rationabiliora esse ac utiliora Metropolitanorum Conciliis, quæ à Patriarchali Sede congregantur; & idcircò hæc fieri exigit: à Metropolitâ quippe unius quidem Provinciæ dispositio efficitur, à Patriarchâ verò sæpè totius causa Diœceseos dispensatur. Ac per hoc communis utilitas providetur, propter quod & speciale lucrum propter generale bonum postponi convenit, cum à maioribus super hæc facta fuerit advocatio. Quamvis apud quosdam Metropolitanorum antiqua consuetudo, & canonica traditio per contemptum ipsorum postposita videantur, non currentibus eis ad communem profectum, quos leges Ecclesiæ severè condemnantes, omni excusatione remotâ, subiacere vocationibus proprii Patriarchæ, sive cum communiter, sive cum sigillatim facta fuerint, exigunt.* Hæc ex versione Anastasii Bibliothecarii, qui ipsi Concilio Generali 8. interfuit.

Canon. 17 Synod. 8.

119. Ex his jam lucet, primæ per Gallos obtentæ excusationi plenè satisfactum, prout quoque fatetur D. de Marca lib. 6. cap. 15. §. 2. ad aliam verò excusationem de Regis consensu necessario, cujus meminit Hincmarus Metropolita Remensis in litteris ad Adrianum se-

Hincmar. Remensis. cundum Pontificem: *Vestra sciat authoritas, quia nec Hincmarum (*Laudunensem Episcopum à dicto Pontifice evocatum) *nec etiam quemlibet Episcoporum Diœceseos Remorum, minimè autem aliarum Provinciarum Episcopos, nisi Dominus Rex illis præceperit, Romam vel in aliquam partem meâ commendatione mittendi habeo potestatem. Nec ipse ego ultrà fines sui Regni absque* Canon 17. Synodi 2. *illius licentiâ egredi valeo.* Respondet idem canon: *qui à mundi Principibus se detineri sine ratione causantur, placuit talem excusationem omninò esse invalidam.* Neque Galliæ Antistes Hincmarus hoc negabit, qui potestatem evocandi Romano Pontifici suprà tam manifestè attribuit, quod ipsum impetitus à Lupo Franciscus Bosquetus Episcopus Montis-pessulani in suis ad Innocentij tertij litteras notis ante omnia docet Francisc. Bosquetus. lib. 2. epist. 8. „ Evocandi potestas legibus & canonibus est Patriarchis „ ac Metropolitis relicta. Idem nullatenus diffitebitur D. de Marca, nec diffiteri potuit, cum hæc fuerit perpetua etiam ipsius Ecclesiæ Gallicanæ sententia.

Chronicon S. Benigni Devion. 120. S. Benigni Devionensis chronicon ad annum 1046. *Leone Papâ ordinato (*inquit*) evocatus est ab ipso Romæ ad Concilium Domnus Lugdunensis Archiepiscopus Halinardus, simulque omnes Episcopi Galliæ ad pertractandum inibi de statu & correctione sanctæ Ecclesiæ. In ipso anno ipse Dominus Papa perrexit in Franciam, & Remis habuit Concilium Episcoporum.* Erat hic Leo IX. ex Tullensi in Galliâ Episcopo creatus Pontifex, adeoque ignorare non potuit jura & sententiam Gallicanæ Ecclesiæ, cujus Episcopos cum ad suum Patriarchale Concilium vocat, ad ipsum quoque spectasse putat. An legitimas rationes non veniendi allegarint, uti S. Fulco proximus post Hincmarum Remensem Archiepiscopus sese habere prætendit in epistolis ad Stephanum Papam apud Flodoardum lib. 4. Historiæ Remensis, aut ipse potius Leo Pontifex consilium mutarit, & in Gallias spontè Concilium celebraturus (quod D. de Marca lib. 6. cap. 28. §. 4. ex pluribus antiquitatum monumentis Romano Episcopo in Galliâ licere ostendit) perrexerit, ignoro & latet. Habemus interim testimonium longè præstantissimum D. Bernardi Docto- D. Bernar. ris Melliflui epistolâ 131. ad Ecclesiam Mediolanensem: *Potest Romana Ecclesia à finibus terræ sublimes quascumque personas Ecclesiasticas evocare & cogere ad suam præsentiam, non semel aut bis, sed quoties expedire videbit.* Addo unum Stephani Tornacensis Episcopi testimonium: ab ipso nimirum scriptam Philippi Augusti Francorum Regis nomine epistolam 221. ad Alexandrum tertium Pontificem pro Guilielmo Remensi Archiepiscopo avunculo suo ad Romanam Patriarchalem Synodum evocato:

Vocastis

Vocastis eum Pater, & ut præsentiam suam vobis exhiberet, sacris vestris apicibus invitastis. Paratus erat parere, & apparere vobis, peccato ariolandi simulachrum inobedientiæ comparans, & voluntatem non acquiescendi vobis tanquam scelus idololatriæ detestans. Exponit Regni ab ejus prudentiâ & consilio dependentes summas necessitates, ac pergit. *In articulo summæ necessitatis nostræ confidentes de præcipua dilectione vestra retinuimus eum, clavum in oculis hostium nostrorum, & in lateribus eorum lanceam, sine ipso nihil fieri æstimantes, sive de pace sive de bello cum hostibus sit agendum. Suscipite pater praces nostras, praces filij vestri, quem à cunabilis semper dilexistis.* „ Evocanti Pontifici non obedire (subdit Lupus) pro idololatriæ ac ariolandi scelere habebat omnis tum Gallicana Ecclesia. „

Stephan. Tornacen.

Lupus.

121. Licet hæc fuerit Gallicanæ Ecclesiæ sententia de potestate Romani Patriarchæ, Patriarchalem tamen Synodum in corpore nunquam ferè dilexerunt accedere Gallicani Episcopi: remoram primam, audivimus ex S. Avito Viennensi Archiepiscopo provenisse ex Barbarorum incursionibus, hincque Leonem primum potius commotum fuisse, ut dogmaticam suam pro Concilio Chalcedonensi epistolam in Gallias mitteret, quam evocatis Gallorum Episcopis in Patriarchali Concilio Romæ subscriptionem expeteret. Quidquid sit, & Hincmari Remensis Archiepiscopi, & plurimorum subsecutæ Antistitum excusationes & quærelæ causam præbuerunt Romanis Episcopis, ad Ecclesiæ controversias cum solo Cardinalium collegio terminandas: unde ab anno 1053. Leo 9. eos taliter vocatos dicit, tanquam cardini; *Quo cætera moventur, vicinius adhærentes.* Et ab anno 1061. scripsit D. Petrus Damianus, *Patriarcharum & Primatuum jura transcendunt*; & D. Bernardus de consideratione ad Eugenium 3. lib. 4. cap. 4. *Veniamus ad collaterales & coadjutores tuos.* Sic vocat Romanæ Ecclesiæ Cardinales, additque cum eis Orbem regendum: *An non eligendi de toto Orbe Orbem judicaturi.* Nihil tamen posse sine Pontifice: *Potestatem non habent, nisi quam tu eis aut tribueris, aut permiseris.* Et sic intelligendum est, quod Otho Frisigensis lib. 1. de gestis Friderici, cap. 17. enarrat, dixisse Cardinales ad Eugenium 3. *Per nos tanquam per cardines universalis Ecclesiæ volvitur axis*; & Cardinalis Ostiensis: „ *Cardinalem loco universalis Ecclesiæ suum habere officium.* Et Ioannes Turrecremata lib. 1. de Ecclesia cap. 80. „ Dominorum Cardinalium Consilio & assensu „ summus Pontifex regit, disponit, atque gubernat universalem Ecclesiam. „ Volebat tempore Basileensis Concilij Nicolaus Cardinalis Cusanus ex singulis Provincijs Catholicis singulos creari Romanæ

Leo IX.

Petrus Damiani.

D. Bernar.

Otho Fris.

Cardinal. Ostiensis.

Turrecre.

Ecclesiæ Cardinales, qui tanquam legati provinciarum in Consistorio Generalis Concilij repræsentativo cunctam gubernarent Ecclesiam. At contempsit hanc regulam Romana Ecclesia, & cum Cardinalibus, undecumque licet desumptis, cuncta disponere consuevit: quæ Sedis Apostolicæ disciplina convenit moribus primitivæ Ecclesiæ, dum Romani Pontifices solebant vel cum clero urbis, vel cum Episcopis Italiæ cuncta potissimum disponere. Enimverò Cardinales à Clericatu Apostolicæ Sedis ad Episcopatus Italiæ provecti sunt nostris hisce sæculis, ut dum Pontifex in eorum Consistorio causas Ecclesiæ disponat, cum Concilio quasi Italiæ cuncta gubernet.

ARTICULUS III.

De Iure Patriarchico Romano in Occidentem ex relationibus & judicijs majorum causarum.

122. *Esse Iuris Patriarchici characterem ad maiorum causarum relationes ferre judicium, probatur de Patriarchatu Alexandrino ex varijs Antiquitatis monumentis, quæ & clarè ostendunt, Patriarchas fuisse olim suprà Metropolitas.*

123. *Hanc suscipiendæ relationis & judicandi desuper authoritatem per totum Occidentem Romano Pontifici competere, probatur primò de Illyrico ex Innocentio I. Bonifacio I. Cælestino, Xixto, & Synodo Romanâ sub Bonifatio II. per Lucam Holstenium editâ.*

124. *Secundò de Angliâ, ex Bedâ, B. Lanfranco, & Paschali II,*

125. *Tertiò de Galliâ in causâ Martiani Arelatensis ex Episcopis Galliæ & D. Cypriano, ex quo oritur quæstio, num Episcopi & Metropolitani olim deponi potuerint absque Romani Episcopi sententia? adfertur sententia negativa.*

126. *Sententia affirmativa quod ex indultu Romani Pontificis deponi potuerint varijs in locis Episcopi non tamen Metropolitæ, ostenditur pluribus.*

127. *Et licet hoc de Metropolitis Iudicium semper sibi non reservarint Pontifices in Gallijs, ipsi tamen Galliarum Episcopi in causâ fuere quod sibi iterum resumpserint, ut constat ex varijs post Adrianum I.*

128. *Idem occasione epistolarum decretalium à Riculpho per Gallias dispersarum in depositionibus Episcoporum sibi resumpsit Iudicium Nicolaus I.*

129. *Neque id novum sed & aliquoties usitatum Synodus Generalis 8. præcepit observari, idque jure & meritò, cum ipsis Sedis Apostolicæ Præsulibus auctoritas illa vi Patriarchatus competebat per Occidentem universum, unde & post Synodum*

nodum 8. hoc castè observatum est. Et ex his luce clarius apparet jus Patriarchicum Romanum per Occidentem, quod tres Galliarum Peritissimi Perronius, de Marca, & Sirmondus pluribus ostenderunt.

122. ESse Iuris Patriarchici characterem ad relationes majorum causarum ferre judicium, facilè colligitur ex Divi Hieronymi epistolâ de Ioannis Ierosolymitani erroribus. Exortas Ierosolymæ difficultates ex resuscitato Origenis dogmate retulerat ad Episcopum Alexandrinum omisso proprio Metropolitano Cæsareensi, & læsas conqueritur Hieronymus juris dignitates ex antiquissimâ Ecclesiæ consuetudine per Nicenum Concilium Metropolitano adjudicatas: *ad Cæsareensem Episcopum referre debueras*, inquit Hieronymus: *aut si procul expetendum Consilium, Antiochiam potius dirigendæ litteræ*. Ac si diceret: si res majoris fuisset momenti, & Metropolitani authoritatem excedens, ad Orientis Patriarcham non ad Alexandrinum litteras dirigendas pro compositione Ecclesiasticorum tumultuum. Et sic diu ante tempora Concilij Niceni, cum Sabellius errorem suum apud Ptolemaidem urbem Pentapoleos disseminare cœpisset, multique statim ei contradixissent ex Catholicis, utraque pars tam Sabellij, quam Catholicorum, legatos misit ad Dionisium Alexandrinum Episcopum, qui auditis partibus, quid sentiendum esset, definivit, scribens ea de re ad Ecclesiam Ptolemaidis. Docet id Dionisius ipse in epistolâ ad Sixtum Romanæ urbis Episcopum apud Eusebium libro 7. historiæ, & D. Athanasius in libro de sententiâ Dionisij Alexandrini contrà Arianos, ut rectè observat Henricus Valesius capite 6. de canonis 6. Niceni interpretatione, qui addit historiam Meletij Licopolis in Thebaide Episcopi, qui cum multa contrà leges Ecclesiasticas fecisset, adeoque Dijs gentium sacrificasse argueretur, collectâ Synodo à Petro Alexandrino depositus est viginti plus minus annis ante Concilium Nicenum, ut habetur apud Athanasium in Apologiâ adversus Arianos, Idem confirmat Epiphanius in hæresi 68. ubi scribit: Meletium illum Thebaidis Episcopum subjacuisse Petro Alexandrino Episcopo, & ad illum ecclesiastica negotia retulisse ex more institutoque vetere. *Hic enim mos est* (inquit) *Alexandrinorum Archiepiscoporum, ut per totam Ægyptum, ac Thebaidem, Libyam, Ammoniacam, Mareotidem, ac Pentapolim Ecclesiastica negotia administrent.* Et de primo post ipsos Metropolitâ Meletio subjungit: *Cæteris quidem Episcopis antecellit, tamen subjectus* (utique Alexandrino) *& ad ipsum de causis Ecclesiasticis referens.* Unde Ioannes

D. Hieron. ad Ioan. Ierosolym.

S. Epiphan.

Lau-

Launoius colligere potest, suprà Metropolitanos vel Archiepiscopos fuisse aliquem dignitatis gradum, quem parum refert, quo nomine, dummodò constet re ipsâ Metropolitis superiorem, uti manifestissimè quoque apparet ex professione Arsenij Hypselitarum Episcopi è Meletiano schismate redeuntis ad D. Athanasium, quam ex Apologiâ secundâ Athanasij producit ipse Launoius in propugnatione dissertationis de rectâ Niceni canonis 6. intelligentiâ, fol. 81.: *Athanasio Beatissimo Papæ Arsenius Episcopus civitatis Hypselitarum, cui aliquando præfuit Meletius, una cum Presbyteris & Diaconis in Domino S. P. D. & nos quoque diligentes pacem & unanimitatem cùm Ecclesiâ Catholicâ, cui tu per Dei gratiam præfectus es, volentesque Ecclesiastico Canoni pro veteri instituto subjici, scribimus tibi Pontifex dilectè, promittimusque in nomine Domini. . . . . . . neque citrà tuam Metropolitani sententiam ullum de Episcopis, aut alio dogmate communi & Ecclesiastico decretum edicturos, sed cessuros canonibus ante susceptis ad exemplar & modum Episcoporum Ammoniani, & tyranni plusiani, & reliquorum Episcoporum.* Non Patriarcham sed Metropolitanum hic vocari Alexandrinum Episcopum fateor cum Ioanne Launoio, at de nomine quæstionem non instituo: Patriarchalem enim dignitatem suprà cœteros Metropolitas Arsenius tunc indicat, cum nec se, adiunctо licet proprio Metropolitâ Thebaidis, sine Alexandrini Episcopi sententiâ ullum de Episcopis signanter deponendis, ut fecerat Metropolita ipsius Meletius, vel de causâ communi editurum profitetur decretum. Tantæ potestatis in totam Diœcesim agnoscebatur Episcopus Alexandrinus, ut ipsi juxtà morem ab antiquo observatum competeret in rebus gravioribus supereminens judicium, unde & ad Augustalem Ægypti Præfectum Optatum rescripsit in cod. 3. extrav. de judicio Episcopali magnus Imperator Theodosius: *Quibuscumque mota fuerit quæstio, quæ ad Christianam pertineat sanctitatem, eos decebit sub eo judice litigare, qui Præsul est in suis partibus omnium Sacerdotum, id est per Ægypti Diœcesim.* Non coram Metropolitâ, sed Patriarchâ, ut rectè observat Lupus, ille enim per Ægypti Diœcesim Præsul est omnium Sacerdotum.

Arsenij Confessio.

Theodos. Imperator

123. Hanc potestatem Romano Episcopo competere per Occidentem, licet colligatur ex jure Patriarchatus, & juris executione per omnes Occidentis Provincias in pluribus & infinitis occasionibus ab ipso Ecclesiæ Christianæ exordio, pauca tamen in majorem veritatis elucidationem producenda sunt Antiquitatis monumenta: de Illyrico testantur Damasus Papa ad Acholium Thessalonicensem & Siricius ad Anysium Acholij successorem tam in litteris à Lucâ Holstenio publica-

blicatis, quam in subsequenti epistolâ ordine 4. Innocentij Papæ primi ad eumdem Anysium: *Cui* (inquit) *etiam anteriores tanti ac tales viri prædecessores mei Episcopi, id est sanctæ memoriæ Damasus, Siricius, atque suprà memoratus vir ita detulerunt, ut omnia, quæ in omnibus illis partibus gererentur, sanctitati tuæ, quæ plena iustitiæ est, traderent cognoscenda.* Latius se exponit idem Innocentius primus ad Anysij successorem Rufum, epistolâ 5. *Ita longis intervallis disterminatis à me Ecclesijs discat consulendum, ut prudentiæ gravitatique tuæ committendam curam causasque, si quæ exoriantur per Achaiæ, Thessaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ, & Cretæ, Daciæ Mediterraneæ, Daciæ Ripensis, Mœsiæ, Dardaniæ, & Pravali Ecclesias Christo Domino annuente censeam. Verè enim eius sacratissimis monitis lectissimæ sinceritatis tuæ providentiæ ac virtuti hanc injungimus solicitudinem: non primitus hæc ita statuentes, sed præcessores nostros Apostolicos imitati; qui beatissimis Acholio & Anysio iniungi pro eorum meritis ista voluerunt.* Causas Illyrici committunt Romani Pontifices Damasus, Siricius, & Innocentius primus Thessalonicensium Episcopis, ut Apostolicæ Sedis vice per ipsos judicaretur, signum manifestum Patriarchici juris per Illyricum: Unde & Bonifacius I. ad Rufum Thessalonicensem epistolâ 7.: *Te ergo, frater Charissime, omnis cura respectat earum Ecclesiarum, quas tibi vice Sedis Apostolicæ à nobis creditas recognosces: ut & prava corrigas, & dissipata componas, & si quæ inter Episcopos eveniant causæ, sub divini iudicij timore distinguas: ut creditis tibi à Sede Apostolicâ gubernaculis contrà omnes fluctus nascentium procellarum iustè & prudenter utaris.* Et Cælestinus epist. 13. ad Episcopos per Illyricum constitutos: Rufo inquit, *vicem nostram per vestram provinciam noveritis esse commissam, ita ut ad eum fratres charissimi, quidquid de causis agitur, referatur, sine eius consilio nullus ordinetur, nullus usurpet eodem inconscio commissam illi Provinciam; Colligere nisi cum eius voluntate Episcopos non præsumant.* Ferè eadem repetit Xystus Pontifex epist. 15. ad universos per Illyricum Antistites, & epist. 17. ad eosdem scribens: *Illyricanæ omnes Ecclesiæ, ut à decessoribus nostris recepimus, & nos quoque fecimus, ad curam nunc pertinent Thessalonicensis Antistitis; ut suâ solicitudine, si quæ inter fratres nascantur, ut assolent, actiones, distinguat atque definiat, & ad eum quidquid à singulis sacerdotibus agitur, referatur. Sit Concilium quotiens causæ fuerint, quotiens ille pro necessitatum emergentium ratione decreverit.* Eadem repetit ad Anastasium Thessalonicensem Leo primus, epistolâ inter Holstenianas 24. uti & epist. 25. ad Episcopos Metropolitanos per Illyricum. Ex quibus omnibus, cum Stephanus Larissææ Metropolita invitus traheretur ad Episcopi Constantinopolitani tribunal, collegit,

Innoc. I.

Bonifac. I.

Cælestinus

Xystus Papa,

non Constantinopolitano sed Romano tanquam Patriarchæ sese esse subjectum. *Si oporteret* (refert in libello supplici ad Bonifacium secundum Stephanus per Illyricum Metropolita se dixisse ad legatum Constantinopolitani Episcopi ad suum tribunal eum evocantis) *me ad aliquem accusantem respondere, aut de meâ accusatione aliquid judicare, non sub eo, qui nunc judicare dignatur, causam me dicere necesse est, sed alibi apud quem sacrorum canonum lex custoditur, & usque hactenus consuetudo servatur: memoriam faciens vestri sancti Capitis, & Apostolicæ Sedis, dicens: vos esse Dominos hujus examinationis: supplicans nihil in me debere novi fieri; aut quod potest bene composita disturbare.* Noverat, quam Thessalonicensibus Episcopis potestatem per Illyricum commiserant Pontifices, eam ipsis Pontificibus competere, & exindè demonstrasse specialem juris Patriarchici in istas Ecclesias potestatem, hinc concludit orans: leges & statuta Sedis Apostolicæ *In omnibus quidem Ecclesijs, præcipuè autem in vestrâ Illyricanâ Provinciâ custodire. Præcipuè in vestrâ Illyricanâ Provinciâ*, scribit ad Bonifacium 2. Stephanus Larissæ Episcopus, nam ut in Synodo sub Bonifacio 2. Romæ habitâ exposuit per Stephanum missus Theodosius Echiniensis civitatis Episcopus Thessaliæ Provinciæ: *Constat venerandos Sedis Apostolicæ Pontifices*; præter curam universalem totius Ecclesiæ: *Specialiter tamen gubernationi suæ Illyrici Ecclesias vindicasse.* Quibus verbis, ut rectè annotat Lucas Holstenius in libro sumptibus Alexandri 7. cum approbatione S. Palatij Magistri, & studio Cardinalis Barberini nuper Romæ edito, potestatem Romano Episcopo attribuit „ tanquam peculiari Patriarchæ totius Ecclesiæ Occidentalis, ad cujus „ Diœcesim Illyrici quoque Ecclesiæ pertinerent. „

Stephanus Larissæ.

Theodos. Echinien.

Lucas Holstenius.

124. Post tam illustre Antiquitatis monumentum de Illyrico ultimâ ferè Patriarchatus Romani Diœcesi, vix dubitare quis potest de vicinioribus Apostolicæ Sedi Provincijs. De Angliâ & Hispaniâ testantur scripta D. Gregorij Magni & plura historiarum monumenta, undè B. Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus in epistolâ 3. ad Alexandrum Papam, suum primatum super Eboracensem Ecclesiam ostensurus, adducit Historias Bedæ Presbyteri, aitque, ex iis constare: *Episcopos quosdam, quoque exigentibus culpis, ab eis cum Romanæ Sedis auctoritate depositos.* Ubi notanda sunt verba: *Cum Romanæ Sedis auctoritate*: absque illâ enim non licuisse in Angliâ deponere Episcopos, judicabat B. Lanfrancus, & scripserat ad Henricum Regem & Episcopos Angliæ Paschalis 2. *Universum siquidem terrarum Orbem, Dominus Magister noster suis discipulis dispertivit: sed Europæ fines Petro principaliter commisit & paulo, nec*

B. Lanfrancus.

Beda.

Paschal. II.

per

per eorum tantum, sed per successorum discipulos, ac legatos, Europæ universitas conversa est, & confirmata. Vnde usque ad nos licet indignos eorum Vicarios, hæc consuetudo pervenit: ut per nostræ Sedis Vicarios graviora Ecclesiarum per Provincias negotia pertractarentur, seu retractarentur. Vos autem inconsultis nobis etiam Episcoporum negotia definitis &c. Ubi probat id Anglis planè illicitum, & nisi auctoritatem Sedis Apostolicæ recognoscant, excommunicationis minatur sententiam.

125. Pro Galliâ licet complura habeamus testimonia, unum idque antiquissimum sufficiat de causâ Martiani Arelatensis Episcopi, quem sæculo tertio Fraterno Episcoporum collegio insultantem Faustinus Lugdunensis & plures alij Episcopi judicandum obtulerunt Stephano Romano Pontifici: & Cyprianus quoque per litteras Gallicanorum Antistitum certior factus scripsit ad eumdem Stephanum Papam: *Dirigantur in Provinciam & ad plebem Arelatæ consistentem à te litteræ, quibus abstento Martiano alius in locum eius substituatur.* Ad quæ D. Cypriani verba Archiepiscopus Parisiensis de Marca lib. 1. cap. 10. §. 8. „ Decernendi & pronuntiandi de re propositâ juxtà sententiam Gallicanorum & Africanorum Episcoporum potestas Romanæ Ecclesiæ asseritur, eique plenissima executionis cura demandatur. „ Rationem adjungit D. Bail Propœnitentiarius Parisiensis in additione ad summam Conciliorum sub Concilio Lugdunensi anno 258. hâc de re celebrato: „ Quod Episcopi eum non dejecerint de gradu, id factum „ est, quod esset Metropolitanus, cujus depositio ad summum Ponti„ ficem spectabat, ut notat Baronius. „ Ex quibus oritur quæstio, num Episcopi & Metropolitani Occidentis olim deponi non potuerint, absque Romani Episcopi sententiâ? Episcopi Romani sententiam adesse debuisse, innuit primò potestas ipsius Patriarchalis per Occidentem, quæ sicut parilis erat juxtà Nicenum Concilium potestati Alexandrini per suam Diœcesim, consequi videtur, sicut in Patriarchatu Alexandrino nullus Episcopus deponi poterat absque sententiâ Patriarchæ, sic & in Patriarchatu Romano observatum fuisse: quod ipsum magis confirmat canon Nicenus 49. ex versione Arabicâ. Secundò cum Donatistæ Cœcilianum Præsulem Carthaginensem deposuerant inscio Pontifice, arguit illos D. Augustinus epist. 162. quod ad transmarinæ Ecclesiæ cognitionem prius non retulerint, exclamans in hoc eorum pravitatem & perversitatem innotescere. Demum ex epistolâ trium Synodorum Africæ sub nomine Stephani Archiepiscopi ad Damasum conscriptâ, quæ illud injuriosum dicunt Romano Antistiti, quod

D. Cypr.

De Marca.

Bailius.

Augustin.

Stephanus Archiepisc.

quod Africani Episcopos quosdam *Vobis inconsultis à proprio deiicere voliuntur gradu, cum vestræ Sedi Episcoporum judicia, & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorum in honore beatissimi Petri Patrum decreta omnium cunctam reservare sententiam inquirendi.* Exstat epistola tomo 3. collectionis Regiæ cum responso approbatorio Damasi, quod contrà Hincmarum Rhemensem tanquam scutum inexpugnabile opposuit alter Hincmarus Laudunensis in Galliâ Episcopus, & reverà statuto suo favisset plurimum, si testimonium fuisset indubitatum, & non ex Isidori mercibus desumptum.

126. Deponi itaque potuisse absque sententiâ Romani Episcopi plurium Regionum Occidentalium Episcopos; fortiora monumenta evincunt, & in ipsâ Africâ tempore Cypriani id observatum fuisse, ostendi posset pluribus. Ut tamen res hæc ordine suo pandatur, repetenda sunt, quæ ante animadvertimus pro expositione canonis 6. Niceni, potestatem parilem ex antiquo instituto moribus utcumque firmato utrique Patriarchæ, Romano scilicet & Alexandrino, adjudicatam, Romanum tamen uti in ordinationibus Episcoporum, quas pro plerisque Provinciis indulsit earum Episcopis, ita & gratiosè permisisse Provincialibus Synodis Episcoporum judicia & depositiones absque ullâ suâ præcedenti sententiâ. Hoc & in Africâ & in Hispaniâ usitatum fuisse, colligitur ex causâ Basilidis & Martialis per Synodum Hispanicam depositorum absque sententiâ Stephani Papæ, cum approbatione D. Cypriani desuper factâ; idem in Galliâ ac alijs Provincijs post Nicenum licuit: attamen ex Apostolico canone Pontifices sibi initio reservasse videntur depositiones Metropolitanorum, ut facilè colligitur ex causâ Martiani Arelatensis Archiepiscopi: cur enim aliàs Galliæ Episcopi eum non deposuissent? cur potius degradandum obtulissent Stephano Papæ, & non semel sed sæpius tam per se quam per Cyprianum Carthaginensem Antistitem postulassent? quod enim Christianus Lupus asserat, ob turbulentiam Martiani Galliæ Episcopos depositionem attentare noluisse, facilè solvitur, cum Martianus tam Stephani, quam omnium Catholicorum Episcoporum auctoritatem respuebat, quinimmò in eo gloriabatur, quod contrà Stephanum schismatico Novatiano Pontifici adhæreret. Fortius id firmatur ex D. Augustino epistolâ 162. de causa Cœciliani Carthaginensis Metropolitæ, cujus depositionem à Concilio 70. Episcoporum Africæ sine prævio Sedis Apostolicæ consensu peractam graviter arguit, & addit; quod hic *eorum pravitas & perversitas innotescat*, utpotè,

D. August.

qui

qui nec priusquam in eum sententiam dicerent, differre voluerunt. Utique ad obtentum à Sede transmarinâ, id est Apostolicâ, legitimum consensum. Non sic D. Augustinus processisset contrà Donatistas, nisi pro Metropolitanorum depositione requisita fuisset Pontificis Romani auctoritas. Unde & hæc Damasi Papæ & Romanæ sub ipso Synodi à Gratiano Imperatore firmata constitutio, ut Episcopi in principale examen deducantur, *vel si ipse Metropolitanus est, Romam necessariò, vel ad eos, quos Romanus Episcopus judices dederit, sine dilatione contendat.* Indeque Leo primus epist. 84. cap. 1. Anastasium Thessalonicensem Episcopum suum in Illyrico Vicarium durè arguit, quod absque suâ sententiâ Atticum Nicopolitanum Episcopum & veteris Epiri Metropolitam in contumaciam degradasset: *Etsi tale aliquid mereretur Atticus, exspectandum tibi fuerat, quid ad tua consulta rescriberemus*; & infrà: *Etiamsi quid grave intolerandumque gessisset, nostra erat exspectanda censura, ut nihil prius ipse decerneres, quam quid nobis placeret, agnosceres. Vices enim nostras ita tua credimus charitati, ut in partem sis vocatus solicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* „ Metropolitarum degradationes, subdit Lupus, Sedi „ Apostolicæ affirmat reservatas adeò privativè, ut etiam à tanto „ ejusdem Sedis Vicario non possent attentari. „ Idem de Sardiniæ & Salonitaniæ Metropolitis obtinuisse, lucet ex D. Gregorio Magno.

Synodus Rom.

Leo I.

Lupus

127. An hæc regula semper in Occidente & Galliâ fuerit observata, non disputo, observari debuisse, si Pontifices nihil gratiosè indulsissent, ex jure ipsius Patriarchico deduco, quod sicut Innocentius primus in epistolâ ad Alexandrum Antiochiæ Patriarcham exponit, ut nullus etiam Provincialis Episcopus à quovis Metropolitâ sine Patriarchali confirmatione potuerit consecrari, sic & consuetudo Patriarchatus Alexandrini initio hujus articuli deducta testatur, nullum Episcopum nedum Metropolitam sine sententiâ Patriarchali potuisse deponi aut judicari. Unde spectato hoc jure, non immeritò primus reclamare cœpit Rhemensium Metropolita Tilpinus contrà morem Gallicanæ Ecclesiæ penes Adrianum primum conquerendo, antecessorem suum sanctum Rigobertum fuisse nuper sine Sedis Apostolicæ interrogatione & consensu dejectum, petens id non amplius fieri, sed canones servari. Quod ultimum statuit Adrianus primus, ut ipsum numquam præsumat *Aliquis de Episcopatu deiicere sine canonico judicio, & neque ullo judicio sine consensu Romani Pontificis, si ad hanc S. Sedem Romanam, quæ caput esse dignoscitur Orbis terræ, appellaverit in ipso judicio.* Caudam adhibet Adrianus primus, quod tum Gallia adhuc poterat

Adrian. I.

Metropolitam dejicere, nisi appellasset à Synodo: quod quia non fecerat Ebbo Tilpini post Wulfarium successor, à Synodo degradatus est, ut etiam scribit ad Nicolaum primum Rex Carolus Calvus in litteris apud Træcensem Synodum exstantibus. Quod causam præbuit ipsi Hincmaro Ebbonis successori sollicitandi apud Benedictum tertium & Nicolaum primum pro privilegio, quo nullus deinceps Rhemensis Archiepiscopus posset deponi, nisi per Apostolicam Sedem: idque omninò impetravit, ut patet ex Arnulpho & Manasse Metropolitis apud Christianum Lupum parte 4. ad canonem 3. dictatus Gregorij Septimi, qui addit: „ ab Hincmari igitur tempore omnes „ Gallicani Metropolitæ spectaverunt ad solum Romanæ Ecclesiæ judicium. Quod eorum negotia esse de majoribus Ecclesiæ causis ad- „ mitteret tunc omnis Gallicana Synodus, habes ex litteris Nicolai I. „ quod ipsum lucidè profitetur Hincmarus. Et octava Synodus sta- „ tuit nullum deinceps Metropolitam judicari à vicinis Metropolitis, „ sed à solo Patriarchâ. „ Canon à Lupo laudatus est ordine 26. statuens hisce verbis: *Insuper etiam nullo modo quisquis Metropolitanorum vel Episcoporum à vicinis Metropolitis, vel Episcopis Provinciæ suæ judicetur, sed à solo Patriarchâ.*

Lupus.

Canon 26. Synodi 8.

128. Erant & ante Hincmari tempora à Riculpho per Gallias dispersæ litteræ decretales primorum Pontificum, quæ nec Episcopum degradari permittebant sine Romani Pontificis consensu, ex quibus Adrianus primus collegit canonem suum tertium inter datos Angilramno Metensi Episcopo: *Nullus Episcopus, nisi canonicè vocatus, & in legitimâ Synodo suo tempore Apostolicâ auctoritate convocatâ. . . . super quibuslibet criminibus audiatur vel impetatur.* Et hasce decretales epistolas contra Hincmarum Rhemensem suscepit Nicolaus primus, graviter in eum invectus, quod sine suo jussu & consensu degradarat Rothaldum Episcopum Suessionensem. Idem contra Hincmarum suscepit ejus nepos Laudunensis Episcopus ex pluribus antiquorum Pontificum decretalibus probans, nec se, nec alium Episcopum in Synodo Provinciali potuisse judicari sine Romani Episcopi sententiâ. Opponebat quidem Hincmarus vetustam Synodorum consuetudinem, sed reponere poterat Laudunensis Episcopus, sicut vetusta Synodorum auctoritas non obfuerat, quo minus ipse Hincmarus Metropoliticæ dignitati privilegium impetraverat, quo à solâ Sede Romanâ judicaretur, ita & obesse non debere, quo minus sedis Patriarchicæ auctoritas obtineat in judiciis Episcoporum, ut ex antiquo instituto ad ipsius spectarent sententiam.

Adrian. 1.

129. Nec

129. Nec id planè sibi vindicare omiserant Pontifices, cum suis Vicarijs, signanter per Illyricum, jus illud servari statuerint, ut nullus absque eorum sententiâ iudicaretur Episcopus: undè & Nicolaus primus pro jure suo contrà Hincmarum certavit, & Concilium Generale octavum canone 26. priscum institutum observari voluit, quando mandavit, ne ullus Episcoporum *ab Episcopis Provinciæ iudicetur, sed à solo Patriarchâ.* Ex quo tempore ad maiores Ecclesiæ causas adeò spectare cœpit Episcopi degradatio, ut Theoduinus Episcopus Leodiensis ad Henricum primum Francorum Regem Brunonem Andegavensem Episcopum degradari volentem scripserit: *Desperamus id fieri posse, cum Bruno existat Episcopus. Episcopum autem non oportet damnationis subire sententiam præter Apostolicam auctoritatem.* Et ad Gerardum Engolismensem Episcopum, qui ex legatione Apostolicâ sibi potestatem deponendi Episcopos prædicabat concessam, scripsit Goffredus Abbas Vindocinensis: *Nulla ratione legatis Apostolicæ Sedis conceditur; quod ad solius Romani Pontificis pertinet dignitatem.* Cui consonat canon 3. dictatus Gregorij septimi statuens de Romano Pontifice: *Quod ille solus possit deponere Episcopos, vel reconciliare.* Et hoc ipsum per Occidentis obtinuit Provincias in signum Patriarchatus Romani ultrà Primatum universalis Ecclesiæ, de quo Hincmarus Metropolita Rhemensis epistolâ 6. cap. 4.: *Sancta Romana Ecclesia, cui solicitudo omnium Ecclesiarum in beato Petro Principe Apostolorum est commissa, plures Metropolitanos in suâ speciali Diœcesi habet.* Specialis illius Diœcesis Metropolitas per totum Occidentem, ubi fides olim floruit, fuisse dispersos, tam ex testimonijs Conciliorum & Patrum, quam ex factis & scriptis Pontificum huc usque abundè ostendimus, ut certum maneat, quod cum peritis nostri sæculi ex Gallijs viri eruditi Iacobus Sirmondus in libro de suburbicarijs contrà hæreticum Salmasium, Eminentissimus Cardinalis & Galliæ primas Perronius contrà Angliæ Regem, & Parisiensium Archiepiscopus de Marca libro 1. contrà errores nostri sæculi demonstrarunt, totum Occidentem esse specialem aut Patriarchalem Romani Pontificis Diœcesim.

Synodus 8.

Theoduin.

Goffredus.

Greg. VII.

Hincmar. Rhemens.

Sirmondus

Perronius.

De Marca.

CAPUT V.

Num præter Romanum Episcopum creari possit alius in Occidente Patriarcha, & quid hic sentiat Gallia?

130. *Status quæstionis, num contrà Romanum Episcopum creari possit Patriarcha in Occidente? quod dependet ab eo, utrum Pontifex sit centrum Radix & Caput communionis ecclesiasticæ?*

131. *Id Pontificem Romanum esse, probatur primò ex S. Ireneo.*

132. *Secundò, ex S. Cypriano duobus in locis.*

133. *Tertiò, ex S. Optato Milevitano id firmante Perronio.*

134. *Quartò, ex D. Ambrosio & Synodo Aquileiensi.*

135. *Quintò, ex D. Hieronymo, & Damaso Papâ.*

136. *Sextò, ex D. Augustino.*

137. *Septimò, ex S. Gelasio Pontifice.*

138. *Octavò, ex Ioanne Patriarchâ Constantinopolitano.*

139. *Nonò, ex Menâ Patriarchâ Constantinopolitano.*

140. *Similiter id probari posset ex pluribus alijs, quæ adducunt Perronius, de Marca, & Lupus ad Canonem 26. Gregorij VII. id ipsum asserentis.*

141. *Decimò, ex Cardinali Iuliano Basileensis Concilii præside.*

142. *Demum ex Pio 2. in Conventu Mantuano.*

143. *Et his præmissis de centro communionis Ecclesiasticæ, concluditur, absque schismate non posse constitui alium in Occidente Patriarcham contrà Romanum Pontificem, idque probatur ex Leone magno, Adriano I. & S. Optato.*

144. *Hinc omnis Orthodoxa Ecclesia perhorret Patriarchæ contrà Romanum in Occidente creationem, uti nuperrimè ostendit Gallia contrà Optati Galli de cavendo schismate libellum.*

145. *Adferuntur acta Synodi Parisiensis hâc de re edita anno 1640.*

146. *Actis illis etiam subscripserunt Galliæ Antistites tunc temporis in urbe Regiâ inventi, eorumque nomina adferuntur.*

147. *Ultrà hos, plerosque Galliæ Doctores, signanter de Marca & Habertium oppugnasse laudatum Optati Libellum.*

148. *Habertium quoque defendisse Cardinalem de Richelieu, quem Optatus de Patriarchatus ambitione insimulaverat.*

149. *Confirmatur defensio Cardinalis ex scriptis Domini de Marca hanc ob rem ad instantiam Regis Galliæ editis.*

150. *Et ob aversam per sua scripta sinistram vulgi famam de Marca praetendisse sin operis justitiam contrà animadversiones Lucae Holsteny, paucis indicatur.*

130. CUm nunquam Sedes Apostolica consentiet, jus suum minui, quod specialiter in Occidentem ex Apostolico instituto retinuit, quinimmò modis omnibus, (ut patet vel ex sola Diœcesi Illyriciana, quam ambitus quorumdam in Sedis Constantinopolitanæ Patriarchatum transcribere conatus fuit) contradicet scribendo comminatorias litteras, fulminando censuras ecclesiasticas, removendo à communione Catholicâ: quærere, num præter Romanum Episcopum creari possit alius in Occidente Patriarcha, idem ferè est,ac num contrà Romanum Episcopum aliud speciale caput possit constitui in Regione Occidentali? omitto quorumdam pragmaticorum errores infrà attingendos, contrà quos unum tantum constituo fundamentum in Orbe Catholico, ac præcipuè in Galliis, & Sorbonâ Parisiensi quotidiè decantari solitum, quod nimirum totius Communionis ecclesiasticæ centrum, radix, fons, & caput sit Sedes Apostolica, ut qui illi non communicet, sit ramus, rivulus, membrum ab unitate Ecclesiæ divisum, ideoque extrà unam Ecclesiam, in qua salus reperitur, constitutum.

131. Hujus indubitatæ veritatis initium ducit ad sæculi 2. finem S. Ireneus Lugdunensis in Galliâ Episcopus, qui libro 3. contrà Valentinianum, cap. 3. de Romanâ Ecclesia sermonem instituens: *Ad hanc enim Ecclesiam* (inquit) *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles.* Si omnes convenire necesse sit propter Principalitatem Romanæ Ecclesiæ, quis non videt, sanctissimum illum Gallicanum Antistitem, in Romano Episcopo caput agnovisse Catholicæ Ecclesiæ, sub quo omnes fideles uniti conveniunt? ut membrum sit mortuum & ab unitate præcisum, quod à suo capite contigit esse separatum.

Ireneus.

132. Secundus est S. Cyprianus Episcopus Carthaginensis in Africâ circà medium sæculi 3. scribens ad S. Cornelium Pontificem epist. 45. quod Romam navigantes admonuerit & hortatus sit: *Vt Ecclesiæ Catholicæ radicem & matricem agnoscerent & tenerent.* Et libro de unitate Ecclesiæ ostensurus, quam necessarium esset fidelibus, radicem & matricem illam tenere, explodit quorumdam schismaticorum errorem, qui sese separantes à Sede Apostolicâ credebant nihilominus, in unitate

Cyprianus

Ecclesiæ manere: *Qui Ecclesiæ* (inquit) *renititur & resistit, qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesiâ se esse confidit?*

133. Tertius est S. Optatus Milevitanus Episcopus sæculo 4. libro 2. contrà Parmenianum Donatistarum Carthaginensem Episcopum: Ecclesiæ Catholicæ primam notam, fatente Parmeniano, ait esse unicam cathedram, & de illâ, ubi sit, *Ignorantia tibi adscribi non potest* (inquit ad Parmenianum, ac pergit:) *igitur negare non potes, scire te, in urbe Româ Petro primo cathedram Episcopalem esse collatam; in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, in quâ unâ cathedrâ unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut iam schismaticus & peccator esset, qui contrà singularem cathedram alteram collocaret. Ergo in cathedra unica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, &c.* usque ad Siricium: *Siricius hodiè qui noster est socius, cum quo nobis totius Orbis commercij formatarum in unâ communionis societate concordat.* Ex quo contrà Angliæ Regem volentem in primitivâ Ecclesiâ usum fuisse litterarum formatarum, per quas undique communionem exercebant Episcopi, reponit Cardinalis Perronius cap. 26. id quidem esse verum: *Mais le centre de cette communion & de cette unitè Ecclesiastique, qui s'exercoit, & entretenoit par le commerce des lettres formées, estoit le Siege Apostolique & l'Eglise Romaine.*

Optatus Milevitan.

Perronius

134. Quartus est S. Ambrosius Mediolanensis Episcopus eodem sæculo de obitu fratris Satyri, de quo narrat, cum venisset in quamdam insulæ Sardiniæ urbem, petiisse ab Episcopo loci, num communicabat Episcopis Catholicis in Sede Romanâ? *Percontatusque est ex eo, utrum cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romanâ Ecclesiâ conveniret?* Et ipse Ambrosius cum Synodo Aquileiensi anno 381. in epistolâ Synodicâ ad Gratianum Imperatorem: *Totius Orbis Romani caput Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam Apostolorum fidem, ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra, inde enim in omnes veneranda communionis jura dimanant.*

Ambros.

Synodus Aquileien.

135. Quintus est D. Hieronymus epistolâ 57. ad Damasum Papam: *Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri, communione consocior. Suprà illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extrà hanc domum agnum commederit, profanus est;* & infrà: *non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum, quicumque tecum non colligit, spargit.* Ac si diceret neminem in Catholicâ unitate constitutum, qui communionem Apostolicæ cathedræ non obtinebat, quod idem

D. Hieron.

satis

ſatis apertè inſinuat Damaſus Papa in epiſtolâ ad Paulinum Antiochenum publicatâ per Lucam Holſtenium, ubi ſe fidem Apoſtolicæ Sedis tranſmittere inſinuat, cui ſubſcribere deberent volentes *Eccleſiæ copulari*, *id eſt* (inquit) *nobis per te voluerint ſociari*. Ubi vides, communionem Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedis promiſcuè ſumi, & conſequenter Apoſtolicæ Sedis communionem tam neceſſariam judicari, ut Eccleſiæ communionem non habeat, qui illa careat,

Damaſus.

136. Sextus D. Auguſtinus Hipponenſis in Africa Epiſcopus epiſtolâ 162. ubi docet, Cæcilianum Carthaginenſem Epiſcopum potuiſſe non curare conſpirantem multitudinem, dum videret ſe communicatorijs litteris unitum Sedi Apoſtolicæ, illicque de communionis jure agitandum negotium, ut ſi quorumdam perverſitas innoteſcat in ſanctô tribunali; *Miſſa tractatoria ſuper eorum nomine, per totum Orbem terrarum quacumque jam Chriſti Eccleſia dilatata eſt, ab omnibus Eccleſijs eorum unio præcidetur*. Quod nimirum, ſicut concilium Aquileienſe docuerat, ex Sede Apoſtolicâ in omnes venerandæ communionis jura dimanare, ita & teſte Auguſtino, inde excommunicationis in Orbem univerſum profluere.

D. Auguſt.

137. 7. S. Gelaſius Papa ſæculo 5. in tractatu contrà Græcos edito per Jacobum Sirmondum in appendice ad Codicem Theodoſianum, & inſerto per Philippum Labbeum tomo 4. Conciliorum: ubi ait, à Chriſto Petrum fuiſſe electum, *ut capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio, & una monſtraretur compago corporis Chriſti, quæ ad unum caput glorioſiſſimâ dilectionis ſocietate concurreret, & una eſſe Eccleſia, cui fideliter crederetur, unaque domus unius Domini, & unius Redemptoris, in qua de uno pane & de uno calice nutriremur.*

Gelaſius Papa.

138. 8. Ioannes Patriarcha Conſtantinopolitanus in epiſtolâ ad Hormiſdam Pontificem; *Promittentes in ſequenti tempore* (inquit) *ſequeſtratos à communione Eccleſiæ Catholicæ, id eſt in omnibus non conſentientes Sedi Apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra non eſſe recitanda myſteria.* Ubi communionem Eccleſiæ Sedi Apoſtolicæ ſatis patenter attribuit.

Ioannes Conſtant.

139. 9. Menas pariter Conſtantinopolitanus Epiſcopus in Concilio Conſtantinopolitano anno 536. alloquendo integram Synodum: *Nos* (inquit) *ſicut caritas veſtra novit, Apoſtolicam Sedem ſequimur & obedimus, & ipſius communicatores communicatores habemus: & condemnatos ab ipsâ & nos condemnamus.*

Menas. Conſtant.

140. Similia ſæculo 9. declaravit Concilium Tricaſſinum in Galliâ per Hincmarum Metropolitam Rhemenſem, & oſtendi poſſet ex pluri-

pluribus alijs, sed relictâ testimoniorum multitudine, quæ partim Eminentissimus Cardinalis Perronius contrà Angliæ Regem cap. 26. partim Parisiensis Archiepiscopus de Marca libro 1. in opere de Sacerdotij & Imperij concordiâ, partim attingit Christianus Lupus parte 4. ad hunc canonem 26. dictatus Gregorij 7. *Quod Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Ecclesiæ.* Unum aut aliud testimonium adjungemus ex subsequentibus sæculis.

Perronius. De Marca. Lupus. Gregorius

141. 10. Itaque est Iulianus Cardinalis Præses Concilij Basileensis, qui in Flavianensi cum Ænea Sylvio Colloquio, suam ad Apostolicam Sedem conversionem his verbis enarrat. *Vero matris lacte nutritus ad fontem veri perveni, quem sancti Doctores ostendunt græci & latini, quorum una vox est, salvari non posse, qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ non tenet unitatem: omnesque illas virtutes mancas esse ei, qui Summo Pontifici obedire recusat, quamvis in sacco & cinere jacens, dies & noctes jejunet & oret, & in cæteris videatur legem implere: quia melior est obedientia, quam victimæ, & omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est: & Romanum Præsulem in Ecclesiæ vertice constitutum esse constat, à quo nullam ex ovibus Christi exemptam novimus.* Moverunt hæc ita Æneam Sylvium, ut jam Pius secundus in bullâ retractoriâ testetur: *Hæserunt pectori nostro verba viri:* & notanda sunt verba Iuliani: *Græci & Latini, quorum una vox est, salvari non posse, qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ non tenet unitatem.* Quo testimonio nullum luculentius dari potest, aut expostulari.

Iulianus. Æneas Sylvius.

142. Demum in Conventu Mantuano anno 1459. ipse Pius 2. in responso ad orationem Guilielmi Parisiensis Episcopi, quod ex tomis Lucæ d'Acherij, inseruit tomo 13. Conciliorum Philippus Labbeus. *Ecclesia* (inquit) *una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur, quomodò multi radij solis sunt, sed unum lumen, & rami arboris multi sunt, sed robur unum tenaci radice fundatum; & quomodò de fonte uno rivi plurimi defluunt, & numerositas licet diffusa videatur exundante copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis à corpore, divisionem unitas non capit; ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit; à fonte præcide rivum, præcisus decrescit. Sic Ecclesia Dei luce perfusa per totum Orbem radios suos porrigit; unum tantum caput est, & una origo, & una mater Ecclesia, quæ incorrupta unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Alienus est, prophanus est, hostis est, & habere non potest Deum Patrem qui Romanæ Sedis, quæ universalem Ecclesiam virtute complectitur, non tenuerit unitatem.* Ita Pius 2. in celeberrimo Europæ conventu, plures patrum ac signanter D. Cypriani exponens & firmans sententias.

Pius II.

143. Hisce

143. Hisce de centro communionis ecclesiasticæ præmissis, restat videre, quantum sese ab unione Ecclesiæ alienent, qui contrà Romanum Pontificem aliud sibi caput constituunt, sive illud sit supremum contrà Romani Episcopi Primatum Divinitus institutum, sive illud sit subordinatum contrà Romani Episcopi Patriarchatum ex jure Apostolico toto Occidente extensum: parum enim refert, quodnam ex hisce duobus constituatur caput, dummodò Sedes Apostolica contradicat: *Neque enim præter petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio.* Ut scribit Leo primus epistolâ 57. contrà Sedis Constantinopolitanæ ambitum absque Romani Episcopi sententiâ Exarchatus absorbentem, & Patriarchatus Orientales juribus suis privantem: unde & Bonifacius primus epistolâ 9. *Audio Episcoporum quosdam Apostolico iure contempto novum quidpiam contrà Christi propriè præcepta tentare, cum se ab Apostolicæ Sedis communione, & ut ita dicam, verius potestate separare nituntur.* Et expressius Adrianus Papa primus in fragmento epistolæ ad Constantinum Imperatorem, ubi similiter tractans de iis Episcopis, qui ex Patriarchatus Romani Illyriciana Diœcesi ad Patriarchatum Constantinopolitanum fuerant contrà mentem Sedis Apostolicæ translati, restitutionem expostulat pro unione peragendâ. *Ut nequaquam schisma inter concordiam perseverare valeat sacerdotum.* Quod si sola Provinciarum in alterius Patriarchatum transcriptio introducat schisma, & ab Apostolicæ Sedis communione excludat, quid quæso non faciet nova Patriarchatus erectio in Provincijs Patriarchatus Romani? contrà quam clamat S. Optatus libro 2. adversus Donatistas. *Negare non potes, scire te in urbe Româ Petro primò cathedram Episcopalem esse collatam, in quâ sederit Apostolorum caput Petrus, in qua unâ Cathedrâ unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret.*

Leo I. Bonifac. I. Adrian. I. S. Optatus.

144. Agnovit hoc separationis malum orthodoxa sub cælo Ecclesia, nec ignoravit nuperrimè Gallia, dum prodiit libellus *Optati Galli de cavendo schismate* inscriptus, in quo dum auctor præsagium futuri schismatis ex Patriarchæ per Gallias creatione his verbis avertere studebat, „ Rumor est ubique apud nos sese diffundens, vires eundo „ acquirens, & nescio quid pessimi in Ecclesiâ Gallicanâ præsagiens, „ omnia in schismatis structuram prona esse, & antiquissimum ac de„ votissimum Gallorum in Sedem Apostolicam studium, quam difficil„ limorum temporum turbinibus inconcussum tam jam pessum iri:

Optatus Gallus.

,, omnia Patriarcham hoc est Papalis dignitatis in Francorum regno ,, furem aut larvam personare. ,, Malè oluit præsagium illud Gallia-rum populis propositum, & sub-odoratum fuit à viris eruditioribus, sub ementito cavendi schismatis titulo illud voluisse promovere, ut testis oculatus D. Bailius Parisiensis Propœnitentiarius his verbis de-scribit tomo 2. Conciliorum, classe 5. folio 683.: ,, auctor libellum ,, evulgaverat sub prætextu, ut præ se ferebat, vitandi schismatis, sed ,, reverà, ut potius illud concitaret ad imitationem Optati, non qui-,, dem Milevitani, sed alterius, quem D. Augustinus libro 2. contrà ,, Parmenianum aliisque locis deplorandi schismatis caput appellat, nec ,, non schismaticorum Basiliscum. ,, Hinc & laudatum libellum ut schismatis incentivum ita perhorruit Gallicana Ecclesia, ut statim Ar-chiepiscopus Parisiensis anno 1640. in Provinciali suo concilio Parisijs celebrato illum proscripserit, & tanquam Nefarium opus fuerit exe-cratus. Acta extant apud D. Bail. loco citato, ex quo illa desumpta in quorumdam de Gallicanâ Ecclesiâ malè sentientium refutationem subnectimus.

Bailius,

Acta concilij Parisiensis anno 1640,

145. ,, Universis Christi fidelibus nostræ curæ ac regimini commis-,, sis, Archiepiscopus & Episcopi Parisiensis Provinciæ, salutem in ,, Christo Iesu Domino nostro.

,, Cum nuper emissus in publicum, & per hanc Parisiorum urbem ,, sparsus fuerit libellus quidam hoc titulo: *Optati Galli, de cavendo schis-,, mate, ad illustrissimos Ecclesiæ Gallicanæ Primates, Archiepiscopos, Episcopos liber ,, paraneticus* 1640. quo in libello nefarius ac seditiosus auctor, non mo-,, dò id spectat, ut assumpto sibi magni quondam schismatum oppug-,, natoris eversorisque S. Optati Afri Milevitani nomine, & honestâ ,, tituli speciæ simplicium, & innocentium corda seducat; sed etiam ,, falsis, & iniquis dissimulationibus conatur Regi Christianissimo, ,, & eius ministris ac consiliarijs, nec non Ecclesiæ Gallicanæ Præsuli-,, bus atque adeò Gallis omnibus ignominiam conciliare: & sub fictâ ,, quadam schismatis suspicione civium animos à reverentiâ & obe-,, dientiâ Christianissimo Regi debitâ latenter ac fraudulentur avoca-,, re; nos Ioannes Franciscus de Gondi, Dei & sanctæ Sedis Aposto-,, licæ gratiâ primus Archiepiscopus Parisiensis, Leonorius Destam-,, pes Episcopus Carnotensis, Nicolaus de Nets Aurelianensis Epis-,, copus, & Dominicus Seguier Meldensis Episcopus, provincialiter ,, congregati in Archiepiscopali palatio Lutetiæ Parisiorum, duximus ,, huic tam exitiali malo, quantum in nobis esset, quantumque fieri

pro

,, pro concessi nobis à Deo muneris authoritatisque ratione; maturè
,, occurrendum esse, ne tam horrendum virus & execrandum
,, aliquos ex ijs, quos curæ & solicitudini nostræ commisit Deus,
,, occuparet. Quare pestiferum & infamem librum à nobis per-
,, lectum & diligenter examinatum damnavimus, damnamusque,
,, tanquam falsum, scandalosum, contumeliosum, pacis publicæ per-
,, turbativum, Regi Christianissimo, ejusque ministris ac Consilia-
,, rijs odium conciliantem, Præsulibus injuriosum sub falso & per sum-
,, mam improbitatem confícto schismate, cujus per Dei gratiam, ne
,, umbra quidem apud nos ulla est, Gallos à legitimâ obedientiâ &
,, subiectione avocantem, atque ad factiones, rebelliones, seditiones
,, excitantem: Subditisque nostris tam scelerati & perniciosi libri le-
,, ctione, & possessione interdiximus, & quotquot legerint aut retinue-
,, rint, censuris eos ac pœnis Ecclesiasticis obnoxios decrevimus &
,, decernimus. Actum Lutetiæ Parisiorum in nostra congregatione
,, Provinciali, anno Domini 1640. Die Mercurij, 28. Mensis Martij.
,, signatum.
,, I. Franciscus P. Archiepiscopus Parisiensis.
,, Leonorius Destampes Episcopus Carnotensis.
,, Nicolaus Episcopus Aurelianensis.
,, Dominicus Seguier Episcopus Meldensis.
,, De mandato eorumdem Illustrissimorum & Reverendissimorum
,, Dominorum Archiepiscopi & Episcoporum Provinciæ Parisiensis,

C. BAUDOIN.

146. An acrius Galliam defendere, & dirius libellum Optati Galli de cavendo schismate abominari potuerint Parisiensis Provinciæ Episcopi, vix scio: approbarunt quoque censuram Episcopi ex omni Galliâ tunc Parisijs res suas Ecclesiasticas pertractantes inventi his verbis:
,, Nos infrascripti Archiepiscopi & Episcopi, pro rebus Ecclesiæ Pa-
,, risijs agentes superiori censuræ ab Illustrissimis & reverendissimis
,, Archiepiscopo, & Episcopis Parisiensis Provinciæ confectæ, visæ &
,, examinatæ subscripsimus, anno & Die prædictis. Signatum.
,, Andreas Fremiot antiquus Archiepiscopus Bituricensis.
,, Cl. de Rebe Archiepiscopus Narbonensis.
,, Victor Coadjutor Turonensis.
,, C. de Noailles Episcopus S. Flori.

Galliarum Episcopi.

„ Iacobus Episcopus Sagiensis.
„ Henricus Episcopus Appamiarum.
„ Gaspardus Episcopus Albiensis.
„ Ludovicus Episcopus Mirapicensis.
„ Le Baron Episcopus Valentinensis & Diensis.
„ Iacobus Episcopus Xantonensis.
„ L. de Matignon Constantiensis Episcopus.
„ Ioannes Episcopus Boloniensis.
„ Gabr. de Beauveau Episcopus Nannetensis.
„ Franciscus Episcopus Augustopolitanus coadjutor Trecensis.
„ Robertus Episcopus Leonensis.
„ Petrus Archiepiscopus Antissiodorensis.

147. Galliæ Antistites præsagium discessionis à summo Pontifice in suis partibus imminentis, & consecrationis novi Patriarchæ Gallicani unanimiter ut somnium quoddam rejecerant, coram Deo & hominibus declarantes, ne umbram quidem ullam esse schismatis illius, unde & plures Optati Galli libro responderunt, sed inter cæteros Parisiensis Archiepiscopus de Marca, ut statim videbimus, qui libro 1. cap. 2. §. 3. in anonymum Optatum de tentatâ Communionis separatione reponit: „ quod tentatum fuisse, per summam impudentiam & „ calumniam impostor suadere nititur. „ Et perspicuè, ut solet, Doctor Habertius inter Sorbonicos celeberrimus in libro à se edito de consensu Hierarchiæ & Monarchiæ. Librum nondum obtinui, sed summarium illius alter Parisiensis Doctor D. Bail tomo 2. Conciliorum suorum inseruit, ex quo habemus, Habertium ostendisse vanas Optati coniectationes de proximo schismate, & de Patriarchâ consecrando, tum ex perpetuâ Regum Galliæ ergà summum Pontificem observantiâ: tum etiam quod à multis sæculis clerus Galliæ summo Pontifici addictissimus videatur præcavisse, ne quis Episcoporum suprà Galliam Primatum usurparet, cum in antiquis Concilijs præses multitudine suffragiorum electus fuerit: „ sic enim in 4. Aurelianensi „ anno 541. præfuit Leontius Archiepiscopus Burgalensis præsente „ Flavio Rothomagensi antiquitatis jure potiori. Et in quarto Con„ cilio Parisiensi anno 573. Primas tenuit Philippus Archiepiscopus „ Viennensis præsentibus Prisco Lugdunensi, & Constituto Seno„ nensi. „

De Marca.

Habertius.

148. Addit & defensionem Eminentissimi Cardinalis de Richelieu, quem Optatus de Patriarchatus ambitione insimulaverat, ubi econtrà

Haber-

Habertius ostendit : „ Animum alienissimum fuisse ab hac ambitione,
„ ut qui belli pacisque tempore maximam semper summo Ecclesiæ
„ Pastori reverentiam & subjectionem exhibuerit, ac exhiberi procu-
„ raverit, cum ejus exhortationibus Facultas Parisiensis 1. Decem-
„ bris, anno 1629. decreverit, ut omnes bacchalaurei propugnationi
„ suarum propositionum hoc juramentum præmitterent: *Protestor me*
„ *nec scripturum quicquam, quod adversetur sacræ Scripturæ, Concilijs œcumeni-*
„ *cis, decretis summorum Pontificum, & almæ Facultatis Parisiensis matris meæ,*
„ *quibus adhæreo, & me firmiter adhæsurum polliceor.* Totque alia obser-
„ vantiæ suæ ad summum Pontificem monumenta edidit, ut Urbanus
„ 8. epistolâ ad eum missâ die 23. Februarij anno 1627. maximis eum
„ cumulaverit laudibus, pœnitusque diversam ab Optato se de illo
„ opinionem concepisse demonstret. „ Hæc ex Habertio contrà Op-
tati Galli imposturas D. Bailius Doctor Parisiensis.

Habertius.

149. Quæ dicta sunt de Cardinali Richelio, ad confictam erroneæ opinionis famam per vulgum dispersam pœnitus extirpandam, vera esse, docet in vitâ Parisiensis Archiepiscopi de Marca Stephanus Balusius. „ Mensis martius (inquit) materiam præbuit novis de cavendo
„ schismate, quod præ foribus adesse nuntiabat Optatus Gallus. Sub
„ eo namque nomine latere voluit auctor, satis alioqui cognitus, si
„ larvam illi detrahere libêret. Occasionem turbandi sumebat
„ ex editione voluminum de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, quæ
„ anno superiori prodierant curâ clarissimi viri Petri Puteani, atque
„ item ex rumore vulgi differentis eam Cardinali Richelio mentem
„ esse, ut omisso Episcopo Romano, Patriarcha in Gallijs constitua-
„ tur. Aiebat præterea magnum virum in partes tractum promissis
„ ingentibus, qui scripto defenderet, quæ pro eâ causâ Cardinalis
„ facturus erat. Neque dubitatur, quin Marcam intelligeret. Cum
„ invidia hæc gravaret Cardinalem, eodemque telo Rex peti vide-
„ retur, ad quem omnia Richelij consilia referri omnes noverant,
„ Marcæ per Archiepiscopum Burdegalensem Regis nomine Impera-
„ tur, ut adversus hunc libellum scribat, sed ea methodo, ne liber-
„ tates Ecclesiæ Gallicanæ, quas per latus non occultè petebat Op-
„ tatus, aliquam paterentur injuriam; quinimmò id sedulò ageret, ut
„ omnes intelligerent libertates illas nihil detrahere de reverentiâ, quæ
„ debetur Romanæ Sedi, quam præ cunctis semper nationibus Galli
„ constantissimè retinuerunt. Suscepit curam libens &c. „ Ex quibus videre est, totum opus D. de Marcâ occasionem sumpsisse, ut

Balusius.

refelleret perversos illos de Gallicanâ Ecclesiâ rumores, quod & ipse D. de Marca adnotare non prætermisit libro 1. cap. 2. §. 3. Ubi expressè ait, se necessitatem communionis cum Romanâ Ecclesiâ prætermissurum fuisse, *Nisi famosus ille libellus, qui huic scriptioni ansam præbet, hoc nomine Galliæ Magistratus in crimen adduceret, quasi de hac intervertendâ vel conservandâ communione parum solliciti essent.* Et insuper in prologomenis primis anno 1641. editis, ubi totam sui operis structuram detegens ait, Gallicanæ Ecclesiæ libertates versari primum *In supremâ Romani Pontificis per Gallias auctoritate*, Quod refert exhibere librum primum; „ Quo (inquit) necessitas communionis cum Apostolica Sede „ asseritur, tum ex eo, quod Romanus Pontifex sit caput universalis „ Ecclesiæ, tum ex eo, quod specialiter constitutus sit Occidentis Pa„ triarcha, „ Adeoque nullus contrà ipsum in Occidente Patriarcha possit constitui.

De Marca

150. Hinc dum libri de Marca ob quasdam opiniones suo loco refellendas, à Sede Apostolica censuram incurrere visi sunt, hoc præcipuè ad notas Lucæ Holstenij in favorem operis urgebat, quod prò Sede Apostolicâ contrà pragmaticos definierit: „ Papam præter eum „ primatum, quo universæ Ecclesiæ præest, solum esse & immediatum „ Occidentis Patriarcham, Regibus verò non competere jus aliquod E„ piscopatum vel Metropolim instituendi, multò minus Patriarchatū „ Nimirum ut anonymus loquitur in liturâ censuræ operi D. de Marca præfixâ: cum pragmatici huc usque docuerant libertates Ecclesiæ Gallicanæ inniti inter alia huic fundamento 7. *Gallis competere ius eligendi & constituendi supremum aliquem Patriarcham, si Pontifex Regiis rationibus se non accommodet.* Et de his subdit idem auctor anonymus: „ Definitiones „ illæ copiosissimè & robustissimè refutatæ sunt ab auctore adeò felici „ eventu, ut plerisque magistratuum ferè jam persuasum sit, eas ab „ imperitis aut Ecclesiæ iniquis hominibus positas fuisse. „ Quinimmò post de Marca, hoc est peritorum in Gallijs effatum: inimicos esse Gallicanæ Ecclesiæ, qui hocce eam titulo apud imperitos reddere conantur odiosam.

De Marca.

Pragmatici.

CAPUT VI.

Conclusio hujus partis.

151. *Patriarchatus terminos non esse terminos Primatus Pontificij contra Salmasium ostendit Sirmondus.*

152. Re-

152. *Repetitur Ecclesiastici regiminis institutio: Petrum constitutum Pastorem universalis Ecclesiæ, alios constitutos pastores singularum Ecclesiarum, Episcopos in civitatibus, Metropolitas in Provinciis, exarchos & Patriarchas in Diœcesibus, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ Cura conflueret. Pontificem esse Episcopum Romæ, Metropolitam regionis Romanæ, primatem Italiæ, Patriarcham Occidentis, & Pastorem supremum universæ Ecclesiæ.*

151. NE quis ex dictis de Patriarchatus terminos somniet cum Græcis schismaticis, & quibusdam novatoribus, eum esse terminum potestatis Pontificiæ, lubet subjungere quæ vir eruditus Iacobus Sirmondus libro de suburbicarijs opposuit capite 5. Salmasio hæretico:,, Cum Episcoporum in Ecclesiâ quatuor præcipui sint gradus, qui ,, Synodi Chalcedonensis canone 9. & 17. designantur: Episcopi singularum civitatum, Metropolitæ Provinciarum, Primatus seu Exarchi ,, Diœceseon, & qui Sedes propriè dictas regunt Patriarchæ, consequenter & hos inter se gradus ita comparatos esse non ignoras, ut ,, superior inferiorem semper complectatur. Nam qui Metropolitanus ,, est Provinciæ, idem Episcopus est civitatis suæ, & qui Primas est ,, Diœcesis, idem & Metropolitanus Provinciæ suæ, & suæ item civitatis Episcopus, atque ita deinceps. ,, Sicut, inquit cap. 8. in exercitu Imperator, etsi peculiarem cohortis cujuspiam vel alæ præfecturam subeat, non eo fit, ut copiarum omnium dux idem & caput ,, esse non possit, sic in Ecclesiâ Catholicâ, reclament licet, terramque ,, cælo misceant Romanæ Sedis perduelles, unum eumdemque Pontificem Maximum diversas sacri muneris partes, & personas sustinere: nullisque vel tuis, vel aliorum exercitationibus ac Diatribis effici posse, quo minus is, etsi Pontifex Romanorum Ecclesiæ ut ,, proprius præsit Episcopus, & Provinciam Romanam ut Metropolitanus, Italiam ut Primas, Occidentem regat ut Patriarcha: idem ,, tamen universæ simul Ecclesiæ sibi in Petri personâ commissæ, ut ,, legitimus Petri successor, clavum teneat. ,, Ita Sirmondus.

Sirmondus

152. Hæc fuit igitur ecclesiastici regiminis institutio, ut Christus Ecclesiam suam in terris relicturus, uni Petro oves commiserit suas, juxtà promissum Matthei 16. de ædificandâ super eum Ecclesiâ, & clavibus Regni eidem committendis: at cum profusa fidelium numerositas requirebat hanc curam in plures dividi, ad exemplum instituti Divini, quo inter duodecim Apostolos unus electus Princeps cæteris præeminebat, Apostoli sumpserunt formam instituendi Ecclesiasti-

cum regimen, ut inter Presbyteros civitatis esset unus Episcopus, inter Episcopos Provinciæ unus Metropolita, inter Metropolitas Diœceseon unus Exarchus aut Patriarcha, „*Per quos* (inquit magnus Leo epistolâ 84. ad Anastasium Thessalonicensem) *ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil usquam à suo capite dissideret.* Enimverò licet Apostolorum Princeps Petrus Episcopatum retinuerat urbis Romæ, in quâ presbyteros solus ordinet, & reliqua munia obeat Episcopi: Archiepiscopatum aut munus Metropoliticum Provinciæ Romanæ, in qua & Episcopos consecrare & Concilia convocare, & causarum appellationes excipere soleat, cæteraque præstare, quæ Metropolitanis in suâ cuique Provinciâ communi jure conveniunt: Primatum, aut Exarchatum Italiæ, ex qua ut frequentiores Synodos indiceret, Episcopos convocaret, & non solum Metropolitas sed & consecraret Episcopos: Patriarchatum totius Occidentis, in quo speciali jure cuncta Patriarchica privilegia solus exerceret, uti cunctos Occidentis Metropolitas ordinare, & suffraganeos Metropolitarum consensu suo firmare, nisi gratiosè usum juris aliquibus indulgeret, eos omnes ad suum Patriarchale Concilium Romam evocare, eorum causas & controversias terminare, & alia Patriarchatus munia obire: attamen manebat Pastor universalis Ecclesiæ, ratione cujus Patriarchis ipsius Orientis prælatus, ad eorum Diœceses curam suam extenderet, eorumque Ecclesijs non minus ac ipsi invigilare deberet, ut & ipsi Orientis Patriarchæ & aliæ autocephalæ Diœceses referre deberent ad Sedem Apostolicam, appellare possent ad ipsius Iudicium, nihil statuere valerent in re communi absque illius sententiâ, & plura alia facere aut admittere in recognitionem primatus Pontificij, quem Leo Magnus tam præclarè conscribit divinitus institutum epistolâ ad Metropolitanos per Illyricum constitutos inter Holstenianas 25.: *Quia per omnes Ecclesias cura nostra distenditur, exigente hoc à nobis Domino, qui Apostolicæ dignitatis beatissimo Apostolo Petro primatum fidei sui remuneratione commisit, universalem Ecclesiam in fundamenti ipsius soliditate constituens.* Primatus istius jura clarius apparebunt ex sequentibus, ubi indagando præcipua Antiquitatis monumenta sæpius occasionem sumemus elucidandi Principatus Apostolici privilegia, quæ à Christo concessa perversorum ingenia ausu temerario nostro sæculo conantur infringere, ut quæ tota Antiquitas Divinitus instituta veneratur, nunc, proh Dolor; contemnet perversitas eo usque frontem meretriciam induens, ut falsitatis convicta nesciat erubescere, ac si gloriosum esset & schismaticis Græcis, & nefarijs hæreticis vires addere.

Leo I. Leo I.

ANTI-

ANTIQUITATIS ILLVSTRATÆ PARS SECUNDA.

De Rebus Ecclesiasticis.

A temporibus Apostolorum usque ad Nicenum Concilium.

Continens elucidationem de questione legalium, de Historiâ Marcionis circà excommunicationis absolutionem, de contentione Polycratis cum Victore Papâ circà observationem paschatis, de schismate Novatiano, de contentione circà rebaptizationem hæreticorum inter Cyprianum & Stephanum, de lapsu Marcellini & actis Sinvessani Concilij, de Schismate Donatistarum, ubi exponitur Concilium Arelatense primum cum alijs ob hoc Schisma peractis, de collectionibus Canonum Apostolorum, constitutionibus Clementis, Canonibus tam Conciliorum Generalium quam Provincialium, & primâ eorum collectione, quæ Codex Ecclesiæ universæ intitulatur, de collectionibus tam Græcorum quam Latinorum signanter Dionisij exigui & Isidori Mercatoris, qui ultimus epistolas decretales edidit, de quarum suppositione, uti & de Synodo Romana, Donatione & Baptismo Constantini inquiritur, quorum detrimento succurrit Canon 6. Nicenus.

DISSERTATIO I.

DE

Factis trium primorum sæculorum usque ad Nicenum Concilium.

CAPUT I.

Elucidatur quæstio de legalibus subindè controversa propter Paulum & Petrum Apostolos.

1. *Paulus venit Ierosolymam videre Petrum ut omnium Apostolorum Caput & Principem, ut firmant Tertullianus, Chrysostomus, Ambrosius, Theodoretus, ex quibus refellitur novissimus error bicipitis capitis.*
2. *Pro quæstione de legalibus Antiochiæ exortâ per Cherintum Paulus iterum ascendit Ierosolymam, præsertim ut à Petro solutionem afferret, idque stabilitur ex Theodoreto.*
3. *Ascendit quidem & ad alios Apostolos, & presbyteros, sed sub Petro in Concilium adunandos.*

CUm tuba Spiritus S. & præco veritatis Paulus gentium regiones peragrasset, *Veni* (inquit ad Galatas 1.) *Ierosolymam videre Petrum.* Subdit Tertullianus libro de præscriptionibus ad finem, ascendisse videre Petrum ex officio & jure: quod latius exponit magnum Orientis lumen D. Joannes Chrysostomus homiliâ 87. in caput 21. Ioannis: *Petrus os erat Apostolorum & Princeps, & vertex ipsius cœtus, proptereà & Paulus eum præter alios visurus ascendit.* Et commentaria sub nomine D. Ambrosij ad eumdem locum: *Dignum fuit ut cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegaverat Salvator curam Ecclesiarum.* Unde Theodoretus ibidem: *Apostolorum Principi, quem par est honorem tribuit*, utique ut majori, sicut exponunt Theophilactus & Oecumenus: ex quo loco insigniter refelluntur, ut animadvertit D. Bail tom. 2.

Chrysost. Ambros. Theodor.

tom.2. Conciliorum, classe 6. fol.809. qui biceps caput Ecclesiæ somniarunt, & omnimodam æqualitatem inter Petrum & Paulum sine subordinatione & subjectione Pauli ad Petrum effingere ausi sunt: Venit enim Paulus Ierosolymam visurus Petrum, ut suum & omnium Apostolorum principem, apud quem inquit Paulus, se mansisse diebus 15. quid autem egerit aut dixerit, latet nec scripsit: verisimiliter ei cuncta exposuit, quæ in gentibus operatus erat adjutrice Spiritus S. Gratiâ, ut qui curam omnium Ecclesiarum à Domino acceperat, Ecclesiarum notitiam pro solicitudine sua planè obtineret.

2. Pergit Paulus ad Galatas 2. *Deindè post annos quatuordecim iterum ascendi Ierosolymam cum Barnabâ, assumpto & Tito: ascendi autem secundum revelationem, & contuli cum illis evangelium, quod prædico in gentibus: Secretò autem cum iis, qui aliquid esse videbantur: ne fortè in vacuum currerem aut cucurrissem.* Expositione indigent verba Pauli, & primò occasionem iteratæ ascensionis ad urbem Ierosolymitanam exponit Evangelista Lucas Actorum 15. *Quidam descendentes de Iudeâ docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari. Factâ ergo seditione non minimâ Paulo & Barnabæ adversus illos, statuerunt, ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex alijs ad Apostolos & Presbyteros in Ierusalem super hâc quæstione.* Hujus tumultus Antiocheni auctorem tradit D. Epiphanius, fuisse Cherintum, sic enim loquitur lib. 1. adversus hæreses: *Atque charissime idem ille fuit* (Cherintus) *qui Apostolorum tempore tumultum illum excitavit, cum Iacobus cæterique Apostoli litteris Antiochiam scripserunt.* Cherintus itaque juxtà Epiphanium fuit dissensionis auctor, qui Paulo & Barnabæ fidem Antiochiæ prædicantibus obstitit, primumque inter fideles tumultum pro observatione circumcisionis & legalium excitavit, & in causâ fuit, quod primis Christianorum animis pro varietate opinionum divisis statutum sit, ut Paulus cum Barnabâ ex una parte, & alij quidam ex adversarijs ascenderent ad Apostolos & Presbyteros in Ierusalem. Sed cur in Ierusalem? Rationem licet colligere ex D. Ambrosij commentario in secundum caput ad Galatas, ubi traditur, Paulum à Iudeis ubique insimulatum fuisse, quasi dissentiret à prædicatione cæterorum Apostolorum, signanter verò Principis Apostolorum Petri: *Nam* (inquit Commentarius D. Ambrosij) *ipsâ occasione subversi sunt Galatæ à Iudeis dicentibus, quia aliud tradebat Paulus quam Petrus: hinc factum est, ut admonitus revelatione Domini ascenderet Ierosolymam cum testibus prædicationis suæ, id est Barnaba & Tito.* Erat enim & tunc Apostolorum Princeps Petrus ibidem commorans: undo

ad Gal. 2.

Lucas act. 15.

Epiphan.

Ambros.

unde Theodoretus Cyri in Oriente Episcopus scribit in litteris ad Leonem I. *Si Paulus præco veritatis, tuba Sancti Spiritus, ad magnum Petrum concurrit, ut iis, qui Antiochiæ de legalibus institutis contendebant, ab ipso afferret solutionem, multò magis nos, qui abjecti sumus & pusilli, ad Apostolicam vestram Sedem currimus, ut Ecclesiarum vulneribus medicinam à vobis accipiamus. Vobis enim per omnia primos esse convenit.* Fuit Theodoretus insigniter in omni antiquitate versatus, ut facillimè possit contingere, ex antiquioribus suo sæculo desumpsisse monumentis, quandoquidem adeò confidenter factum Pauli in exemplum adducat, quo firmaret & sibi & aliis Orientis Episcopis à Dioscoro in latrocinio Ephesino damnatis ad Petri successores licitum recurrere pro Ecclesiarum remedio; quod in Leone primo tunc Oriens universus agnosceret servari supremam Ecclesiæ potestatem à Salvatore primo Romanorum Pontificum Petro, sub ovilis & pastoris parabolâ concessam.

Theodor.

3. Scimus S. Lucam actorum 15. testari, Paulum & Barnabam cum adversariis ascendisse *ad Apostolos & Presbyteros in Ierusalem.* Sed hoc non impedit, quo minus ascenderint ad Petrum tanquam totius Ecclesiæ ipsorumque Apostolorum Principem. Enimverò potuit Paulus ad Petrum ut ordinarium Christi in terris Vicarium accedere, & simul ad alios Apostolos & Presbyteros sub Petro in Synodum coadunandos. Fautores enim Cherinti non solum Pauli famam prosciderant, quasi à doctrinâ Petri dissentiret, sed etiam quasi ab aliorum Apostolorum & fidelium doctrinâ esset aversus, & hinc inquit Theodoretus in commentario super epistolam ad Galatas; *Magis veritatis præcones Barnabas & Paulus prolatam ab eis doctrinam repulerunt: volentes autem fidelium cœtui persuadere, id quoque magnis videri Apostolis, in Iudæam contenderunt, & quæ ab illis facta fuerant, Apostolos docuerunt, litteras attulerunt, quæ apertè præciperent jugum legis non imponere gentibus.* Synodico Apostolorum judicio quæstionem Ierosolymæ fuisse terminatam indicat Theodoretus, quam sub Petro coadunatam hac de re decidisse, specialiter videndum est.

Theodor.

ARTI-

ARTICULUS I.

De Concilio Ierosolymitano pro legalium decisione.

4. *Adferuntur acta Concilij Ierosolymitani de quæstione legalium ex S. Luca, ex quibus ponderatur silentium disceptantis concilij ad sententiam Petri in signum ipsius primatus.*
5. *Nihil ex actis in contrarium probari posse, paucis pertractatur.*
6. *Neque Iacobus fuit in illo primas, sed Petrus, quem principem decreti statuit magnus Hieronymus.*

4. POst Pauli & Barnabæ narratum à S. Luca per Phœnicem & Samariam iter, pergit capite 15. *Cum autem venissent Ierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesiá & ab Apostolis & Senioribus annuntiantes, quanta Deus fecisset cum illis. Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes: quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi. Conveneruntque Apostoli & Seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum evangelij, & credere. Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis, & nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices Discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini* JESU CHRISTI *credimus salvari, quemadmodum & illi. Tacuit autem omnis multitudo. Et audiebant Barnabam & Paulum narrantes, quanta Deus fecisset signa & prodigia in gentibus per eos.* Huc usque acta Concilij, ex quibus colligitur, Paulum & Barnabam Ierosolymam venientes fuisse receptos à cœtu Apostolorum & Seniorum, quibus annuntiarunt, quanta fecisset Deus cum illis: an verò ab eodem cœtu tunc temporis celebratum fuerit Concilium, non apertè testatur Scriptura, licet videatur, quod sic intelligenda sint verba citata, ut cum Paulus & Barnabas narrando, quæ Deus cum ipsis egerat in gentibus, jam pervenissent ad dissensionem Antiochenam de legalibus, subitò surrexerint fautores Cerinti, qui duo potissimùm observanda dixerunt Christianis, circumcisionem nimirum & observantiam legalium seu Moy-

Lucas act. 15.

saicæ legis. Hisque propositis convenerunt Apostoli & Seniores videre de verbo hoc, id est, communicato consilio cœperunt tractare quæstionem, pro quâ dum undique magna fit concertatio, ac tota Apostolorum & Seniorum corona altè disceptat, de medio Concilij exurgens Petrus, *quid tentatis Deum*, (inquit) *imponere jugum super cervices discipulorum?* quo dicto *tacuit omnis multitudo*, subdit S. Lucas, idque in signum manifestissimum, quod Petri judicio acquiescendum duxerit omne Concilium, adeò ut jam dictâ sententiâ contentio finita esset nec amplius ventilanda.

D. Petrus.

5. Accuratè notanda veniunt acta hujus Concilij contrà plerosque adversarios, qui ex illis Petri successorumque primatum conati sunt infringere, & contrà illos, qui ex hoc Concilio stabilire studuerunt absolutam Synodorum necessitatem. Enimverò Petrum hoc Concilium expostulasse antequam sententiam proferre voluerit, apertè objecerunt Patres Synodi quintæ Vigilio Papæ volenti seorsum à Concilio sententiam dicere: at si hoc Concilium tantummodò fuerit cœtus Seniorum & Apostolorum, qui Paulum & Barnabam adventantes susceperunt, multum de efficaciâ argumenti minuitur. Interim ponatur, hunc Seniorum & Apostolorum cœtum fuisse posteà expressè convocatum ad discussionem hujus difficultatis: nihil hinc contrà Petri primatum, qui Concilio Ierosolymitano præsedit, & primum in eo tulit cum prærogativâ suffragium, cui adeò contulit universum Concilium, ut Petri auditâ sententiâ illicò obmutuerit, & ubi anteà magna concertatio fiebat inter Seniores & Apostolos, statim clamor sedatus sit; conquisitio cessaverit, & omnes tacitè acquieverint, pergentibus Paulo & Barnabâ in actorum suorum enarratione. *Tacuit autem omnis multitudo* (inquit S. Lucas) *& audiebant Barnabam & Paulum narrantes, quanta Deus fecisset signa & prodigia in gentibus per eos.*

S. Lucas.

6. Scimus post finitam actorum historiam Iacobum suum tulisse suffragium, & usum esse verbo illo: *judico.* Neque inquietandos sentiisse eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum, sed scribendum ad Antiochenos, ut abstineant se à contaminationibus simulachrorum & fornicatione, & suffocatione & sanguine, & tunc placuisse Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesiâ mittere Barnabam & Silam cum litteris Synodicis decisionem communem continentibus, undè Vincentius Belluacensis libro 8. cap. 11. censuit, Iacobum definitivam tulisse sententiam, eamque illi competiisse tanquam Ierosolymorum Episcopo, & Tostatus Abulensis in caput 17. Matthei conclusit, Iacobum

bum sententiam tulisse veluti totius Ecclesiæ organum, & quolibet de assistentibus majorem, idque in qualitate Episcopi Ierosolymitani, cui omnes Apostoli in regione illâ erant quodammodò subjecti. Verum errarunt viri periti, ut rectè observat Doctor & Propœnitentiarius Parisiensis Dominus Bail tomo 2. Conciliorum folio 2. Petrus enim ubique primatum tenebat à Christo concessum in hoc à reliquis Apostolis discretus, ut rectè animadvertit Ferdinandus Vellosillus Lucensium Episcopus in advertentijs ad 4. tomum Chrysostomi, quæstione 17.: quod cæteri Apostoli non haberent potestatem suprà se invicem, nisi solus Petrus, quem Christus omnium principem constituerat, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio. Et epistolâ 89. docet D. Hieronymus, disertis verbis scribens, Petrum *Principem huius fuisse decreti.* Cum enim primum tulisset judicium, tacitè acquievit omne Concilium, ut vidimus suprà, & D. Iacobus repetito Petri dicto illi subscripsit cum omni Ecclesiâ, *sicque in sententiam eius Iacobus & omnes simul Presbyteri transierunt*, Subdit D. Hieronymus suprà manifestè insinuans, Jacobum non tulisse prius sententiam definitivam, sed cum alijs dumtaxat subscripsisse, communi nomine litteras Synodicas transmittentes: *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Quæ omnia plerumque observarunt œcumenica subsequentium sæculorum Concilia, etiam sacrosanctum Tridentinum præcedenti sæculo ex Occidente universo celebratum, quod dato Romanæ Sedi primo cum prærogativâ suffragio, decreta fidei & morum sub nomine Synodico & communi Episcoporum promulgavit.

D. Hieron.

Actor. 15.

ARTICULUS II.

Exponitur reprehensio Petri per Paulum circà observationem legalium.

7. *Proponitur facti species ex S. Luca, & Porphyrij criminatio, ac si Paulus malè fecisset reprehendendo Petrum, statuitur fundamentum totius difficultatis inter patres motæ.*
8. *Porphyrius reiicitur ab Origine, Eusebio Emiseno, Theodoro Heracleote, Chrysostomo, & D. Hieronymo exinde, quod reprehensio non fuerit vera sed simulata dumtaxat, ut pluribus exponit Chrysostomus.*
9. *At hac interpretatio non placuit Augustino, qui cum Ambrosio, Cypriano,*

& Tertulliano exponit locum de verâ reprehensione, sed fraternâ, quæ non lædit superioritatem Petri.

10. *Hinc & Patres, qui veram reprehensionem sustinent, undecumque rationes investigasse monstrantur, quibus salvâ Petri superioritate correptionem à Paulo factam ostendant,* Cypriano, *Augustino, Gregorio* 1. *& facundo Hermianensi humilitatem Petri extollentibus.*

11. *Commentarius D. Ambrosio adscriptus & D. Thomas ex pari Apostolatus electione rationem desumunt, at primatus honorem Petro salvum volunt.*

7. GRavis est hæc difficultas non jam inter plebem & Apostolos, sed inter ipsos Apostolos post decretum Ierosolymitani Concilij circà observationem legalium exorta. Evangelium prædicabat Antiochiæ Doctor gentium Paulus, ubi & excepit Apostolorum principem Petrum, & pergit ad Gal. 2. *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim, quam venirent quidam à Iacobo, cum gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant, & simulationi ejus consenserunt cæteri Iudæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in eam simulationem. Sed cum vidissem, quod non rectè ambularent ad veritatem evangelij, dixi Cephæ coram omnibus: si tu cum Iudæus sis, gentiliter vivis, & non judaicé, quomodo gentes cogis judaizare?* Hæc Petri reprehensio à Doctore gentium Paulo peracta, de quâ omnium primus initio nascentis Ecclesiæ quæstionem instituit Prophanus Porphyrius teste luculentissimo Hieronymo epistolâ inter Augustinianas 11. ubi de Porphyrio scribit: *Pauli arguit procacitatem, quod Principem Apostolorum Petrum ausus est reprehendere & arguere in faciem, ac ratione constringere, quod malè fecerit.* Ubi duo quædam habet gentilis philosophus: primò Petrum primis Ecclesiæ sæculis habitum fuisse ut Apostolorum Principem, adeoque superiorem. Secundò Paulum ideò malè fecisse arguendo Petrum, pro scelere reputans, quod inferior superiorem ausus esset reprehendere.

Ad Gal. 2

D. Hieron.

8. Gravissima visa fuit posterior illa difficultas à Porphyrio mota, hinc torsit plurimorum Patrum ingenia, Origene 10. stromatum libro interpretari hunc locum incipiente de simulatoriâ reprehensione, ac si Paulus simulasset reprehensionem Petri: quam expositionem plures Orientales posteà amplexi sunt, ut Eusebius Emisenus, Theodorus Heracleotes, quinimmò teste Hieronymo: *Cæteri deinceps interpretes:* inter quos non solum sanctitate, sed & doctrinâ per Orbem illustris magnus Ioannes Chrysostomus, qui omnes conati fuerunt, & Petrum

Origenes.

Eusebius

Theodorus

ab

ab errore, & Paulum liberare à culpâ per Porphyrium prætensâ. Alitè considerat Chrysostomus summam Pauli subjectionem & reverentiam, qua Petrum prosequi solebat ut suum & omnium Apostolorum Principem, hinc firmiter concludens eodem ad Galatas loco non verè à Paulo potuisse reprehendi, sed id fieri debuisse conventione primum initâ, ut silente Petro ad reprehensionem Pauli, Iudei quoque confunderentur, qui nondum in fide firmati putabant observanda legalia, & abstinendum à cibis immundis lege Moysaicâ vetitis. *Quoniam* (inquit D. Chrysostomus ad hunc locum) *Iudei vehementer harebant legi, ideò Petri factum appellat simulationem, & severius increpat, ut persuasionem illis radicitus infixam evelleret. Et hac audiens Petrus iungit cum Paulo simulationem, quasi deliquisset, ut per ipsius objurgationem corrigerentur. Etenim si Paulus objurgasset eos, qui erant ex Iudeis, indignè tulissent, ac respuissent ipsius objurgationem. Nec enim admodum magnificè de illo sentiebant. Nunc autem cum conspiciunt Doctorem suum obiurgatum obticere, neque contemnere, neque contradicere Pauli verbis poterant.* Hæc D. Chrysostomus, pergit vero Hieronymus epistolâ supracitatâ addendo, Petrum à Paulo non potuisse seriò reprehendi in observatione legalium, quandoquidem ipsemet Paulus ea observarat: *Dicimus* (subdit Hieronymus) *quod propter metum Iudeorum & Petrus & Paulus aqualiter finxerint, se legis pracepta servare: quâ igitur fronte, quâ audaciâ Paulus in altero reprehendat, quod ipse commisit? Ego immò alij ante me exposuerunt causam, quam putaverant non officiosum mendacium defendentes, sicut tu sentis, sed docentes honestam dispensationem, ut & Apostolorum prudentiam demonstrarent, & blasphemantis Porphyrij impudentiam coercerent.* Et ex hâc patrum expositione lucet, nihil difficultatis inesse facto Pauli, cum per illud ne in minimo quidem lædatur auctoritas Apostolorum Principis Petri.

Chrysost.

Hieron.

9. Fateor hanc Patrum solutionem non ab omnibus probari, pluribus existimantibus aut Paulum, quod absit, fuisse mentitum, aut Petrum (ut Paulus insinuat) verè fuisse reprehensum: sic enim sentiunt D. Ambrosius in commentario loci, D. Cyprianus epistolâ 71. & ante illos Tertullianus libro 5. contrà Marcionem, capite 3. ubi ait: *Paulus reprehendit Petrum non rectò pede incedentem ad Evangelij veritatem, planè reprehendit non ob aliud, quam ob inconstantiam victus, quem pro qualitate personarum variabat.* idem planè sensit Augustinus epistolâ 19. ad Hieronymum stylo acriori reponens D. Hieronymi argumento, Paulum non aliud sensisse, quam scripserit, & pergit: *Satius est credere Apostolum Paulum aliquid non verè scripsisse, quam Apostolum Petrum non rectè aliquid egisse? hoc*

Tertullian.

D. August.

si ita est, dicamus (quod absit) satius est credere mentiri evangelium, quam negatum esse à Petro Christum. Verba itaque Pauli in rigore non simulatoriè intelligenda putavit Augustinus, nè verò aliquis calumnianti Porphyrio aures præberet: *Quod* (subdit ibidem) *à Paulo fiebat utiliter libertate charitatis* (Petrus) *sanctâ ac benignâ pietate humilitatis accepit: atque ita rarius & sanctius exemplum posteris præbuit, quo non dedignarentur, sicubi fortè recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi, quam Paulus, quo confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendendâ evangelicâ veritate salvâ fraternâ charitate resistere . . . : est itaque laus justæ libertatis in Paulo & sanctæ humilitatis in Petro, quæ quantum mihi pro modulo meo videtur, magis fuerat adversus calumniantem Porphyrium defendenda, quam ei daretur obtrectandi major occasio, quo multò mordacius criminaretur christianos fallaciter, vel suas litteras scribere, vel Dei sui Sacramenta tractare.* Ex quibus apparet etiam positâ verâ Pauli reprehensione, tantum abesse, hic Petri superioritatem læsam, ut solummodò ex charitate fuerit fraternè correptus, ad quod nullatenus requiritur iurisdictio vel authoritas superioris, ut omnes norunt, & rectè animadvertit Dominus Bail tomo 2 Conciliorum fol. 809. agens de Pauli reprehensione: „ Hoc non magis arguit Paulum „ æqualem aut superiorem fuisse D. Petro, quam fuerit Nathan respectu „ David, cum eum arguit. Quia reprehensio ista non fuit juridica & „ ex auctoritate, sed fraterna correctio ex charitate. „

Augustin.

Bailius.

10. Et ex his egregiè refellit defensorem bicipitis capitis Parisiensis Doctor Habertius libro 2. de singulari Petri Primatu capite 4. ostendens ex hac reprehensione nullatenus sequi æqualitatem Pauli cum Petro, quinimmò omnes Patres, qui Petrum etiam verè reprehensum fuisse sustinent, causas investigasse ostendit, „ quæ ab inferiori „ posse superiorem aliquandò reprehendi persuadeant. „ Sic Cyprianus epistolâ ad Quintum: *Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, non vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret, se primatum tenere, & obtemperari à novellis & posteris sibi potius oportere.* Oculo irâ perturbato loquitur Cyprianus contrà Stephanum Pontificem: vides interim, quam firmiter supponat Petri primatum, & Pauli sub ipso subjectionem, hincque ostendi humilitatis exemplum quod Petrus præbuit, dum à novello & posteriore correptus auctoritatem suam non opposuit, sed ut consonat magnus Augustinus, *potius sanctâ ac benignâ Pietate humilitatis accepit.* Idem habet D. Gregorius homiliâ 18. in Ezechielem, ubi narratâ huius reprehensionis historiâ, docet Petrum

Habertius.

D. Cypria.

S. August.

trum factum fuisse sequentem minoris sui, & addit: *Quatenus, qui primus erat in Apostolatus culmine, & primus esset in humilitate. Pensate ergo in quo mentis vertice stetit Petrus, qui epistolas Pauli laudavit, in quibus scriptum se vituperabilem invenit. Ecce à minori suo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur.* Idem demum inculcat Facundus Hermianensis Episcopus libro 10. de tribus capitulis, cap. 2.: *Petrus Apostolorum primus cum non rectè ambularet ad veritatem Evangelij, reprehensus à Paulo minimo Apostolorum, non indignè tulit, nec pro sui primatus gloriâ resistentem sibi despexit: quoniam charitas, quæ Paulum ad arguendum prioris culpam fidenter erexerat, eadem Petrum ad suscipiendam minimi correctionem dociliter inclinabat.* Hic enim videre licet, omnes Patres quantumvis veram Pauli reprehensionem defendant, Petri tamen primatum ubique salvum voluisse & intactum.

Gregor. I. Facundus Hermian.

11. Scio alios Patres aliundè rationes desumpsisse ad excusandum gentium doctorem Paulum, sicque D. Ambrosium in commentario loci urgere Pauli paritatem in Apostolatus electione: *Nam* (inquit) *quis eorum auderet Petro primo Apostolo, cui claves regni Cœlorum Dominus dedit, resistere, nisi alius talis, qui fiduciâ electionis suæ, sciens se non imparem, constanter improbaret, quod ille sine consilio fecerat.* Consentit D. Thomas 22. quæst. 33. art 4. ad secundum. Publicè inquit, *Paulus Petrum non reprehendisset, nisi aliquo modo par esset quantum ad fidei defensionem, utique Apostolatus electione non primatus honore. Nam Paulus*, subdit D. Thomas, *qui erat subditus Petro, propter imminens periculum scandali circà fidem, Petrum publicè arguit.* Hinc tamen ne quis concluderet Petri lapsum fuisse in fide, sit.

Comment. D. Ambr. D. Thom.

ARTICULUS III.

An Petrus hic erraverit in doctrinâ fidei?

12. *Qui putant Petri lapsum fuisse errorem in fide gravissimum, non habent sibi faventem Augustinum, ut putant, existimante Augustino lapsum contigisse ante definitionem Concilij Ierosolymitani.*

13. *Petri lapsum ipse Paulus exhibet fuisse circà esum ciborum, quod Tertullianus asserit conversationis vitium.*

14. *Tertulliano accedunt B. Lanfrancus, D. Petrus Damiani, & S. Thomas.*

15. *Idque ulterius firmatur ex dono infallibilitatis per Spiritus Sancti assistentiam Apostolis in Scripturâ promissam & à Synodo Generali 5. recognitam.*

16. *Id*

16. *Id à fortiori locum habet de Petro, pro quo teste Leone I., Christus specialiter oravit, unde & Sorbona Parisiensis damnavit Marcum Antonium de Dominis asserentem, Petrum post Spiritus Sancti illapsum decidisse à fide.*

12. Non desunt, qui suppositâ Augustini de facto Petri à Paulo verè reprehensi sententiâ, sustinent, Petri defectum fuisse gravissimum in fide errorem pro fundamento assumentes locum quemdam Augustini, ubi dicit: Cyprianum potuisse citrà veritatem docere rebaptizationem hæreticorum, sicut Apostolus Petrus citrà veritatem locutus fuit de observatione circumcisionis huic aliquatenus consonat commentarius D. Ambrosij in cap. 2. ad Galatas, ubi ad ista verba: *Quomodò gentes cogis Iudaizare.* adiungit: *nunc aperit causam reprehensionis: non enim aliquid fuisset erroris, si præsentibus Iudeis, dissimulasset à gentilibus timens scandalum: sed hic tota causa reprehensionis est; quia advenientibus Iudeis ab Iacobo, non solum segregabat se ab eis, cum quibus gentiliter vixerat, sed & compellebat eos judaizare causâ timoris illorum, ut quid horum verum esset, ignorarent gentiles: sciebant enim ipsum secum, non quasi Iudeum vixisse. Post autem audientes ab eo, quia Iudeorum instar sequendum esset, hæsitabant utique, quid esset verum?* Hinc enim sequi videtur, Petrum non solum facto sed & ipsâ doctrinâ populum Antiochenum incitasse ad observationem legalium. At absit à D. Ambrosio tam injuriosa principi Apostolorum expositio: non obligavit Petrus fideles ad legalium observationem tanquam saluti necessariam, sed tanquam hic & nunc ob præcavendum Iudeorum scandalum convenientem, idque non in omnibus, & ut adversarij autumant ex testimonio Augustini in observatione circumcisionis, sed in solâ à cibis immundis abstinentiâ, ut statim ex sacrâ Scripturâ ostendemus: hoc interim ad testimonium D. Augustini adnotare sufficiat, sanctum illum doctorem existimasse, quod Petri error contigerit ante Ierosolymitanum Concilium, adeoque ante decisionem & definitionem illius Synodi, sicut & error Cypriani contigit ante decisionem generalis Ecclesiæ in Concilio Niceno repræsentatæ: *Magis* (inquit Augustinus epist. 19.) *arbitror hoc Petrum fecisse ante illud Ierosolymitanum Concilium.* Et sic lucet Augustinum, ut Petrum ab errore in fide defenderet, sustinuisse, lapsum contigisse ante definitionem, in quo cum à verâ & communi Patrum sententiâ discedat, pace D. Augustini, qui neminem suæ sententiæ inhærere voluit, quandò aliundè certius aliquid innotescit, ab ipso hoc loco discedam, & lapsum Petri in solâ ciborum abstinentia consistere, tam ex sacrâ Scripturâ quam Patribus evincam.

Comment. D. Ambr.

Augustin.

13. Petri

13. Petri erratum uti correxit, ita & exposuit ad Galatas secundo capite Doctor gentium Paulus his verbis: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam: in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim, quam venirent quidam à Iacobo, cum gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant. Et simulationi ejus consenserunt cæteri Iudei, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cum vidissem, quod non rectè ambularent ad veritatem evangelij, dixi Cephæ coram omnibus, si tu cum Iudeus sis, gentiliter vivis, & non Iudaicè: quomodò gentes cogis Iudaizare?* En totum Petri delictum: quod postquam legati Iacobi Apostoli venissent Antiochiam, Petrus non amplius edebat cum gentibus, sed segregaret sese timens eos, qui ex circumcisione erant, unde alij sumpserunt occasionem errandi circà ciborum delectum. *Non de prædicatione* (inquit rectè Tertullianus libro 4. contrà Marcionem in principio) *sed de conversatione à Paulo denotabatur, personarum enim respectu videbatur variare convictum*: & initio libri quinti: *planè reprehendit, non ob aliud tamen, quam ob inconstantiam victus, quem variabat pro qualitate personarum.* Neque aliud voluit D. Ambrosius suprà, nisi forsan, quod à Petro timente Iudeorum scandalum putet Barnabam Apostolum aliosque fideles inductos, ut causâ timoris illorum à cibis immundis & gentilium mensis abstinerent, quod equidem manet non doctrinæ sed exempli, ut constanter tradit contrà Marcionem Tertullianus: *conversationis enim vitium fuit, non prædicationis.*

ad Gal. 2.

Tertullian.

Tertullian.

14. Tertulliani sententiam lucidè amplexus est B. Lanfrancus Cantuariensis in Angliâ Episcopus in commentario ad hæc verba Pauli: *Cogis iudaizare*: [*exemplo suo gentes indaizare cogebat Petrus, & ritum Iudeorum sequi, quandò ipse in præsentiam eorum, qui ex Iudeis crediderunt à consortio gentilium more judaico se subtrahebat.* Idem satis clarè in disceptatione Synodali opusculo 4. tuetur D. Petrus Damianus, ubi scribit ad hæc verba Scripturæ. *Priusquam venirent quidam à Iacobo, cum gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat se, & segregabat, timens eos, qui ex circumcisione erant.* [*Cernimus ergo Petrum non rigidum, sed discretum. Timebat enim Iudeos, ne per occasionem gentium à fide recederent Christianorum, & ne perderet gregem creditum, boni pastoris est imitatus exemplum.* Et infrà Regio advocato obiicienti, Petrum à Paulo hanc ob rem reprehensum, reponit: *Quod Petrus egit compassione misericordiæ, hoc Paulus arguit prò magisterio disciplinæ: ille quod fecit dispensativè, ut infirmis tolleret scandalum: hoc iste corripuit, ne indiscretus quilibet passim adduceret in exemplum.* Quibus verbis

B. Lanfr.

ad Gal. 2.

D. Petrus Damiani.

licet D. Petrus Damianus Petrum ab omni planè delicto excusare videatur, dicendum tamen cum sancto Thoma 22. q. 43. art. 6. ad 2.

D. Thom. *Quod Petrus peccavit quidem, & reprehensibilis fuit secundum sententiam Augustini & ipsius Pauli subtrahens se à gentilibus, ut vitaret scandalum Iudeorum, quia hoc incautè aliqualiter faciebat: ita quod ex hoc gentiles ad fidem conversi scandalizabantur. Non tamen factum Petri erat tam grave peccatum, quod meritò possent alij scandalizari. Vnde patiebantur scandalum passivum, non autem erat in Petro scandalum activum.*

15. Licet prædicta Patrum testimonia abundè ostendant, Petri lapsum fuisse exempli, non doctrinæ, nec erroris fidei, unum illudque indubitatum fundamentum adjungo ex Apostolorum circà fidem infallibilitate desumptum: enimverò cum Christus Apostolos suos elexisset ad evangelium suum annuntiandum omni creaturæ, promittit eis Spiritum sanctum suo nomine à Patre cælesti mittendum, & pergit Ioannis 14. *Ille vos docebit omnem veritatem.* Et clarius Ioannis 16. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ex quibus promissionibus actorum capite 2. per infusionem Spiritus sancti adimpletis, persuasum fuit Patribus, singulos Apostolos à Spiritu sancto obtinuisse lumen veritatis ab omni erroris exemptum periculo, unde illud Ioannis Chrysostomi homiliâ in 12. Apostolos tomo 5. *Vos enim rectæ fidei immobiles estis columnæ.* Et illud D. Petri Damiani sermone 42. *Apostoli sanctæ Ecclesiæ bases sunt & columnæ.* Quibus consonat D. Ambrosius in commentario exponens qualiter Paulus ascenderit pro contentione legalium in Ierusalem, dicit enim id nullatenus fecisse, ut aliquid ab aliis Apostolis addisceret: *Nec enim aliquid ab eis discere potuit, quia à Deo fuerat instructus.* Utique infallibili Spiritus sancti illustratione, qua omnes Apostoli dirigebantur, ut preclarè testatur Synodus Generalis quinta, collat. 8. *Licet Spiritus sancti gratia, & circà singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea, quæ agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, prinsquam communiter congregati divinarum scripturarum testimoniis unusquisque dicta sua confirmaverunt.* Disertè (subdit Christianus Lupus parte 4. circà finem canonis 21. dictatus Gregorij 7.) „Patres „quintæ Synodi profitentur, & singulos Apostolos fuisse circà fidem „infallibiles.„

Ioan. 14.
Ioan. 16.
D. Chrys.
D. Petrus Damiani.
Comment: D. Ambr.
Synodus 5.
Lupus

16. Hoc autem supposito de infallibilitate omnium Apostolorum, quis tam hebes & pertinax, qui id denegandum Petro affirmaret, de quo magnus Leo sermone 3. pro anniversario suæ assumptionis respiciens

ciens ad Christi promissionem Lucæ 22. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua:* Scribit, *commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & Divinæ protectionis auxilio pariter indigebant. Quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat eludere. Et tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit.* Ex quibus alijsque firmiter concludimus cum Sorbonâ Parisiensi, tantum abesse, quod Petrus post Christi obitum in fide erraverit, ut planè censurâ digna sit talis propositio cum hâc Spalatensis libro 1. cap. 6. num. 35. *Petrus fermè statim ab illâ eâdem fide decidit, scilicet post confessam Christi Divinitatem Mathei 16. neque semel, sed sæpius titubavit, etiam post Christi ascensionem, & Spiritus S. illapsum.* Quam facultas Parisiensis hac censurâ innodavit. *Hæc propositio est erronea, temeraria, & in B. Petrum contumeliosa.*

Lucæ. 22. Leo I.

Spalatensis propositio.

Censura Sorbonæ.

CAPUT II.

Elucidatur Historia Marcionis, & ostenditur contrà Ioannem Launoium, ab initio Ecclesiæ Pontificem absolvisse alterius excommunicatos.

17. *Adducitur facti species ex S. Epiphanio de Marcione excommunicato, neque ad communionem Romæ admissa post obitum Hygini.*

18. *Ex eo, quod Marcioni responsum sit, absque segregantis Episcopi consensu non posse recipi ad communionem, deducit Launoius Superioritatem Concilij.*

19. *Id ulterius confirmat exinde, quod Conciliorum lex fuit, & illi obedire debebant Pontifices.*

20. *Pro elucidatione Historiæ Marcionis præmittitur, sede vacante nihil innovari, & sic Marcionem meritò Romæ laudatum responsum obtinuisse, quod post obitum Hygini sede vacante admitti postulaverat.*

21. *Romano Pontifici autem competere auctoritatem absolvendi alterius excommunicatos, probatur primò ex ipso Marcione, qui Tertulliano teste tempore Eleutheri Romæ fuit in communionem plusquam semel admissus, ex quo refellitur Launoius.*

22. *Secundò ex Asianis à Zephyrino ad communionem admissis, non consentientibus segregantibus Episcopis, ut libro contrà Praxeam testatur idem Tertullianus, & egregiè animadvertit Perronius.*

23. *Tertiò ex D. Athanasio; Paulo Constantinopolitano, aliisque Orientalibus per Synodum Antiochenam damnatis, & à Iulio primo communioni restitutis contrà Eusebianos, id confirmante Synodo Sardicensi.*

24. *Quartò ex Innocentio primo, & Gelasio Papâ.*

25. *Cabilonensis Synodus & Hatto Basileensis Episcopus videntur obstitisse, at solvitur difficultas ex aureo Caroli Magni rescripto.*

26. *Discutiuntur alia testimonia à Ioanne Launoio allata, signanter Gregorij 7. quem, tantum abest, favere illi sententiæ, quæ sustinet Pontifices non posse alterius excommunicatos absolvere, ut illud Eusebianorum fictioni attribuat.*

27. *Certum itaque esse ab initio Ecclesiæ Romano Pontifici ius competere absolvendi alterius excommunicatos, licet quandoque statutum, epistolas segregantis Episcopi requiri ad fraudem vitandam, uti intelligendi sunt Ioannes 8. Benedictus 9., aliique plures suo loco videndi.*

17. Quod Romanus Episcopus in Apostolorum Principe Petro à Christo acceperit summam ligandi & absolvendi potestatem, ostendimus dissertatione prima ex loco evangelij Matthæi 16. unde credidit omnis antiquitas, ipsi competere potestatem excommunicandi fideles per totam Ecclesiam, & absolvendi quoque ex omni Ecclesiæ parte ad ipsum pro absolutione recurrentes, ut statim videbimus, postquam Marcionis historiam elucidavimus, quam Ioannes Launoius obiicit epistolâ 1. ad Antonium Faurum, & ejusdem partis 1. epistolâ ad Ludovicum Cusinum latius prosequitur, adductâ facti specie ex S. Epiphanio, qui hæresi 42. sic habet: *Marcion fuit genere Ponticus, parente natus Catholicæ communionis Episcopo. Posteà cum virginem quandam adamasset, ac fraudibus pellexisset, ab spe vitæ cælestis illam juxtà ac semetipsum, deiecit. Ob hunc igitur incestum Ecclesiâ ab ipso parente pulsus est, viro cum primis religioso, ac veritatis amore flagrantissimo & in hac Episcopalis muneris administratione præstanti. Cui cum Marcion diu multumque supplicasset, ac pœnitentiam postulasset, hanc à patre precibus nullis obtinuit. Vehementem siquidem ex eâ re dolorem optimus senex Episcopus cœperat, quod non ille solum excidisset, sed & ignominiam sibi ac dedecus imposuisset. Ergò ubi se nullis artibus oblandiri posse, quod cuperat, animadvertit, popularium suorum probra & ludibria non sustinens, clam ab oppido secessit, ac Romam post Hygini Papæ obitum sese contulit, qui à Petro Pauloque Apostolis nonus Ecclesiæ præfuerat. Eo statim atque pervenit Marcion, ad seniores adiens, qui ab Apostolorum Discipulis edocti supererant, ut in communionem admitteretur, frustrà ab iis petiit. Quamobrem exstimulatus invidiâ, quod principem illic locum, ac ne Ecclesiæ quidem aditum impetrasset*

Epiphan.

petrasset, ad impostoris Cerdonis hæresim confugere in animum induxit, &c. Cumque Marcion propositum de non insuendo veteri pannum novum quæstionem prosequeretur: *Palam eos alloquens, cur me, inquit, recipere noluistis? Respondere illi: nos iniussu venerandi patris tui facere illud non possumus, una si quidem fides, & animorum una consensio, neque contrà spectatissimum collegam patrem tuum quidquam moliri possumus.* Hæc sunt verba, quibus Ioannes Launoius epist. 1. utitur ad depromendam ex Pii primi & cleri Romani responsione superioritatem Concilij.

18. Latius ut dixi, id prosequitur epistolâ ad Ludovicum Cusinum, ac probare conatur ex historiâ Marcionis Apostolorum fuisse traditionem, excommunicatum ne quidem à Romano Pontifice communionem obtinere potuisse absque segregantis Episcopi consensu. „ In narratione hac (inquit Launoius) locus est, ex quo Apostolica „ non operosè colligitur traditio; *Eo* (Romam) *statim ac pervenit, Mar-„ cion ad seniores adiens, qui ab Apostolorum Discipulis edocti supererant, ut in „ communionem admitteretur, frustrà petiit.* Igitur, qui excommunicato „ Marcioni communionem denegarunt Romanam, ab Apostolorum „ Discipulis cum edocti fuerint, hos de familiaribus Apostolorum in-„ stitutionibus, & præceptis edoctos fuisse necesse est; alioqui nun-„ quam sic abscisse dixissent Marcioni: *Nos iniussu venerandi patris tui, „ facere illud* (quod petis) *non possumus: contrà spectatissimum patrem tuum „ quidquam moliri non possumus:* „ & posteà.„ Stat igitur verè Apostolica „ traditio, qua ne Romanus quidem Episcopus potest hominem ab „ alio Episcopo communione privatum sine privantis Episcopi assensu „ communioni restituere.„

Launoius.

19. Hanc Apostolicam traditionem stabilire studet varijs Concilijs circà prima Ecclesiæ sæcula celebratis, ut ex Concilij Illiberitani canone 53.: *Placuit cunctis, ut ab eo Episcopo quis recipiat communionem, à quo abstentus in crimine aliquo fuerit. Quod si aliquis Episcopus præsumpserit eum admittere, illo adhuc minimè sciente vel consentiente, à quo fuerat communione privatus, sciat se hujusmodi causas inter fratres esse cum status sui periculo præstaturum.* Concilij Arelatensis primi canone 16.: *De his qui pro delicto suo à communione separantur, ita placuit, quibuscumque locis fuerant exclusi, eodem loco communionem consequantur.* Niceni Canone 5.: *De his qui communione privantur seu ex clero, seu ex laico ordine ab Episcopis per unamquamque Provinciam, sententia regularis obtineat, ut hi qui, abiiciuntur, ab alijs non recipiantur.* Concilij Sardicensis canone 17. *Osius Episcopus dixit: hoc quoque omnibus placet, ut sive Diaconus, sive Presbyter, sive quis Clericorum, ab Episcopo suo communio-*

Canon. Illiber.

Canon. 16 Arelaten.

Canon 5. Nicen.

Canon 17. Sardicensis

ne privatus fuerit, & ad alterum perrexerit Episcopum, & scierit, ad quem confugit, eum ab Episcopo suo fuisse abjectum, non oportet, ut ei communionem indulgeat: quod si fecerit, sciat, se convocatis Episcopis causam esse dicturum. Universi dixerunt, hoc statutum & pacem servabit, & concordiam custodiet. Conciliorum canonibus adjungit Launoius plurima Pontificum testimonia, quibus profitentur, sese esse canonum custodes, & signanter duos, qui hoc statutum canone conscriptum obiiciunt, ut Innocentius primus epistolâ ad Victricium Rothomagensem, cap. 4.: *Hoc etiam Synodus statuit Nicena, ut abjectum ab altero clericum, altera Ecclesia non recipiat.* Et Nicolaus I. epistolâ 9. ad Michaëlem Imperatorem: *At nos è diverso credimus, quod Ecclesia Christi sacros canones & præcipuè Nicenos non tradat oblivioni, præcipientes videlicet, ut hi, qui abiiciuntur, ab alijs non recipiantur.* Omitto alios Pontifices, quos Launoius adducit, utpotè statim referendos, ac si in recipiendis aliorum excommunicatis sine Episcopi segregantis consensu potestatem sibi abjudicaverint, ex quibus Pontificem Romanum subjectum Concilijs sæpius collegit, ac in fine laudatæ epistolæ, celebria quædam instaurata Scholæ Parisiensis dogmata hauriri contendit.

Innoc. I.

Nicolaus. I

20. Antequam historiam Marcionis contrà Ioannis Launoij commentaria elucidem, animadverto cum Facultatis Theologicæ Parisiensis Doctore & professore regio Andrea Duvallio lib. de ecclesiasticâ potestate, pagina 58. anno 1612.: „ sede vacante, ut jure cavetur, nihil innovari debet, nec decreta in fide & moribus fieri, nec alia quam plurima similiter perfici. „ Quod ut ex antiqua Ecclesiæ praxi confirmetur, illustrius desiderari non potest testimonium, quam illud ex responso Cleri Romani ad Cyprianum in causâ lapsorum: *post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani, nondum est Episcopus propter rerum & temporum difficultates constitutus, qui omnia ista moderetur, & eorum, qui lapsi sunt, posset cum authoritate & cum consilio habere rationem.* Nempè post obitum Fabiani Papæ ante electionem novi Pontificis nihil novi statuendum assumebat Clerus Romanus, quod non sibi, sed Pontifici auctoritatem supremam gubernandi Ecclesiam adjudicabat. Cui eidem principio innititur responsio Seniorum data Marcioni apud Epiphanium: Venit Marcion Romam post Papæ Hygini obitum, id est Sede vacante, & communionem absque Episcopi segregantis consensu frustrà expetijt, quod nondum Pius in locum Hygini electus esset Pontifex, qui posset cum authoritate & cum consilio habere rationem: rectè igitur animadvertit D. Launoius, quod Marcion communionem frustrà

Duvallius.

Clerus Romanus.

peticrit

petierit, sed malè dissimulat, Marcionem à Senioribus, non à Romano Pontifice id frustrà petijsse. Quinimò tantum abest, Marcionis historiam Launoio favere, ut fundamentum ipsius potiùs destruat & evertat, ut post conceptam hanc cogitationem mecum sentire reperi Doctorem Lovaniensem Christianum Lupum parte 5. ad canonem 16. quinti Romani sub Gregorio 7. Concilij: „ Adductum (inquit) Marcionis factum omninò facit pro Sede Apostolica: de„ licti sui absolutionem non sine fundamento ille speravit à Romanâ „ Ecclesiâ: universales cœlorum claves, & supremam solvendi atque „ ligandi potestatem istic vigere credidit cum omni Ponto & toto „ mundo, ideoque Romam accessit: notanda sunt S. Epiphanij verba: „ *Romam post Hygini Papæ obitum Marcion sese contulit*, hoc est vacante Sede. „ Hinc communionis gratiam non à Romano Pontifice, sed à Roma„ næ Ecclesiæ Senioribus, seu Cardinalibus Presbyteris supplicavit: „ & ab ipsis est meritò responsum: *nobis injussu venerandi patris tui facere* „ *istud non licet.* Suprema namque sancti Apostoli Petri potestas residet „ in solis ejus successoribus, & post ejus mortem non transit in sacrum „ Dominorum Cardinalium collegium, uti patet ex varijs hujus colle„ gij litteris ad S. Cyprianum. „ Longè alia igitur fuit ratio responsionis cleri ad Marcionem, quam Launoius allegat.

Lupus.

21. Quinimò Romano pro tempore existenti Pontifici competere authoritatem absolvendi alterius Episcopi excommunicatos, probatur primò ex ipso facto Marcionis, qui non adeò in re ecclesiasticâ fuit ignarus, ut ex Ponto Romam à Sede Apostolicâ communionis restitutionem postulaturus confugisset, nisi Romanæ Ecclesiæ Pontificem eamdem concedere potuisse cum Ponto & toto mundo credidisset: quod autem ab electis post Hygini obitum Romanis Pontificibus communionem obtinuerit, apertè testatur libro de præscriptionibus hæreticorum, capite 30. Tertullianus: *Ubi (inquit) tunc Marcion Ponticus Nauclerus stoicè studiosus? ubi tunc Valentinus Platonicè sectator? nam constat illos neque adeò olim fuisse Antonini ferè principatu, & in catholicæ primò doctrinam credidisse apud Ecclesiam remanentem sub Episcopatu Eleutherij Benedicti, donec ob inquietam semper eorum curiositatem, quam fratres quoque vitabant, semel & iterum eiecti, Marcion quidem cum ducentis sestertijs suis, quæ Ecclesiæ intulerat, novissimè in perpetuum dissidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminarunt. Postmodum Marcion pœnitentiam confessus cum conditioni datæ sibi occurrit, ita recepturus, si cæteros quoque, quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret, morte præventus est.* Tertullianus, qui eodem sæculo secundo

Tertullian.

cundo paulò post Marcionem floruit, ostendit non frustrà Romam cum se contulisse communionem recepturum, utpotè qui bis ibidem communionem adeptus est: quam difficultatem prævidens Joannes Launoius, hanc ad locum Tertulliani glossam præmisit: „ Cum verò „ Pius & Romanus Clerus Marcioni respondent, se sine parentis E- „ piscopi arbitrio communionem illi restituere non posse, unà signi- „ ficant, illam restituere se posse, si parens Episcopus assentiretur. Quo- „ circà si quando Romæ Marcioni restituta est communio, parente „ Episcopo consentiente restituta est. Hinc efficitur, ut frustrà quis „ obiiceret, quæ de Marcione Tertullianus in libri de præscriptione „ hæreticorum, cap.30.„ Verum sine fundamento hæc omnia: quod clerus Romanus hanc responsionem dederit Marcioni, admitto cum Epiphanio, qui hoc *Seniorum* responsum fuisse, tradit. Quod Pius primus hanc responsionem dederit, negatur: nam *post obitum Hygini*, inquit Epiphanius, se Romam contulit, quod nondum Pius fuisset Pontifex denuntiatus: si enim Pius tunc creatus erat Pontifex, Epiphanius dixisset, quod Marcion se Romam contulit, *tempore Pii*: ex quo patet corruere, quidquid Ioannes Launoius hinc conatus est deducere. Quinimmò firmari, quod diximus, cum,quod sede vacante clerus se non posse confessus est, id fatente Tertulliano sub Episcopatu Eleutheri benedicti jam adeptus erat. Idem insinuat S. Ireneus Lugdunensis Episcopus, neque unus neque alter meminit ullius consensus à patre petiti, quod utique Romanus Pontifex, licet Episcopi vocati essent in partem solicitudinis, à Christo concessam retineret plenitudinem potestatis.

Launoius.

Tertullian.

22. Secundò ex Tertulliani libro contrà Praxeam capite 1. *Nam idem tunc Episcopum Romanum agnoscentem jam prophetias Montani, Prisca, & Maximilla, & ex eo cognitione pacem Ecclesijs Asia & Phrygia inferentem, falsa de ipsis prophetis & Ecclesijs eorum asseverando, & pracessorum eius authoritatem defendendo coegit, & litteras pacis revocare iam admissas, & à proposito recipiendorum charismatum concessare.* Montanum, Florianum, Blastum & plerosque illorum asseclas, ut animadvertit Lupus parte 1. ad can. 3. Concilij Sardicensis, fuisse à varijs per Antiochiam, Asiaticam, & Ponticam Diœceses Synodis damnatos, refert Eusebius Cæsareensis libro 5. cap. 15. & 18. ex antiquo Claudio Appollinario Episcopo Hieropolitano: confugisse verò ad Zephyrinum Pontificem postulantes sibi ac Ecclesijs suis reddi ablatam communionis pacem, testatur hic Tertullianus contrà Praxeam cap. 1. durè in illum invectus, quod circum-

scripto

scripto Pontifici dolosas pseudoprophetæ technas aperiens, emissas communicatorias litteras, id est priorum Synodalium sententiarum dissolutionem fecisset revocari. Hæc ferè Lupus: ex quibus manifestum est, primis Ecclesiæ sæculis & paulò post tempus Marcionis Zephyrinum Papam excommunicatos Ponticæ & Asianæ Diœceseos absque ullo segregantium Episcoporum consensu in communionem recepisse, & solum, quia Praxeas ostenderat fraudulentiâ usos, à communione iterum fuisse exclusos: quæ tanti momenti visa fuere eminentissimo Cardinali Perronio, ut contrà Angliæ Regem hoc ipsum pro primatus Pontificij authentico proposuerit testimonio: *Car les Montanistes d'Asie, & de Phrygie ayant esté excommunié par les Evesques & Metropolitains Catholiques de leurs Provinces, & quel droit pouvoit avoir le Pape de les reçevoir en sa communion, & leur donner la paix, s'il n'estoit chef & superintendant de toute l'Eglise, & principalement selon l'ancienne discipline ecclesiastique, qui portoit, que nul Evesque non Superieur, ne pouvoit reçevoir à sa communion, ceux qui avoient esté excommuniez par leurs propres Evesques Catholiques?* Quin hoc animadverterit Launoius, vix dubito: cur igitur in facto Marcionis obfuscare conatur, quod circà tempora Marcionis ipsa antiquitatis monumenta luce clarius demonstrant?

Cardinalis Perronius.

23. Tertiò id ipsum manifestat causa D. Athanasij, Pauli Constantinopolitani, aliorumque Orientalium Episcoporum, qui omnes ab Eusebianâ factione Synodicè damnati, depositi, & excommunicati, à Iulio primo in communionem recepti sunt. Quod cum graviter ferret Arianorum factio, & è Philippolitano conventiculo scripsisset: *Nos omninò communicare noluimus, nisi eos, quos damnavimus, proiecissent, & dignum honorem Concilio Orientis tribuerint.* A Patribus Concilij Sardicensis hoc responsum obtinuit apud Sozomenum libro 2. historiæ, capite 10. *Scripserunt se numquam ab eorum communione refugisse, neque iam velle ab eâ refugere, præsertim cum Iulius Episcopus Romanus causâ eorum accuratè cognitâ, illos neutiquam condemnasset.* Complures Episcopos cum S. Athanasio ab Orientis Tyrio & Antiocheno Concilijs damnatos Iulius primus in communionem receperat, & ubi impia Arianorum factio primum Romani Pontificis authoritatem proscindere ausa Iulio contradicit, ibi facto Romani Pontificis totum Sardicense Concilium cum applausu subscribit.

Conventic Philippol.

Sardicense Concilium apud Sozomenum.

24. Opponit Ioannes Launoius ex Innocentio primo epistolâ ad Victricium Rothomagensem: *Iuxtà Nicenum abiectum ab altero clericum altera Ecclesia non recipiat.* Sed quis ignorat factum Innocentij primi in

Innoc. I.

receptione S. Ioannis Chrysostomi à Theophilo Alexandrino depositi & communione privati? cum enim undique ad eum Orientalis Ecclesiæ Antistites pro Chrysostomo intercedunt, Theodorus Romanæ Ecclesiæ Diaconus in dialogo Palladij de vitâ Chrysostomi testatur, rescripsisse Innocentium & communionem illius admisisse. Sed quid hæreo in his & similibus factis Pontificum, quibus abundat primitiva Ecclesia; nunquid testimonium expressius desiderari potest, quam illud Gelasij Papæ epistolâ 13. ad Dardaniæ Episcopos? *Non reticemus quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententijs ligata Pontificum Sedes beati Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpotè quæ de omni Ecclesia fas habeat judicandi.*

Gelasius.

25. Videtur aliquatenus obstitisse anno 813. secunda Cabilonensis Synodus, cujus sensum expressisse creditur Hatto Basileensis Episcopus tunc temporis florens, qui & eidem forsan interfuit, undè & in capitulari suo hæc desumpsit: *Nullus migret de suâ parochiâ ad aliam, nec ad limina Apostolorum causâ orationis Ecclesiæ suæ curâ derelictâ. Nec à communione suspensus ab alio communionem recipiendi gratiâ, sine permissione & præscientiâ sui Episcopi. Quod si fecerit, nihil valet huiusmodi communio, & hoc omnibus fidelibus denuntiandum, ut qui causâ orationis ad limina beatorum Apostolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata sua, & sic proficiscantur. Quia ab Episcopo suo aut sacerdote ligandi aut absolvendi sunt, non ab extraneo.* Hæc eadem ferè statuerat Cabilonensis Synodus, quæ & addit cap. 45. *De quibus omnibus, qualiter emendanda sint, domini Imperatoris sententia exspectetur.* At misso ad Carolum Magnum à Leone 3. creatum Occidentis Imperatorem decreto, hoc dignum Principe obtinuit responsum: *In memoriam beati Petri Apostoli honoremus sanctam & Apostolicam Sedem, ut quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra ecclesiasticæ rationis: quare servanda est cum mansuetudine humanitas, & licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur jugum, feramus, & piâ devotione toleremus: si verò, quod non decet, quilibet sive sit Presbyter, sive Diaconus, aliquam perturbationem machinando, & vestro ministerio insidiando redarguatur, falsam ab Apostolica Sede detulisse epistolam, vel aliud quod inde non venerit, salvâ fide & integrâ circà Apostolicum humilitate, pœnes Episcopum sit potestas, utrum eum in carcerem aut in aliam detrudat custodiam, usqueque per epistolam aut per idoneos suæ partis legatos, Apostolicam interpellat sublimitatem, ut potissimum suâ sanctâ legatione dignetur decernere, quid de talibus justè ordine lex Romana statuat definire, & ut is corrigatur, & cæteris modus imponatur.* Extat statutum dist. 19. cap. in memoriam, & qui decretum Gratiani, jussu Gregorio 13.

Hatto Basileensis.

Synodus Cabilon.

Carolus Magnus.

corre-

correctiùs ediderunt, adnotant ex Nauclero vol. 2. gen. 28. esse unum ex 23. legum capitulis, *quæ Carolus Magnus ad omnes suas provincias misit*: illud idem Cardinalis Baronius intulit tomo 9. suorum annalium ad annum 801. & Christianus Lupus parte 5. ad canonem 16. quinti sub Gregorio 7. Romani Concilij rescriptum putat ad Cabilonensem Synodum, & ab hoc edicto venisse, quod Francorum criminosi & clerici, & laici, & cum & sine Episcoporum suorum litteris, & pœnitentiâ & absolutione donandi Romam quotidiè accederent, ut fidem facit Nicolaus Papa primus epistolâ 47. ad Gallicanos Episcopos: *An laicorum & vulgarium populorum judicia inter maiora negotia ponitis, quos pœnè quotidie cum vestris & sine vestris epistolis discutiendos & iudicandos suscipimus, & discussos vel judicatos, vel absolutos dimittimus?* Hic jam videat Ioannes Launoius, an Nicolaus primus suis faveat commentis, ut quando ad Michaëlem Imperatorem scripserit juxtà Nicenum, *hi qui abiiciuntur, ab aliis non recipiantur*, an non exceperit Sedem Apostolicam tanquam supremas Ecclesiæ claves à Christo obtinentem?

Ius Canonicum. Baronius. Lupus. Nicolaus I

26. Aliud testimonium adducit Launoius ex Gregorio 7. libro 2. epist. 50. ad Sancium Arragoniæ Regem: *Ne quicquam à nobis contrarium sanctis Patribus in exemplum & auctoritatem posteris relinquatur. Solet enim sancta & Apostolica Sedes pleraque considerata ratione tollerare, sed nunquam in suis decretis, & constitutionibus à concordia canonicæ traditionis discedere.* „ Hæc (subdit Launoius) præcipua Sedis Apostolicæ laus est, nihil efficere sacris canonibus contrarium. „ Sed quid nunc? an quia Canones Conciliorum vetant alterius excommunicatum recipi, id quoque Romano vetitum Episcopo? ô quam justè hic repono verba Gelasij Papæ ex commonitorio ad Faustum: *Opponunt nobis canones, dum nesciunt, quid loquantur.* Collegimus suprà ex traditione Sedis Apostolicæ, Romanos Pontifices summo clavium jure alterius excommunicatos in communionem recipere consuetos, ex quo eminentissimus Ecclesiæ Gallicanæ Cardinalis Perronius interpretatus est canones Conciliorum hac de re tractantes: „ Quod nullus Episcopus non superior „ posset in suam communionem recipere illos, qui excommunicati „ erant per proprios Catholicos Episcopos. „ Quod nimirum vir in omni antiquitate versatissimus sciret, Romanum Pontificem tanquam superiorem alterius Episcopi excommunicatos recipere consuetum, ut meritò hoc casu locum habeat illud Paschalis secundi ad Episcopum Panormitanum: *In eorum* (Conciliorum) *statutis Romani Pontificis patenter excipitur authoritas.* Ad quæ verba indigna est

Greg. VII. Launoius. Gelasius. Perronius. Paschalis II

Launoius. hæc privato doctori ad felicem Phelippeum Broffam gloffa: ,, Qui ,, hoc aiunt, & insusurrant Paschali, oppidò quam falluntur. ,, Quasi verò Paschalis secundus ab alijs se enormiter passus esset decipi; oppidò quam fallitur Launoius; nec alterius testimonium desidero, quam assumpti ab ipso Pontificis Gregorij septimi lib. 6. registri, epistolâ 4: ad Henricum Leodiensem Episcopum. Excommunicatum ejus ad audientiam susceperat sine litteris Henrici, unde & Leodiensis ille Episcopus litteris liberius perscriptis hoc dignum temeritate suâ tulit responsum: *Lectis fraternitatis tuæ litteris* (inquit Gregorius 7.) *non parum mirati sumus, non eâ, quâ decuit Apostolicam Sedem, reverentiâ sibi scripsisse, sed nobis de absolutione illius parochiani tui, qui olim ad nos venit, mordaci invectione reprehendisse, tanquam Apostolicæ Sedis non esset authoritas, quoscumque & ubicumque vult ligare & absolvere: unde scias nos adversus temeritatem tuam graviter commotos fuisse, nisi Apostolicæ Sedis mansuetudo nos detineret, & nisi mens nostra de litteris olim suprà hoc negotio tibi transmissis quodammodò dubitaret: solliciti etenim sumus, ne litteræ illæ fraude alicuius aut falsitate immutarentur. Et ideò exemplar earum ad cognoscendam voluntatem nostram tibi ostendendam esse putavimus, ut si easdem esse & non immutatas clarueris, intelligas te aut spiritu præsumptionis, aut ignorantiâ contrà auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ verba jactasse, quasi imitando Orientales, qui contrà beatum Papam Iulium alioqui præsumpserint, eo quod ipse sanctissimum Athanasium Patriarcham sine assensu eorum absolverat: tibique deinceps caveas, ne hujusmodi contrà nos temeritate rescribas, sed potius ad documenta sanctorum Patrum, quæ te loqui & scribere doceant, humiliter recurras.* Quid manifestius? Pontificem non posse alterius excommunicatum absolvere, exclamat Gregorius 7. esse antiquam Eusebianorum fictionem à Julio primo & omni orthodoxâ reprobatam Ecclesiâ.

Greg. VII.

27. Certum itaque erat, ab initio Ecclesiæ Romano Pontifici jus competere absolvendi alterius excommunicatos, idque à Christo cum clavium privilegio concessum, & continuò in Ecclesia observatum, cum hac tamen moderatione, quod ob continuas excommunicatorum fraudes & complures super id Episcoporum quærelas sæpè statutum sit, excommunicatos Romam properare non posse absque segregantis Episcopi litteris, non quidem potestatem ullam Romano Pontifici attribuentibus, sed totius excommunicati causam sincerè exponentibus: & hinc Joannes 8. veritus ne Leontardi causa esset rectè proposita, mitigandam sub conditione remisit sententiam ad Widonem Iniversem Episcopum: *Invenimus aliquid gravius te, quam expediit, si ita est, iudicasse*

Ioan. VIII.

judicasse: hujus rei gratiâ omne hujus judicium tibi dimittimus, & ut nostrâ super hoc viro ad mitiorem in eo proferendam sententiam perfruaris, modis omnibus exhortamur. Notanda sunt verba: *si ita est*, dubitabat enim de causâ rectè expositâ, ideoque judicium potius commisit ipsi Episcopo. Et quia Benedictus 9. à Comite Avernensi excommunicato, quod dimissâ propriâ uxore secundam nollet dimittere, circumventus fuerat, utpotè qui absolutionem acceperat ignorante Papa eum excommunicatum, id graviter tulit Episcopus segregans, & reposuit Benedictus: *Quod nescienter egi, frater charissime, non mea sed tua est culpa: scis enim, quia quicumque de universâ Dei Ecclesiâ, quæ est in toto Orbe terrarum, ad me causâ remedy recurrit, impossibile est mihi eius curam negligere, dicente Domino ad beatum specialiter Petrum: Petre* pasce oves meas. *Quo ergo modo Sedes Apostolica potest eiicere aliquem de medelâ, nisi rationabili causâ? debueras certè mihi, antequam illa mortua ovis Romam venerit, eius causam tuis innotescere apicibus, & eam omnimodo abiicerem, tuamque firmando auctoritatem cum anathematis ictu reperc uterem.* Lucidè agnoscit Benedictus 9. suam absolvendi auctoritatem, cum tamen prædictus Comes fraudarat Sedem Apostolicam, ait in causâ fuisse Episcopum, qui Romanum Pontificem reddere omiserat certiorem: quod ipsum agnovit Synodus Lemovicensis, in quâ quærelis contrà Benedictum hâc de re depositis ad laudatum Pontificis responsum dicebatur: *Apostolicus sine culpâ est, & nos potius culpabiles sumus, nisi litteris nostris ei notum faciamus, de quibus volumus, ut absolvantur, cum ergo tales deceperint Apostolicum, ut fraudulenter absolvantur ab eo, irrita est absolutio.* Non dicit Concilium, irritam esse absolutionem, quod sine licentiâ segregantis Episcopi absoluti sunt, sed solum quod circumventione usi, ad quod malum in posterum evitandum ab ipsis Apostolicis Romanis, ut loquitur & confirmat Synodus Lemovicensis, *Cautum est: inconsulto Episcopo suo ab Apostolico pœnitentiam & absolutionem nemini accipere licet.* Utique inquit eminentissimus Cardinalis Baronius tom.x1. ad annum 1034. ubi acta latius refert, propter periculum subreptionis. „ Nemo (enim pergit Christianus Lupus) tum „ pœnitens Romam accedere poterat sine dimissorijs Episcopi litte- „ ris: non quibus Romano Pontifici potestas fieret, sed plena de cri- „ minum specie ac qualitate instructio, atque ita ille non convenire- „ tur. Istud ferè ipsum, quod Cabilonensis olim Synodus à Carolo „ Magno firmari postulaverat, & Carolus firmari non præsumpserat, „ postmodum, nescio quæ alia Synodus, aut potius ipsa Apostolica „ Sedes firmarat..... & ipsam probat laudata Synodus Lemovicensis,

Bened, IX.

Synodus Lemovic.

Lupus.

„ & recta disciplina hoc omninò exigit. Quod tamen hoc non semper
„ observatum fuit, patet ex litteris Hugonis Episcopi Diensis è Pi-
„ ctaviensi Synodo missis ad Gregorium 7. *Provideat sanctitas vestra,*
„ *ne diutius tam probrosè nobis improperetur, quod Simoniaci, vel quicumque*
„ *criminosi à nobis suspensi vel depositi, aut etiam damnati libenter currunt Ro-*
„ *mam, & ubi deberent sentire ampliorem rigorem, inde reportent quasi miseri-*
„ *cordiam pro voluntate. Et qui anteà nec in levibus præsumpserant peccare, post-*
„ *modum exercent apertissimam negotiationem cum tyrannide in commissis sibi*
„ *Ecclesijs.* Ita Sedis Apostolicæ abutebantur benignitate potius ficto-
„ res Christiani, quam verè pœnitentes, & eorum defectus correctos
„ volens Gregorius 7. statuit canonem 16. *Vt nullus pœnitens suscipiatur*
„ *sine litteris Episcopi sui, nisi forte fuerit Episcopus mortuus, aut excommunicatus.*„

Hugo Diensis. Greg. VII.

Ivo Carn. Unde & Ivo Carnotensis epistolâ 60. graviter conqueritur de Hugone Lugdunensi Archiepiscopo, & Sedis Apostolicæ legato, quod se nesciente quibusdam excommunicatis communionem restituerat. Similes quærimonias frequentes deposuit idem sanctus Carnotensis Episcopus apud Urbanum Papam & Paschalem 2. & post Ivonem D. Bernardus epist. 177. ad Innocentium 2. ubi: *Quærimonia Domini Trevirensis non est eius solius, sed communis multorum, eorumque præcipuè, qui sinceriori affectu vos diligunt. Vox una omnium, qui fideli apud nos curâ populis præsunt, iustitiam in Ecclesia deperire, annullari Ecclesiæ claves, Episcopalem omninò vilescere authoritatem, dum nemo Episcoporum in promptu habeat ulcisci iniurias Dei, nulli liceat illicita quævis ne in propria quidem paræcia castigare. Causam referunt in vos, curiamque Romanam. Rectè gesta ab ipsis (ut aiunt) destruitis, iustè destructa statuitis.* Undique nimirum ab Episcopis excommunicati Romam confluebant, nec inveterata fidelium consuetudo poterat extirpari. Ex terris longinquis accesserant pœnitentiæ signis absolutionem postulantes, quibus dum misericorditer indulgebant Pontifices, abusi benignitate solventis in deteriora prolapsi sunt, & multis quærelis occasionem præbuerunt ut patet ex S. Ivone, & D. Bernardo, & aliunde anxietates Episcopis causarunt, ut lucet ex responsione Alexandri 3. ad Cantuariensem Episcopum capitulo ex parte, titulo de Officio Iudicis ordinarij: ad quæ omnia vitanda rectè statuerat Gregorius 7. ut nullus pœnitens suscipiatur sine litteris Episcopi rei veritatem continentibus, & hoc omninò exigit recta disciplina, ut animadvertit Lupus addens: „ etiamnum hodiè neminem reum pro „ foro præsertim externo absolvit Pontifex, nisi ad Episcopi in- „ formationem, aut certè addit hanc clausulam: *Si preces veritati ni-*

D. Bernar.

Lupus.

tantur

„ *tantur*. Et tunc ipse passim non absolvit, sed absolvendi potestatem „ alicui delegat. „

CAPUT III.

Elucidatur contentio Polycratis contra Victorem Papam pro observatione Paschatis.

28. *Status quæstionis motæ à Ioanne Launoio de Polycrate Victori Papæ acriter repugnante in quæstione Paschatis apud D. Hieronymum.*

29. *Expenditur actorum series, ac primò quidem ex fragmentis Synodi Palestinæ in observatione Paschatis nihil Apostolos Synodali decreto statuisse, unde & variantium Regionum consuetudo.*

30. *Consuetudo Asiæ de celebratione Paschatis* 14. *Lunâ observata fuit nullo contradicente Pontifice ante Victorem Papam, ut probat D. Ireneus.*

31. *At ubi Polycrates Asiæ consuetudinem necessariò observandam prædicabat, & tanquam præceptum divinum id exigeret, restitit universa Ecclesia.*

32. *Consentiebant Orbis Episcopi Victori Papæ, qui Concilia ubique indicebat non solum in Occidente, sed & per Orientem, ut patet ex Synodis Palestinæ & Asiæ.*

33. *Acta Concilij Romani sub Victore, qui Asianis præscripserat sententiæ mutationem, ad quæ Responsum Polycratis ex Eusebio, quod Launoius putavit à divo Hieronymo probatum.*

34. *D. Hieronymum non approbasse Polycratis judicium statuitur contrà Launoium, & ostenditur, Polycratis sententiam ubique fuisse rejectam, ut & Victor Asianos duxerit excommunicandos.*

35. *Asianos fuisse reipsâ excommunicatos firmatur ex Eusebio, & licet novatores obiiciant, Asianos non fuisse vitatos à cæteris Orientalibus, nihil Romani Pontificis auctoritati officiunt, cum, ut rectè colligit de Marca ex restituto Sozomeni loco, excommunicatio suspensa fuerit statim posteà ad preces D. Irenei aliorumque.*

36. *Absque difficultate se expediunt, qui putant excommunicationem non fuisse reipsâ latam, attamen tenenda superior sententia.*

37. *Hinc tamen nova difficultas, cum si Victor excommunicationem retractaverit, excommunicando videatur deviasse. Pro solutione ponitur, Victorem non acriter reprehensum ab Ireneo, ut errat Eusebius, sed ad Irenei preces pactum iniisse cum Polycrate, ut consuetudo indifferenter observaretur, & sic restitueretur communio.*

38. *Ex*

38. *Ex dictis lucet modus occurrendi intricatiſſimæ difficultati, & nova Methodo oſtenditur, non erraſſe Victorem, tum quod excommunicaverit Polycratem & Aſianos errantes in fide circa obſervationem legalium, tum quod excommunicationem dumtaxat ſuſtulerit, quando error ille fidei fuit ablatus.*

39. *Neque Ireneum aliter ſentiiſſe, & Victorem ſtultum exiſtimaſſe, ob ſolam conſuetudinem ſecluſo fidei errore excommunicationem ferre.*

40. *Hinc jam apparere, quomodo Aſiatici potuerint morem ſuum de Paſchate retinere, & ſubſequentes poſt Synodi Nicenæ decretum priorem Polycratis errorem renovando ab Epiphanio & Auguſtino fuerint hæreticis accenſiti.*

41. *Immeritò itaque Sedi Apoſtolicæ opponi factum Polycratis, qui ſuum met factum erubuit, ut nihil auctoritati Pontificiæ officiat.*

28. Contentionem attingit Ioannes Launoius parte 4. epiſtolâ ad Henricum Barillonium, & profert ex D. Hieronymo libro de viris illuſtribus cap. 54. volente ſub finem ſæculi ſecundi Victore Papâ, feſtum Paſchatis celebrandum Dominico die poſt 14. Lunam & vernale æquinoctium, contendente econtrà Polycrate obſervari debere 14. Lunâ primi menſis in quamcumque diem incideret, licet Dominicus non eſſet. *Scripſit* (inquit de Polycrate Hieronymus) *adverſus Victorem Epiſcopum Romanum epiſtolam Synodicam, in quâ docet, ſe Apoſtoli Ioannis & veterum auctoritatem ſequi.* Subjungit litteras Hieronymus, per quas Polycrates docet, maximos ſanctos etiam Apoſtolos in Aſiâ obdormiſſe, quos omnes ſe ſecutum profitetur in ſervando Paſchate decimâquartâ Lunâ, & pergit: *Non formidabo eos, qui nobis minantur, dixerunt enim maiores mei, obedire Deo magis oportet, quam hominibus.* Poſt quæ concludit D. Hieronymus: *hæc propterea poſui, ut ingenium & auctoritatem viri ex parvo opuſculo demonſtrarem.* Ponderat hæc ultima verba Launoius, & urget, à Polycrate Victoris judicium fallibile judicari, quod Hieronymus, cum non improbat, probare videtur. Addit ex Euſebio libro 5. hiſtoriæ, capite 24. Victorem omnes Eccleſias Aſiæ à communi unitate præſcindere conatum, ſed id alijs non placuiſſe Epiſcopis, ſanctumque Ireneum oſtendiſſe, quod quidem Paſcha debebat Dominicâ celebrari, ſed non ideò alios tam acri cenſurâ à communione ſeparari oportere, undè & D. Hieronymus de viris illuſtribus capite 44.: *feruntur eius* (Irenei) *& aliæ ad Victorem Epiſcopum Romanum de quæſtione Paſchæ epiſtolæ, in quibus commonet eum, non facile debere unitatem collegij ſcindere. Si quidem Victor multos Aſiæ, & Orientis Epiſcopos, qui decimâquartâ Lunâ cum Iudeis Paſcha celebrabant, damnandos crediderat. In quâ ſententiâ, hi, qui diſcrepabant ab illis, Victori non dederunt manus.*

Hieron. Polycrates. D. Hieron. D. Hieron.

29. Gra-

29. Gravis est hæc contentio, sed suis expendenda momentis, ne totâ actorum Serie minus perfectè cognitâ, aliquid subrepat, quod veritatem offendat. Extant apud D. Bail Parisiensem Doctorem tomo 2. Conciliorum, classe 5. ex venerabili Bedâ fragmenta Synodi Palestinæ sub Theophilo Cæsareensi Metropolitâ tempore Victoris Papæ anno 198. hâc de re coactæ, quibus præfigitur apud Bedam tomo 2. certa introductio, ex quâ patet, Apostolos nihil conciliariter statuisse de observando precisè paschatis die, sed toto Orbe dispersos eorum aliquos, quâcumque die decima quarta Luna mense Martio fuisset, pascha celebrandum instituisse: cum verò constet alios diem Dominicum post 14. Lunam istius mensis determinasse, hinc diversa Provinciarum consuetudo ortum duxit, ut facilè colligitur ex Eusebio Cæsareensi Metropolitâ, lib. 5. historiæ, capite 23. nam tradit Asiam ex antiquâ observatione 14. Lunâ celebrasse paschatis diem, & pergit: *Cum tamen reliquæ totius Orbis Ecclesiæ alio more uterentur, qui ex Apostolorum traditione profectus etiamnum servatur, ut scilicet non alio quàm resurrectionis Dominicæ die jejunia solvi liceat.*

Eusebius.

30. Viguerat ab initio Ecclesiæ hæc consuetudo in Provincijs Asiæ nullo contradicente Romano Pontifice, ut urget in Epistolâ Synodicâ ad Victorem Papam S. Ireneus Lugdunensis in Galliâ Episcopus: *Sed & Presbyteri illi*, inquit, *qui ante Soterem Ecclesiam, cui tu nunc praees, gubernarunt: Anicetum, dico, & Pium, & Hyginum cum Telesphoro, & Xysto, neque ipsi unquam observarunt, neque his, qui cum ipsis erant, ut id observarent, permiserunt. Ipsi tamen, cum hoc minimè observarent, pacem nihilominus colebant cum iis, qui ad se venissent ex Ecclesijs, in quibus id observabatur. Atqui observantia inter eos, qui minimè observabant, tanto magis contraria videbatur, nec ulli unquam ob ejusmodi consuetudinem rejecti sunt. Verum illi ipsi, qui te præcesserunt presbyteri, quamvis id minimè observarent, Ecclesiarum presbyteris, qui id observabant, Eucharistiam transmiserunt. Et cum beatissimus Polycarpus Aniceti temporibus Romam venisset, atque inter illos de quibusdam alijs rebus modica esset controversia, statim mutuo pacis osculo se complexi sunt: de hoc capite non magnoperè inter se contendentes.* Ex quibus apparet, Romanos Pontifices ad ista usque tempora Asianorum consuetudinem non improbasse, & primum omnium fuisse Victorem Papam, qui se Asianis opposuerit, & paschatis diem juxtà morem Ecclesiæ Romanæ observandum præscripserit, ac communionem ipsam denegandam Asianis minitatus sit.

S. Ireneus.

31. Præscripto Victoris Papæ consonabat (exceptâ Asiâ) Orbis

totius Ecclesia: cum enim Polycrates mutatâ veterum sententiâ observationem paschatis non amplius indifferentem sinebat, sed de mandato Dei consuetudinem Asiæ præponens, tacitè aliarum regionum consuetudines damnare videbatur: de eo enim & de Asianis habet Eusebius libro 5. capite 23. *Quod quartâdecimâ lunâ putarent omnimodo genere pascha observandum, quandò scilicet Iudeis pascha agnus præcipitur immolari, veluti necessariò confirmantes quâcumque die septimanæ quartadecima luna venisset.* Notanda sunt verba: *necessariò confirmantes.* Hoc enim Asianorum judicium ita erroneum visum fuit, ut reliquarum Provinciarum Episcopi contrariam consuetudinem ubique apud ipsos vigentem duxerint confirmandam: *Ob quam causam* (pergit Eusebius) *conventus Episcoporum & Concilia per singulas quasque Provincias convocantur, prorogatisque ad se invicem epistolis, de singulis quibusque locis unum Ecclesiasticum dogma confirmant: ne liceat aliquando nisi in die Dominicâ, in quâ Dominus surrexit à mortuis Dominicum Paschæ celebrare mysterium, & in hâc solâ solvendum esse paschæ ieiunium.* Tantum abest, ut cæteri Orbis Episcopi Asianis consentirent, ut non amplius eorum consuetudini indulgendum, sed potius eam judicarint mutandam.

Eusebius.

32. Et in hoc consentiebant Victori Romano Pontifici, qui Conciliorum per Orbem congregandorum auctor extiterat, ut patet ex fragmento Synodi Palestinæ sub Theophilo Metropolitâ Cæsareensi, quod extat apud Bedam tomo 2. libro de paschæ celebratione, ubi: *Tunc Papa Victor Romanæque urbis Episcopus direxit authoritatem ad Theophilum Cæsareensis Palestinæque Antistitem, ut quomodò pascha recto iure à cunctis Catholicis celebraretur, Ecclesiis utilis fieret ordinatio, ubi Dominus Salvator mundi fuerat in carne versatus. Perceptâ itaque authoritate prædictus Episcopus non solum de sua Provincia, sed etiam de diversis Regionibus omnes Episcopos evocavit. Vbi cum illa multitudo Sacerdotum convenit, tunc Theophilus Episcopus protulit authoritatem ad se missam Victoris Papæ, & quid sibi operis fuisset iniunctum, ostendit.* Adduntur acta Concilij, quæ ne aliquis extare potuisse credat, en Eusebium libro 5. cap. 23. *Extat usque in hodiernum diem Concilij apud Cæsaream Palestinæ habiti decretum, in qua primus est Theophilus ipsius Cæsareæ Episcopus, & Narcissus Ierosolymorum Sacerdos.* Quod Eusebius successor Theophili usque ad sua tempora extare fatetur, hoc Beda Presbyter venerabilis feliciter æternitati consecravit: ex quo apertissimè constat, & Victoris auctoritate à Theophili Concilio Palestino decisam quæstionem paschatis, & ad Victoris mandatum convocatum Concilium: quod ipsum & pro aliâ Synodo sese in Asiâ executum fuisse, scribit

Fragmentum Synodi Palestinæ ex Beda.

Eusebius.

scribit in litteris Synodicis Polycrates ad Victorem : *Possem*, inquiens, *etiam Episcoporum, qui mecum sunt, facere mentionem, quos petiistis, ut convocarem, sicut & feci.* Ad quæ Polycratis verba apud Eusebium libro 5. capite 24. denotat Henricus Valesius. „ Quod ad convocationem E- „ piscoporum Polycrates Victori obtemperavit. „ Ut hic rectè Baronius tomo 2. ad annum 198 : „ Videre est perspicuo sanè exemplo, „ quantâ authoritate polleret Romanus Episcopus, præstaretque cæ- „ teris, quippe qui per orbem Concilia indicat.„

Polycrates. Henricus Valesius. Baronius.

33. Quod alijs commiserat Victor, hoc in suâ quoque Regione Italicâ executioni mandarat convocatâ Synodo ex Vicinis Romæ Episcopis, & ut consueverant Pontifices, urbis adjuncto Presbyterio, cujus habito consilio, litteræ ad Polycratem missæ sunt, non solum ad cogendum in Asiâ Concilium, sed conformiter ad morem Ecclesiæ universæ mutandam paschatis observationem additis minis, nisi obtemperarent Asiani, à communione secludendos : ad quæ Polycrates reposuit, quod habet Eusebius libro 5. cap.24. ex versione Henrici Valesij : *Episcopis vero Asiæ, qui morem sibi à maioribus traditum retinendum esse acriter contendebant, Polycrates præerat : qui quidem in ea epistolâ, quam ad Victorem & Romanæ urbis Ecclesiam scripsit, traditionem ad sua usque tempora propagatam exponit his verbis : nos igitur verum ac genuinum agimus Paschatis diem : nec addentes quidquam nec detrahentes. Etenim in Asia magna quædam lumina exstincta sunt, quæ illo adventus Dominici die resurrectura sunt, cum Dominus è cælo veniet plenus maiestate & gloriâ, sanctosque omnes suscitabit. Philippus scilicet unus è duodecim Apostolis, qui mortuus est Hierapoli, & duæ eius filiæ, quæ virgines consenuerunt : alia quoque eiusdem filia, quæ Spiritu Sancto afflata vixit, & Ephesi requiescit. Præterea Ioannes, qui in sinu Domini recubuit : qui etiam Sacerdos fuit, & laminam gestavit : Martyr denique & Doctor exstitit. Hic inquam Ioannes apud Ephesum extremum diem obiit. Polycarpus quoque, qui apud Smyrnam Episcopus & martyr fuit : itemque Thraseas Eumeniæ Episcopus & martyr, qui Smyrnæ requiescit. Quid Sagarim Episcopum eumdemque martyrem attinet dicere, qui Laodiceæ est mortuus? quid beatum Papirium, quid Melitonem eunuchum, qui Spiritu S. afflatus cuncta gessit, qui & Sardibus situs est, Adventum Domini de cælis, in quo resurrecturus est, exspectans? Hi omnes diem pascha quartâdecimâ lunâ iuxtà evangelium observarunt; nihil omninò variantes, sed regulam fidei constanter sequentes. Ego quoque omnium minimus Polycrates ex traditione cognatorum meorum, quorum etiam nonnullos assectatus sum : fuerunt enim septem omninò ex cognatis meis Episcopi, quibus ego octavus accessi. Qui quidem omnes semper Paschæ diem tunc celebrarunt,*

Eusebius. Polycrates

runt, cum Iudæorum populus fermentum abiiceret. Ego,inquam fratres,quinque & sexaginta annos natus in Domino, qui cum fratribus toto Orbe dispersis sermones sæpè contuli, qui Scripturam sacram omnem perlegi, nihil moveor iis, quæ nobis ad formidinem intentantur. Etenim ab illis, qui me longè maiores erant, dictum scio: obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Quæ omnia ex litteris Polycratis retulit quoque D. Hieronymus, & subdit: *Hoc propterea posui, ut ingenium & auctoritatem viri ex parvo opusculo demonstrarem.* Unde Launoius conclusit, à Hieronymo Polycratis judicium, cum non improbetur, probari visum.

Hieronym.

34. Verum, Polycratem hic Asiæ institutum præposuisse Romano, facilè assentior: at D. Hieronymum approbasse Polycratis judicium, pœnitus diffiteor: authoritatem & ingenium Polycratis tanquam viri suo tempore illustris libro de viris illustribus laudat Hieronymus: causam ejus vel judicium potius reprobat, tantum abest, ut firmaret. *Ce que S. Ierosme luy mesme* (inquit contrà Angliæ Regem Perronius cap.44.) *celebre & traduit les homilies Paschales de Theophile Patriarche d'Alexandrie, qui suivoit l'ordre du Concile de Nicee touchant la Pasque, ne justifie s'il pas, que quand S. Ierosme dit, qu'il rapport l'epistre de Polycrates pour monstrer l'esprit & l'authorité de l'homme; il entend par l'authorité, non l'authorité de droict, mais l'authorité de fait, c'est à dire le credit, que Polycrates avoit entre les Asiatiques & autres quarto-decumans?* Aliter ergo quam Polycrates sensit Hieronymus, nec illius instituto ullatenus acquievit: sciebat Polycratem gravissimo errori immersum de observatione paschatis, quatenus suam ita studuit propugnare consuetudinem, ut reprobarit alienam tanquam Christi mandato & evangelico verbo adversam, unde & totius Orbis Ecclesias in sui damnationem contraxit, quæ per Provincias coadunatis Conciliis Pascha Dominico potius die observandum statuerunt. Sic Bachilus Corinthiorum Episcopus in Synodo Achaiæ, Palmus in Ponti, Theophilus in Palestinæ, Ireneus in Galliæ, & præter cæteros Victor Romanus Episcopus in Italiæ aut Romæ Concilio, tantò magis in Polycratem & Asianos offensus, quantò in altiori speculâ constitutus, & Apostolorum Principis Petri cernebat contemni institutum, & suum successoris Petri sentiebat temerari mandatum. *His ita gestis* (inquit Eusebius libro 5. cap.24. ex versione Henrici Valesij) *Victor quidem Romanæ urbis Episcopus illicò omnes Asiæ vicinarumque Provinciarum Ecclesias tanquam contraria rectæ fidei sentientes, à communione abscindere conatur. Datisque litteris universos, qui illic erant fratres, proscribit, & ab unitate Ecclesiæ prorsus alienos*

Perronius.

Eusebius.

esse

esse pronuntiat. Litteræ illæ Victoris magno ecclesiasticæ veritatis detrimento periere aut latent : constat interim Victorem sæculo 2. summam clavium authoritatem sibi in S.Petro agnovisse concessam,& tam enormem judicasse Asianorum exceptionem de obediendo potius Deo quàm hominibus, ut eos excommunicandos judicarit.

35. Quæstio est,an reipsâ excommunicaverit? eminentissimus Cardinalis Baronius tomo 2. ad annum 198. sustinet,reipsâ non obtemperantes Provincias à communione seclusas, & ipsum cum communiori sententiâ sequitur Doctor & Propœnitentiarius Parisiensis Dominus Bail tomo 2. Conciliorum, classe 4. in controversiâ hujus : ac planè favent verba Eusebij versionis Valesianæ omnium hactenus correctissimæ: Asianos *Victor à communione abscindere conatur*, quo indicat, quæ Victor obtento Polycratis responso Romæ meditatus sit, ac pergit: *Datisque litteris universos, qui illic erant, fratres proscribit, & ab unitate Ecclesiæ prorsus alienos esse pronuntiat.* Non potuit clarioribus terminis uti Eusebius, ad exprimendam latam excommunicationis sententiam, quam, si solum minatus fuisset, cûr, quęso, alij Episcopi tam vehementer fuissent commoti, ut subdit Eusebius, cum ante coactum à Polycrate Asianum Concilium, ipsis quoque minatus erat excommunicationem, unde & post Synodum Polycrates in epistolâ Synodicâ: *Nihil moveor iis, quæ nobis ad formidinem intentantur.* Et, ut aliud testimonium accedat, ita Socrates intellexit Eusebium, forsan ex certioribus, quam nostro tempore extant, instructus monumentis. Ex quibus ne sæculi nostri novatores opponant, post Victoris censuram Asiaticos à communione Orientalium non fuisse rejectos, occurrit Parisiensium Archiepiscopus de Marca libro 3. capite 9. & docet ex Zozomeno libro 7. cap. 19. in gratiam statim rediisse Polycratem & Asiaticos Episcopos cum Victore Papâ. Verba Zozomeni ex versione Valesij sunt : *Et hæ quidem fuerunt in huius festi observatione discrepantiæ. Porrò exortam olim controversiam sapientissimè dissolvisse mihi videtur Victor tunc temporis Romanorum Episcopus, & Polycarpus Smyrnensis. Nam quoniam Occidentales Episcopi traditionem Pauli ac Petri abrogandam non esse censebant, Asiani verò Ioannem Evangelistam sequi se velle affirmabant, ex communi Consilio placuit, ut singuli festum prout consueverant celebrantes, à mutuâ inter se communione nequaquam discederent.* Ex retento nomine *Victoris* rectè collegit de Marca, vitium irrepsisse in nomine Polycarpi, cum Polycarpus ante pontificatum Victoris per 20. annos martyrio coronatus obierat. Legendum itaque Polycrates, qui floruit tempore Victoris Papæ,

Eusebius.

De Marca.

Zozomen.

inter quos pacem initam ad præces Irenei, tum ex litteris ipsius Irenei, tum ex loco Zozomeni collegit Parisiensis Archiepiscopus & addit: „ Licet probent novatici, non rejectos Asiaticos à communione „ Orientalium post Victoris censuram, hoc de dignitate Sedis Apo„ stolicæ nihil demit, cum ad Irenei suggestionem pacem redditam à „ Victore docuerimus. Ex Eusebio enim & Socrate constat de ex„ communicatione à Victore inflictâ, & de Irenei epistolâ. Ex Zozo„ meno autem de communione Victoris & Polycratis non interrup„ tâ, quod aliter contingere non potuit, nisi suspenso à Victore ex„ excommunicationis effectu post monita Irenei. „

De Marca.

36. Absque ullâ difficultate sese à novatorum argutijs defendunt, qui sustinent, Victorem non tulisse excommunicationis sententiam, inter quos novissimè Henricus Valesius putat, Victorem tantum conatum fuisse separare Ecclesias Asiæ: „ Epistolæ (inquit) Irenei & alio„ rum Episcoporum ad Victorem scriptæ satis arguunt, rem adhuc in „ pendenti fuisse, nec damnationis sententiam etiamnum à Victore in „ Asianos fuisse prolatam, sic enim testatur Eusebius de Ireneo: *Victo„ rem decenter admonet, ne integras Dei Ecclesias, morem sibi à majoribus tradi„ tum custodientes à communione abscindat*: Nondum ergo (pergit Valesius adnotatione ad libri 5. caput 24. Eusebij) Ecclesiam Asiæ à communio„ ne Victor absciderat, cum has litteras scriberet Ireneus, quandoquidē „ Victorem Ireneus his litteris admonet, ne illas ob vetusti moris ob„ servantiam à totius Ecclesiæ corpore sejungere velit. „ Favet & D. Hieronymus capite 44. de viris illustribus: *Feruntur* (Irenei) *& aliæ ad Victorem Episcopum Romanum de quæstione Paschæ Epistolæ, in quibus commonet, non facilè debere unitatem collegij scindere, si quidem Victor multos Asiæ & Orientis Episcopos, qui 14. Lunâ cum Iudeis Pascha celebrabant, damnandos crediderat.* Et post D. Hieronymum Photius in Bibliothecâ capite 120.: *Victor ea tempestate Romæ Pontificium tenuit: quem crebris litteris hortatus est Ireneus, ne ob Paschatis dissensionem ab Ecclesiâ aliquos abdicaret.* „ Ergò ante „ litteras Irenei (concludit Valesius) neminem adhuc Victor à com„ munione præsciderat. „ Verum laudata omnia nihil obsunt clarissimo Eusebij testimonio, quod nullis tergiversationibus valet obscurari, & ad summum probant, Ireneum laborasse apud Victorem pro sublatione excommunicationis Asianorum, ut verum maneat illud de Marca: „ Ireneus persuasit Victori Papæ anno 198. ut pacem Po„ lycrati cæterisque Asiaticis Episcopis restitueret, quos Ecclesiæ „ communione privarat. „ Ad hoc enim litteris ad Victorem datis interce-

Valesius.

Eusebius.

Valesius.

Hieronym.

Photius.

Valesius.

De Marca.

tercedebat S. Ireneus, ne excommunicatio hanc ob causam locum obtineret, quod & suspensio à Victore excommunicationis effectu subsecutum ostendimus suprà, & Eusebius post relatas litteras ex versione Ioannis Dadrei anni 1581. & altera antiquiore, indicat: *Et Ireneus non abludens à nomine suo, sed ingenio quoque ad conciliandam pacem accommodus talia pro pace Ecclesiarum admonuit, & egit.* Et longè clarius Nicephorus Calixtus libro 4. capite 39.: *Quapropter egregius, ut aptissimo nomini suo responderet, pacificator Ireneus fuit, qui sic intercessione sua pacem Ecclesiæ conciliarit.*

Eusebius.

Nicephor.

37. Restat nunc difficultas, quam attingit Launoius, cum Victor Asianos excommunicaverat, & inter alios, qui Victori manus non dederant, S. Ireneus contrarium existimabat, Victoris errorem innotescere: quod augetur, si Victor ac instantiam S. Irenei excommunicationem retractarit. Huic, ut satisfiat, expendenda sunt verba Eusebij libro 5. cap. 24. postquam de Victoris excommunicatione tractarat: *Verum* (inquit) *hæc non omnibus placebant Episcopis.* Non omnibus, ergo vel aliquibus vel pluribus placebant. *Proinde* (pergit Eusebius) *Victorem ex adverso hortati sunt, ut ea potius sentire vellet, quæ paci charitatique erga proximum congruebant.* Si solummodò hortati sunt, ut habet versio Valesiana cum alijs antiquioribus, ergo cum posteà scribat: *Victorem acriter reprehenderunt, è quibus & Ireneus*; Nimis exaggeratiuè locutus est Eusebius, unde ad hæc versionis Valesianæ subsequentia Eusebij verba: *Extant etiamnum eorum litteræ, quibus Victorem acerbius perstringunt. Ex quorum numero Ireneus, in epistolâ, quam scripsit nomine fratrum, quibus præerat in Gallia, illud quidem defendit, solo die Dominico resurrectionis Domini mysterium esse celebrandum: Victorem tamen decenter admonet, ne integras Dei Ecclesias, morem sibi à maioribus traditum custodientes, à communione abscindat.* Sic notat eminentissimus Cardinalis Perronius capite 44.: *Il dit, que les autres Evesques reprirent aigrement Victor, & quand il est question de produire une essay de l'aigreur de leurs reprehensions: allegue pour tout echantillon les paroles de S. Irenee, ou il se ne trouve un seul mot de l'aigreur, & qui ne contiennent, que de simples & douces remonstrances, & pleines de soubmission à la personne de Victor & à l'authorité de son siege.* Notanda sunt Perronij verba, quia certum est, Eusebium Cæsareensem hic linguâ lapsum: neque Ireneus per umbram perstrinxit Victorem aut acriter reprehendit, his enim utitur apud Eusebium verbis: *Neque enim de die solum controversia est, sed etiam de formâ ipsâ ieiunij: quidam enim existimant unico die sibi esse iejunandum: alij duobus aut pluribus: nonnulli etiam 40. horis diurnis ac nocturnis computatis diem*

Eusebius.

Perronius.

S. Ireneus

diem suum metiuntur. Atque hæc in observando iejunio varietas non nostrâ primum ætate nata est, sed longè ante apud maiores nostros cœpit: qui negligentius, ut verisimile est, præsidentes, ex simplicitate & imperitiâ ortam consuetudinem posteris tradiderunt. Nihilominus tamen & omnes isti pacem inter se retinuerunt, & nos invicem retinemus. Ita iejuniorum diversitas consensionem fidei commendat. Addit Ireneus de consuetudine paschatis per Romanos Pontifices Victoris prædecessores toleratâ, & initio huius capitis ex Ireneo adductâ: ex quibus non solùm patet, Ireneum non perstrinxisse Victorem, sed & insuper consuetudinem paschatis habuisse indifferentem, & jejuniorum consuetudini pro varietate regionum varianti simillimam, & hinc persuasisse Pontifici, ut Asianos in veteri consuetudine relinqueret, nec ob illum morem adiaphorum integram regionem ab Ecclesiasticâ communione fineret præcisam: quod tamen Victor ita dissoluit, teste Zozomeno suprà, ut Polycrates aliarum Ecclesiarum consuetudines damnare omitteret, *Ex communi* (inquit) *consilio placuit, ut singuli festum prout consueverant celebrantes, à mutua inter se communione nequaquam discederent.*

Zozomen.

38. Hinc jam patet hallucinatio multorum, qui ex Eusebij verbis de acri reprehensione Victoris decepti putant, Victorem Pontificem absque ratione separasse Asianos ab ecclesiasticâ communione. Quidem verum est, multos Episcopos & inter illos D. Ireneum manus non dedisse Victori, id est non promovisse excommunicationis sententiam, quod magis amarent pacificè quęstionem hanc terminari; & ideò rationes undecumque conglomerarint, ut perhiberent consuetudinem Asianorum fuisse indifferenter à prædecessoribus habitam, & etiamnum bono pacis habendam: hinc tamen nullatenus consentiebant Polycrati, aut excommunicationem ipsius injustè latam voluerunt, quæ planè justam ob causam lata fuit. Non enim ob consuetudinem sed ob errorem gravissimum nimis tenaciter defensum à communione separatus fuit. Opponebat Victori Polycrates, *Deo magis obedire oportet quàm hominibus*, non quidem quod victori omnem substrahebat obedientiam, sed quod hac in re sibi obediendum non credebat contrà Dei mandatum. Prætendens Christum imperasse, ut Pascha non alio die quàm 14. Lunâ celebrari deberet, unde & enumeratis Provinciæ suæ Episcopis, *Hi*, inquit, *omnes diem Paschæ quartâdecimâ Lunâ iuxtà Evangelium observarunt: nihil omninò variantes, sed regulam fidei constanter sequentes.* Evangelij veritatem, & regulam fidei suum errorem vocabat Polycrates, & pergit Eusebius: *His ita gestis, Victor quidem*

Polycrates.

Polycrates.

Eusebius.

Romana

Romanæ urbis Episcopus illicò omnes Asiæ vicinarumque Provinciarum Ecclesias tanquam contraria rectæ fidei sentientes à communione abscindere conatur. Non ob consuetudinem, sed ob sententiam rectæ fidei contrariam, Victor excommunicandas duxit Asiæ Ecclesias: etenim ultrà id, quod Asiani errabant suam consuetudinem ex fidei regulâ observandam, inducebat error in renovationem judaismi initiando obligationem observantiæ legalium à Concilio Ierosolymitano damnatam. 14. Luna erat, quando agnus Paschalis immolari debebat apud Iudæos, quem diem cum necessariò observandum à Christianis volebat Polycrates, tacitè initiabat necessariam observantiam legalium, quod adeò rectè displicuit, & nisi corrigatur excommunicatione dignum judicavit Victor Pontifex Romanus, ut cum Blastus unus ex præcipuis auctoribus sententiæ Polycratis Romam penetraverat, & ibidem teste Eusebio libro 5. historiarum, capite 15. hæresim suam tempore Victoris Papæ seminare cœpisset, Tertullianus libro de præscriptionibus hæreticorum, quem ad æræ Christianæ annum 203. elucubravit, in illius fine insigniter animadvertat: *Blastus latenter judaismum vult introducere: pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysis 14. die mensis.* Unde manet, eminentissimos Cardinales Baronium ad annum 198. tomo 2. & Bellarminum libro 2. de Pontifice capite 19. rectè posuisse, justum fuisse Victoris judicium, & debitam excommunicationis sententiam.

Tertullian.

39. At dices, aliter visum Ireneo & alijs Occidentis Episcopis, ut patet ex Eusebio: *Verum hæc non omnibus placebant Episcopis. Proindè Victorem ex adverso hortati sunt, ut ea potius sentire vellet, quæ paci charitatique ergà proximum congruebant.* Sed respondetur ut suprà, Episcopis non ita displicuisse excommunicationis sententiam, ut justitiam causæ negarint, enimverò hæc erat omnium ferè Episcoporum contra Polycratem & Asianos sententia, ipsum errare in reprobandâ Romanâ consuetudine tanquam sancto Dei evangelio & rectæ fidei regulæ adversâ, unde & subjectus ab Eusebio Ireneus, ex fratrum consilio causæ excommunicationis favet: *Illud quidem defendit solo die Dominico Resurrectionis Domini mysterium esse celebrandum. Defendit*, inquit, ergo & errorem Polycratis reprobavit, sic tamen ut simul Victorem hortatus sit, casu quo Polycrates errorem mutaret sententiæ, ob solam consuetudinem non obnoxius maneret excommunicationi latæ. Victorem putavit Ireneus nimium citò ad censuras habuisse recursum, ac magis oportuisse tentare mentem Polycratis, ut ab errore recederet; interim latâ

Eusebius.

ſententiâ hortatus eſt, ut ea potius, quæ paci charitatique ergà proximum, ſentire vellet, idque non unicâ apud Euſebium epiſtolâ, ſed pluribus alijs iteravit: *Victorem* (inquit Photius in Bibliothecâ capite 120.) *crebris litteris hortatus eſt Ireneus, ne ob Paſchatis diſſenſionem ab Eccleſiâ aliquos abdicaret.* Latent pleræque Irenei litteræ & reſponſa Victoris Papæ, interim Ireneum fuiſſe pacis auctorem, lucet ex dictis: & cum teſte Zozomeno pax hoc modo inter Victorem & Polycratem compoſita ſit, ut ſinguli feſtum, prout conſueverant, celebrantes à mutuâ inter ſe communione nequaquam diſcederent, quis non dicet, Ireneum pro Aſianis interceſſiſſe datis ad Victorem litteris, non quidem judicando excommunicationem injuſtè latam, (ſic enim non tam ſæpè Victorem hortatus fuiſſet, ſed ei injuſtum procedendi modum exprobraſſet) at monendo, ut errore per polycratem revocato, ob ſolam Aſiæ conſuetudinem illius Eccleſiæ non manerent excommunicationi innodatæ. Hocque ipſo facto ſentijt Victor apud Zozomenum loco citato, ubi & additur: *Stultum enim nec immeritò æſtimabant, conſuetudinum causâ ab ſe invicem ſeparari eos, qui in præcipuis religionis capitibus conſentirent.* Tantum abfuit, Victorem ob ſolam conſuetudinem excommunicaſſe Aſianos, ut revocato eorum errore cum omnibus Occidentis Epiſcopis crediderit id ſtultum juxtà verſionem Valeſij, vel ut habet alia, frivolum judicarit.

Photius.

Zozomen.

40. Et hiſce rectè obſervatis à nodoſis difficultatibus liberamur, quibus alij minus conſideratè procedentes huc uſque fuere obnoxij. Enimverò ad inſtantiam S. Irenei ſuſtulit excommunicationem Pontifex Romanus Victor, non quidem quod erraverit ferendo, ſed quod cauſam, nimirum errorem, retractaverit Polycrates cum totâ Aſiâ, cui permiſſum fuit, conſuetudinem retinere, ut jam pateat licuiſſe poſt Victorem obſervare morem Aſiaticum, donec ob pleraſque rationes viſum fuerit, more illo ſublato Romanam conſuetudinem ubique obſervare, ut viſum eſt Concilio Arelatenſi primo, quod canone 1. ſtatuit: *De obſervatione Paſchæ Dominicæ ut uno die & tempore per omnem Orbem à nobis obſervetur, & juxta conſuetudinem* (alloquuntur Silveſtrum Romanum Pontificem) *litteras ad omnes tu dirigas.* Quod ſtatutum firmavit ſacroſanctum Nicenum Concilium ex toto Orbe convocatum perhibente id Euſebio libro 3. de vitâ Conſtantini à capite 17. & teſtante id Ambroſio in epiſtolâ ad Æmiliæ Epiſcopos, ubi ait de obſervando paſchatis die majores [*qui convenientes ad Synodum Nicenam, inter illa fidei; ut vera, ita admiranda decreta etiam ſuper celebritate memorata*] ſtatuiſſe. Et ante

Canon 1. Arelaten.

Euſebius.

D. Ambr.

ante Ambrosium D. Athanasius epistolâ de Synodo Ariminensi & Seleuciensi: *Nicena Synodus non temerè habita est, ut quæ habeat gravissimos usus, & legitimam rationem. Syri enim, Cilices, Mesopotamiani in festi causâ claudicabant, atque una cum Iudeis pascha celebrabant.* Et post hæc tempora, qui obedire noluerunt fingentes cum Polycrate, esse præceptum divinum pro observando paschate 14. lunâ, tanquam contraria rectæ fidei sentientes reprobati sunt, ut & Epiphanius hæresi 50. eos quartodecumanos appellet, & cum Epiphanio S. Augustinus tomo 6. libro de hæresibus eorum errorem pro hæresi 29. exhibeat: *Quod* (inquit) *non nisi quartâ-decimâ lunâ mense martio Pascha celebrant.* Undè & contrà Angliæ Regem pro Victore urget Cardinalis Perronius capite 44. *Le succez des siecles posterieurs monstra, que mesme en l'usage de la puissance, la procedure du Pape estoit iuste, car apres la mort de Victor, les Conciles de Nicee, de Constantinople, & d'Ephese excommunierent derechef ceux, qui tenoient la mesme Coustume des Provinces, que le Pape avoit excommuniées, & les mirent au Catalogues des heretiques sous le titre des heretiques quartodecumans.*

D. Athan.

Epiphan.

D. August.

Perronius.

41. Hæc si perpendantur, quis non videt Victoris & successorum Pontificum authoritati immeritò opponi factum Polycratis, qui non unici Victoris, sed totius ferè Ecclesiæ morem ausu tam temerario abjudicavit, ut & vela vertens errorem proprium erubuerit, & Victorem non errasse consentijt, quando consuetudinem ipsius teste Zozomeno indifferenter reliquerit observari, ut & D. Hieronymo injuriosum sit, eum erranti Polycrati adjungere, qui cum retractante Polycrate Victoris consuetudinem approbavit, uti & fecit S. Ireneus Lugdunensis in Galliâ Episcopus teste Eusebio: *Illud quidem defendit: solo die Dominico Resurrectionis mysterium esse celebrandum:* Nec errasse putavit Victorem in sententiâ excommunicationis latâ, qui justam ejus causam suscepit defendendam, licetque in eâ erratum credidisset, excommunicationis error non spectat ad errorem in fide.

Eusebius.

CAPUT IV.

Elucidatur Schisma Novatianum contrà Cornelium Papam.

42. *Antiquum Ecclesiæ rigorem non admittendi lapsos ad pœnitentiam mitigavit Zephyrinus, edito decreto apud fideles peremptorio, contrà quod dum clamat Tertullianus in hæresim lapsus, insigne Primatus Pontificij testimonium à Gabriele Albaspineo expositum posteritati reliquit.*

43. *Alius Ecclesiæ rigor circà lapsos mitigatur ad instantiam Cypriani à Sedis Apostolicæ non clero sed Pontifice Cornelio.*

44. *Schisma Novatianum incitatore Novato ex mitigatorio D. Cornelij circà lapsos decreto ortum esse, ostenditur ex Socrate & Eusebio.*

45. *Sub specioso titulo schisma inchoat Novatianus, ut latius ex Eusebio.*

46. *Interim schismatis titulum explodit D. Cornelius, & schisma damnant Cyprianus & Facundus Hermianensis ex eo, quod unus grex sub uno pastore.*

47. *Novatiani intrusi Pontificis exercitium usurpatæ jurisdictionis, ex quo de potestate legitimi statuitur Pontificis, ubi & insignis D. Cypriani locus.*

48. *Notandum ex Cypriano alibi asserente Schismaticos citò deficere, ut in casu ex Maximi, Sidonij, aliorumque pœnitentiâ, quorum confessio adfertur de uno in Ecclesiâ Catholicâ Episcopo.*

49. *Insigne Pontificij primatus testimonium ex causâ Martiani Arelatensis hoc in schismate motâ.*

50. *Novatiani schisma per Orientem serpit, repugnat Dionisius Alexandriæ Patriarcha, qui & pacem initam refert circà hoc schisma.*

42. ANtiquus Disciplinæ ecclesiasticæ rigor nec mœchos nec lapsos ad pœnitentiam admittebat, unde D. Cyprianus epistolâ ad Antonianum: *Et quidem apud Antecessores nostros, quidam de Episcopis istic in Provinciâ nostrâ dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contrà adulteria clauserunt.* Antecessores inquit Cyprianus, intelligens præcipuè illos, qui tempora Zephyrini Papæ præcesserant: nam cum videretur huic Pontifici, statutum Ecclesiæ rigorem nimium præ se ferre, decretum edidit ab omni sub cœlo Ecclesiâ recipiendum, de quo Tertullianus libro de pudicitia, capite 1. *Audio etiam edictum esse propositum & quidem peremptorium: Pontifex scilicet maximus Episcopus*

D. Cypria.

Tertullian.

copus Episcoporum dicit : ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentiæ functis dimitto. Et capite 13.: *Inque eum hominis exitum quantis putes misericordiæ inlecebris bonus Pastor & Benedictus Papa concionaris, & in parabolâ ovis capras tuas quaris.* Nempe huc usque negaverat Ecclesia mœchis pœnitentiæ locum, quod ipsum in Africâ observatum testatur locus Cypriani suprà, unde & Tertullianus jam in hæresim lapsus declamare cœpit contrà edictum Zephyrini Pontificis rigorem statuti ecclesiastici mitigantis, & somniis Montani adhærens erravit, claves soli Petro concessas, non in alios derivatas : *De tua nunc sententia quaro* (inquit lib. de pudicitiâ) *unde hoc jus Ecclesia usurpes? Si quia dixit Petro Dominus, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, tibi dedi claves regni cœlestis, vel quæcumque alligaveris vel solveris in terrâ, erunt alligata & soluta in cœlis, idcircò præsumis & ad te derivasse solvendi & alligandi potestatem, id est ad omnem Ecclesiam Petri propinquam, qualis es evertens atque commutans manifestam Domini intentionem, personaliter hoc Petro conferentem:* Montani factio Ioanni Calvino consentiens claves ligabat ad solam Petri personam, & illo principio imbutus declamat contra Zephyrinum Tertullianus, ut ipsius decreto incommodet, quo mœchis veniam esse concedendam edixerat. Verum error est gravissimus & summæ Romani Pontificis authoritati longè injuriosus, ideoque & omnis sub cœlo Ecclesia Tertulliano adversata est, summamque ligandi & absolvendi potestatem in Zephyrino agnovit, cui decretum, ipso teste Tertulliano suprà, *peremptorium* extitit. Et ut Orbis Catholicus agnoscat, in quantâ authoritate Romanus Pontifex per id tempus apud Christianos vigebat, adjungenda sunt, quæ unus ex præcipuis Gallicanæ Ecclesiæ Præsulibus, Gabriel nimirum Albaspineus Aurelianensis Episcopus adnotat libro 1. de veteribus Ecclesiæ ritibus in fine, ubi ad caput 1. libri Tertulliani de Pudicitia : *audio edictum* : „ In Africam ergo penetrarat, quod „ Romæ S. Pontifex sanxerat. *Peremptorium.* Diu inter Christianos „ certamen fuit, an post longam pœnitentiam adulteri in Ecclesiam „ reciperentur, ut D. Cypriani epistola ad Antonianum docet : quâ „ de re post hoc edictum controversiam in Ecclesia fuisse non legi„ mus : itaque *peremptorium* vocat hoc edictum, quod hujusce rei litem „ dirimeret ; in rebus dubijs semper Ecclesia Romana præ cæteris con„ sulebatur. „ Hæc Gabriel Albaspineus, qui ulterius ponderat titulos Romani Episcopi, *Pontifex Maximus*, quo solum vocari consueverat, *Episcopus Episcoporum*, sicut & à Cypriano docet intitulatum & pergit : „ Quacumque igitur ratione aut mente de Romano Pontifice

Tertullian.

Gabriel Albaspin.

„ hæc dixerit Tertullianus, feriò vel per ludibrium, illis tamen temporibus penes eum potestatem fuisse, de rebus fidei judicia peremptoria ferre, & totius Orbis Episcopos monere atque docere, quis non agnoscit? eoque magis, quam unus Tertullianus jam hæresi implicitus de hac re cæteris Ecclesiæ Episcopis non reluctantibus conqueratur: nam de his rebus cum oppugnando conjecturam facit, id juris Romanis Episcopis concessum fuisse, eosque reverà hanc potestatem exercuisse. „

43. Quod initio sæculi 3. de pœnitentia mœchorum resolutum erat à S. Zephyrino Pontifice, obganniente licet Tertulliano, hoc post sæculi tertij medium de pœnitentiâ resolvendum offertur Sedi Apostolicæ, obganniente licet Novato Novatiani schismatis fautore. Refrigescente Christianorum charitate & crescente ethnicorum tyrannide, plures tormenti evitandi causâ libellis maculati, aut thurificatione lapsi, aut immolatorum cibis fœdati ardentius à D. Cypriano præsule Carthaginensi & totius Africæ primate pacem implorabant, qui sciens non sibi sed Romanæ Ecclesiæ Pontifici statuti ecclesiastici potestatem competere, Romam scripsit, & hoc à Clero Romano hâc de re responsum obtinuit: *Post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani, nondum est Episcopus propter rerum & temporum difficultates constitutus, qui omnia ista moderetur, & eorum, qui lapsi sunt, posset cum authoritate, & cum consilio habere rationem.* Signum evidentissimum auctoritatis Pontificiæ ubique sæculo 3. per Ecclesias recognitæ, quam sibi adscribere non audet Clerus Romanæ Ecclesiæ, quod soli Pontifici competat moderari statuta Canonica, & cum authoritate de his & similibus habere rationem: idque in tantum veritati consonum existimavit S. Cyprianus, ut coactâ 38. Episcoporum Synodo, litteras Synodicas ad Fabiani successorem Cornelium Papam transmiserit, in quibus iterato mentem Africanæ Ecclesiæ exponit de lapsis ad Ecclesiam revertentibus in fine recipiendis, & pergit: *Quod credimus vobis quoque paternâ misericordiâ placiturum.* Est epistolâ 2. antiquæ editionis libri 1. unde manifestum est, non solùm D. Cyprianum agnovisse authoritatem summi Pontificis à Clero Romano assertam, sed etiam sub paternæ misericordiæ titulo imploraffe in confirmationem statuti Synodici circà pœnitentiam lapsorum; & id ipsum impetrasse, lucet ex Concilio Romano anno 254. sub Cornelio Papâ habito apud Cyprianum epistolâ 54. ad Antonianum, & alibi, invidente interim Novato, qui Tertullianum imitatus D. Cypriano in Africâ obstitit, ac rigorem

Clerus Romanus.

D. Cyprian.

rem primitivæ Ecclesiæ defensurus cœpit effingere, in Ecclesiâ non aliam esse potestatem remittendi peccata, quam per Baptismum, adeoque & claves Ecclesiæ pastoribus abjudicandas.

44. Gravis fuit hæc contentio, quæ & causam schismati præbuit: Novatus quippe, ut habet epitomator Baronij Ludovicus Aurelius ad annum 254. qui in Africâ Episcopus fuerat, ab eaque recedens Romam venerat, turbas ibi non vulgares excitavit: nactus quippe Novatianum Romanum Presbyterum Cornelio ob æmulationem infensum, Romanam Ecclesiam vix dum persecutione quiescentem miris artibus cum ipso pastore excitavit. Quinimò abrogato Cornelio Papâ, Novatiani ad Pontificatus electionem promovisse, consequenter enarrat Baronius, & ejus dicta confirmat Cyprianus libro 2., epistolâ 7. ad Cornelium, ubi Novatum schismatis authorem post divisionem Ecclesiæ Africanæ tradit & divisionem induxisse Romanæ: *Cum sua tempestate*, inquit, *Roma quoque ad evertendam Ecclesiam navigans, similia illic & paria molitus est à clero portionem plebis avellens, fraternitatis benè sibi cohærentis & se invicem diligentis concordiam scindens. Planè quoniam pro magnitudine sua debeat carthaginem Roma præcedere, illic maiora & graviora commisit. Qui istic adversus Ecclesiam Diaconum fecerat, illic Episcopum fecit.* Enimverò Romam accedens Novatus in errores suos traxerat Novatianum, qui ambitum Romani simulans Episcopatus dissidium amplexus est sub nomine & titulo propugnandi antiquam Ecclesiæ consuetudinem de lapsis à Pœnitentiæ sacramento excludendis: *Novatus* (inquit Socrates libro 4. historiæ, cap. 28. ex versione Valesij, seu potiùs Novatianus,) *Presbyter Ecclesiæ Romanæ ideò dissidium fecit, quod Cornelius Episcopus, fideles, qui tempore persecutionis à Decio Imperatore contrà Ecclesiam excitatæ idolis sacrificaverant, in communionem suscepisset. Hanc igitur ob causam cum secessisset, ab Episcopis, qui idem tum ipso sentiebant, ad Pontificatum evectus, scripsit ad omnes ubique Ecclesias: ne eos, qui demonibus immolaverant, ad sacra mysteria admitterent. Sed ut hortarentur quidem eos ad pœnitentiam; indulgentiam autem criminum relinquerent Deo, penes quem ius arbitriumque est crimina remittendi. His litteris ad omnes Provincias perlatis, singuli pro suis moribus de his, quæ significabantur, tulere judicium.* Et infrà: *dum hæc agitatur controversia, supervenerunt litteræ Cornelij Romani Pontificis, quæ iis etiam, qui post Baptismum deliquissent, indulgentiam spondebant. Ita utrisque contraria inter se scribentibus, & sacrarum litterarum testimonio sententiam suam comprobantibus, unusquisque, ut fieri solet, ad eam partem se contulit, ad quam jam anteà suopte ingenio erat propensior.* Ex quo manifestum est, Novatianum

Cyprianus

Socrates.

tianum divisionem attentasse, persuasus ex Novati erroribus de non absolvendis lapsis ad pœnitentiam recurrentibus. Idem testatur Zozomenus & Eusebius in historiâ, ac confirmat Eusebius in chronico

Eusebius. *Novatus Presbyter Cypriani Romam veniens Novatianum & cæteros confessores sibi sociat, eo quod Cornelius pœnitentes apostatas absolvat.*

45. Et hæc quidem toto Orbe schismatis fundamina jacebat Novatianus sub speciosò titulo & colore, nam, ut testis est D. Ambrosius libro 1. de pœnitentia, cap. 15. *Episcopatus amissi dolore succensus Novatianus schisma composuit.* Cui consonat testis oculatus D. Cornelius Pontifex & martyr in epistolâ ad Fabium Patriarcham Antiochenum apud Eusebium versionis Valesij libro 6. cap.43. *Igitur Cornelius Fabium docens, cujusmodi ingenio ac moribus fuisset Novatus, ita scribit: atque ut scias qualiter admirandus ille vir Episcopalis loci cupiditate iam primum incensus, & præcipitem illam ambitionem suam tegens diu omnes latuerit*; addit de Novatiano, *qui tremendis quibusdam sacramentis affirmaverat, se Episcopatum non concupiscere.* At hoc non obstante animi sui ambitum ulterius ferre non potens: *Repentè*, pergit S. Cornelius, *tanquam ex machinâ suâ in medium proiectus, Episcopus apparuit. Et is qui se Doctorem & Ecclesiasticæ disciplinæ propugnatorem ferebat, cum Episcopatum sibi à Deo minimè concessum rapere ac vindicare conaretur, duos deploratæ salutis homines sibi socios adjunxit, ut eos in exiguam ac vilissimam Italiæ partem mitteret, atque illinc accitos tres Episcopos homines plane rudes ac simplices, fraudulentâ quâdam molitione deciperet; constantissimè affirmans, ipsos quam primum Romam proficisci oportere, ut omnis undecumque orta discordia ipsorum una cum aliis Episcopis interventu atque arbitrio sedaretur. Qui cum advenissent homines, ut jam diximus, simpliciores ingenij, nec in his perditorum hominum artibus ac fallacijs satis triti: eos ille à quibusdam sui simillimis, quos ad id comparaverat inclusos hora 10. temulentos & crapulâ oppressos, adumbratâ quadam & inani manuum impositione Episcopatum sibi tradere per vim cogit. Eumque nullo sibi jure competentem per fraudem atque insidias vindicat.* Et hæc erat deploranda illa Novatiani in Episcopatum intrusio tantæ per Orbem divisionis occasio.

D. Ambr.

Eusebius.

S. Cornel.

46. Novatiani, post schisma, religiosum de tuendâ lege antiquâ animum explodit S. Cornelius Papa in eadem ad Fabium Antiochenum epistolâ, *Ergo ille evangelij vindex ignorabat, unum Episcopum esse oportere in Ecclesiâ Catholicâ.* Et non minus arguit S. Cyprianus ubique exclamans, Novatianum à se ipso incipere, nec manente D. Cornelio, verum Pontificem esse, sed schismaticum Sedis Romanæ invasorem, & consequenter omnes Novatianos ab unitate Ecclesiæ divisos:

Cornelius.

Chri-

Christus (inquit S. Præsul Carthaginensis epistolâ ad Magnum) *ad unitatem redigens Ecclesiam suam denuò dicit; & erunt unus grex, & unus Pastor. si autem grex unus est, quomodò potest gregi adnumerari, qui in numero gregis non est? aut Pastor haberi quomodò potest, qui manente vero Pastore, & in Ecclesiâ Dei ordinatione succedaneâ præcedente, nemini succedens & à se ipso incipiens alienus fit & prophanus?* Ubi à D. Cypriano agi contrà Novatianos non solùm colligitur ex additis de Cornelio Romano Pontifice, sed & manifestè testatur Facundus Hermianensis Episcopus anno 530. in epistolâ fidei catholicæ pro defensiône trium capitulorum: *Cyprianus namque (inquit) in epistolâ pro sancto Cornelio similiter martyre & Episcopo urbis Romæ, quem Novatianus hæreticus expulerat, & se loco ejus, sicut & nunc à novellis hæreticis factum est, subrogaverat, ad Magnum scriptâ, post alia dicit: si autem grex unus est, quomodò potest gregi adnumerari, qui in numero gregis non est, aut Pastor haberi quomodo potest, qui manente vero Pastore, & in Ecclesiâ Domini ordinatè succedente ac præsidente, nemini ipse succedens, & à seipso incipiens, alienus fit & prophanus, Dominicæ pacis ac Divinæ unitatis inimicus, non habitans in domo Dei, id est in Ecclesiâ Dei, in qua non nisi concordes atque unanimes habitant? denique quam sit inseparabile unitatis sacramentum, & quam sine spe sint, & perditionem sibi maximam de indignatione Dei acquirant, qui schisma faciunt, & relicto Episcopo alium sibi Pseudoepiscopum constituunt &c.* Hæc omnia Facundus Hermianensis Episcopus, quæ iteratò referre libuit, quia ex iis correctior redditur locus D. Cypriani, qui expositione non indiget, utpotè schismaticos esse docens, qui ab unitate capitis sui Romani Episcopi in Ecclesiâ præsidentis existunt divisi; undè & libro 4. epistolâ 8. ad Cornelium Papam scribit, se Romam navigantes admonuisse: *Vt Ecclesiæ Catholicæ matricem & radicem agnoscerent & tenerent.* Et in 3. epistolâ ad Cornelium libro 1. vel editionis Pamelij 55. Fortunatianum Pseudoepiscopum aliosque Romam navigantes, ut Sedis Apostolicæ Pontificem falsitatibus circumvenirent, his verbis excipit: *Post ista adhuc Pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto navigare audent: & ad Petri Cathedram atque Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & prophanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum.*

Cyprianus

Facundus Hermiau.

Cyprianus

47. Quantum Cyprianus laborabat pro extinguendo schismate, tantum Novatianus sese opponebat pro firmandâ Pontificatus invasione: legatos ubique terrarum mittebat, ut sibi orbis Episcopos devinciret, & nolentes depositionis terrore adigeret. *Cum sit à Christo una*

Cyprianus

una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa (inquit Cyprianus epistolâ ad Antonianum) *item Episcopatus unus Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus, ille* (scilicet Novatianus) *post Dei traditionem, post connexam & ubicumque coniunctam Catholicæ Ecclesiæ unitatem, humanam conetur Ecclesiam facere, & per plurimas civitates novos Apostolos suos mittat, ut quædam recentia institutionis suæ fundamenta constituat: cumque iam pridem per omnes Provincias, & per urbes singulas ordinati sint Episcopi in ætate antiqui, in fide integri, in pressurâ probati, in persecutione proscripti, ille super eos creare alios Pseudo-episcopos audeat, quasi possit aut totum Orbem novi conatus obstinatione peragrare, aut Ecclesiastici corporis compaginem discordiæ suæ seminatione rescindere: nesciens schismaticos semper inter initia sua fervere, incrementa verò habere non posse, nec augere quod illicitè cœperint, sed statim cum pravâ suâ æmulatione deficere.* parte 5. Christianus Lupus hoc totum urget pro Romani Pontificis supremâ in ordinandis ubique terrarum Episcopis authoritate, nec immeritò, cum, quæ sibi Novatianus adscribat, ex authoritate Pontificiâ desumpserat: quidquid enim juris Pontifex legitimus obtinebat, hoc sibi schismaticus Pontifex Novatianus adscripserat, ubique se gerens ac si schismaticus suus populus esset vera Christi Ecclesia: unde & Cyprianus in epist. ad Iubai., *Novatianus simiarum more, quæ cum homines non sint, homines imitantur.* Simiarum more Pontificatum agebat, quam cum reverà nunquam habuisset, solum imitari potuit, & sic toto terrarum Orbe jurisdictionem fraudulentam exercens, plures in partes suas traxit, quod facinus adeò ponderavit D. Cyprianus, ut libro 1. epistolâ 3. hoc omnium hæresum & schismatum dixit originem: *Neque enim aliundè hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesiâ ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Christi cogitatur, cui si secundum magisteria Divina obtemperaret Fraternitas universa, nemo adversum Sacerdotum collegium quidquam moveret.* An gravius aliquid dici quid possit in schismatis detestationem, & unius Romani Pontificis suprà omnes fideles auctoritatem, vix scio? Aureum illud Cypriani dictum æternitati consecrandum est, non oblivioni tradendum.

Cyprianus

Cyprianus

48. Nec minus consideranda sunt, quæ habet epistolâ ad Magnum, schismaticos semper inter initia sua fervere, incrementa verò habere non posse, sed statim cum pravâ suâ æmularione deficere. Enimverò cum Novatiana rabies non solùm Italiam, Gallias & Africam, sed ipsum quoque Orientem pervasisset, ut habet ex epistolâ Dionisij Patriarchæ Alexandrini ad Cornelium Papam Eusebius Pamphilius libro

libro 6. historiæ, cap. 46. dicens, tunc temporis ab Orientis præcipuis Episcopis Synodum Antiochenam convocatam, *in quâ quidam Novati schisma confirmare tentabant.* Idem Eusebius adjungit, à D. Cornelio Romæ habitam fuisse Synodum sexaginta Episcoporum, Novatique hæresim cum auctorum excommunicatione damnatam, & hac de re epistolam scripsisse ad Fabium Patriarcham Antiochenum, in qua *& Romanæ Synodi gesta, & omnium per Italiam, & Africam, aliasque locorum illorum Provincias sententiæ declarantur.* Post quæ & Novati hæresim ac schisma, ut Cyprianus dixerat, minui cœpisse, lucet ex Italiâ, in quâ dum Urbani, Sydonij, & Maximi Novatianorum nomine per omnes Ecclesias litteræ calumnijs & maledictis plenæ frequenter missæ fuissent, iidem ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem reverti petierunt, & scribit D. Cornelius ad Cyprianum libro 3. epistolâ 11. *Actu ad me perlato placuit contrahi Presbyterium.* In quo hanc confessionem gementes emisisse adjungit: *Nos Cornelium Episcopum sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ erectum à Deo Omnipotente, & Christo Domino nostro scimus, nos errorem nostrum confitemur &c. Nec ignoramus, unum Deum esse, & unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, unum Spiritum S. unum Episcopum in Catholicâ Ecclesiâ esse debere.* Ad quæ Henricus Valesius annotatione in librum 6. Eusebij cap. 43. „ Ecclesia Catholica specialiter appellatur Romana, „ eo quod radix sit, & matrix Ecclesiæ Catholicæ, ut ait Cyprianus „ in epist. ad Cornelium. „

Eusebius. Cornelius Papa. Valesius.

49. Inter alios, quos Novatianus in partes suas traxerat, locum præcipuum tenebat Martianus Arelatensis in Galliâ Episcopus, qui & obinde Coëpiscopis insultans nullius terrebatur judicio, Novatianum sibi faventem proclamans, sub cujus alis latitabat, unde & Faustinus Lugdunensis Episcopus cum suffraganeis Provinciæ rem totam ad Stephanum S. Cornelij successorem detulerunt, de quo D. Cyprianus lib. 2. epistolâ 13. ad Stephanum Pontificem: *Evastinus collega noster Lugduni consistens semel atque iterum mihi scripsit, significans ea, quæ etiam vobis scio utique nuntiata, tam ab eo, quàm à cæteris Coëpiscopis nostris in Provinciâ constitutis, quod Martianus Arelate consistens, Novatiano se conjunxerit.* Non solùm Stephano, sed & D. Cypriano rem communicarant Antistites Gallicani, at S. Cyprianus sciens hæc sibi solum nuntiata, ut apud Stephanum Papam hac pro re ageret, laudatam epistolam conscripsit, & pergit: *Facere te oportet plenissimas litteras ad Coëpiscopos nostros in Gallijs constitutos, ne ultrà Martianum pervicacem & superbum, & divinæ pietatis ac fraternæ salutis inimicum collegio nostro insultare patiantur.* Et infrà: *dirigan-*

Cyprianus

tur in Provinciam & ad plebem Arelate consistentem à te litteræ, quibus abstento Martiano alius in totum eius substituatur. Quod Novatianus in deponendis Episcopis usurparat jus Pontificium, hoc S. Cornelio & Stephano legitimis Pontificibus competebat, unde & Gallicani Antistites per Evastinum Lugdunensem, & Afri per Cyprianum Carthaginensem Martiani depositionem in signum primatus à Stephano exigunt; ut ingenuè animadvertit Parisiensis Archiepiscopus de Marca libro 1. cap. 10. §. 8.: „Decernendi & pronuntiandi de re propositâ juxtà „sententiam Gallicanorum & Africanorum Episcoporum potestas „Romanæ Ecclesiæ asseritur, eique plenissima executionis cura de „mandatur. „ Et infrà: „ Nullâ industriâ novatores hoc testimonium „Cypriani elevare possunt, futilis est enim illa responsio, non depo„ni à Stephano Martianum, sed deponendum declarari, quinimò „conceptis verbis Cyprianus exigit à Stephano, ut suis litteris Mar„tianum damnet, atque adeò alium substituendum decernat.„

De Marca.

50. Non minus Orientis Episcopos turbarat Novatiani schisma, de quo Dionisius Patriarcha Alexandrinus ad ipsum Novatianum, referente D. Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis: *Nolensve ad sacerdotium fueris inductus, ita demum ostendes, si volens cesseris: nam oportuit quidvis etiam hâc gratiâ perpeti, ne discinderetur Ecclesia Dei; neque minus præclarum ex hoc contigisset testimonium, quod noluisses dissidium inducere, quam proficisci solet ex eo, si quis recusset simulacris immolare, atque adeò præclarius etiam meâ quidem sententiâ: si quidem illic uni propriaque consulitur animæ, hic totius Ecclesiæ negotium agitur. Tametsi nunc quoque si persuaseris, si compuleris fratres in concordiam redire; plus egeris officio, quam peccaveris errato: atque hoc quidem haud imputabitur, illud verò laudibus feretur.* Notanda sunt verba Dionisij Patriarchæ Alexandrini, *hic totius Ecclesiæ negotium agitur*, tanti momenti tunc æstimabatur Romani Pontificatus concussio; ut inde totius Ecclesiæ pendere dicebatur negotium: additque Dionisius, divisam Dei Ecclesiam non solùm in Occidente, sed & in Oriente, ubi tam schisma, quàm hæresis Novatiani fidelium animos turbarat, & fœdè diviserat, de quorum inopinatâ concordiâ ad Stephanum Papam Dionisius Patriarcha Alexandrinus: *Scias autem nunc frater, unitas esse cunctas per Orientem & adhuc ulteriores Ecclesias, quæ anteà divisæ à se invicem fuerunt. Concordes sunt omnes ubique Ecclesiarum præsides vehementer gaudentes super pace, quæ præter exspectationem est facta. Demetrianus Antiochiæ, Teoctistus Cæsareæ, Mesabantes Ierosolymis, Marinus Tyri mortuo Alexandro, Heliodorus Laodiceæ post obitum Thelymidris, Helenus Tarsi, & cuncti Ciliciæ Ecclesiæ, Firmilianus &*

Dionysius Alexand.

Dionysius Alexand.

& omnis Cappadocia &c. Gravissimos per Orientem tumultus hic indicat Dionisius, eosque ob causam Novati & Novatiani excitatos, testis est Eusebius Cæsareensis in Palestinâ Episcopus, qui libro 7. historiæ cap. 4. fatetur, Dionisium Stephano significasse: *Quoniam cessasset persecutio, omnes ubique Ecclesias Novati temeritatem adversantes pacem esse inter se complexas.* Habet editio Ioannis Dadrei Parisijs anno 1581. quod persecutionis fluctibus sedatis omnes ubique Ecclesiæ novâ ac perversâ Novati hæresis pravitate repudiatâ pacem *inter se conciliassent.* Ubi non quæstionem de rebaptizatione hæreticorum, sed verè de hæresi Novati pacem compositam in Orientis Ecclesijs contrà Baronium videbimus infrà.

Eusebius.

CAPUT V.

Elucidatur contentio de rebaptizatione hæreticorum.

51. *Proponitur mens Launoij ex variis eius epistolis, in quibus hanc de rebaptizatione contentionem opponit infallibilitati Pontificiæ.*

51. Launoius Parisiensis Theologus parte 4. epistolâ ad Henricum Barillonium, hanc contentionem inter D. Cyprianum Episcopum Carthaginensem, & S. Stephanum summum Ecclesiæ Præsulem exortam contrà infallibilitatem Romani Pontificis adducit, & allato testimonio Dionisij Patriarchæ Alexandrini contradicentium Stephano sententias condemnare retractantis addit: „ Hæc non scripsisset „ Dionisius ad Pontificem, si Stephanum indeficienti judicio fecisse, „ quod sic fecisse dicitur, existimasset. „ Minus se hanc causam egisse citatâ epistolâ credidit Launoius, ideoque parte 8. epistolâ ultimâ ad Iacobum Bevilaque causam resumpsit, & ad integrum Cypriani cum Stephano contentionem excussit, proponens, quæ decrevit Stephanus, & quàm acriter decretum Papæ refellat Cyprianus, addensque complura aliorum testimonia, ut probet, quod probaturum se promisit in synopsi hujus epistolæ ad initium partis 8. „ Cyprianum pluris, quàm Stephanum apud Orientis & Occidentis Ecclesiam habi- „ tum fuisse. „ Res indiget altiori indagine, & quia magni momenti est, radicitus venit enodanda.

Launoius.

ARTICULUS I.

Texitur origo hujus contentionis.

52. *Suasu Tertulliani primus omnium rebaptizationem introduxit Agrippinus Carthaginensis Episcopus, ut habet Vincentius Lirinensis.*
53. *S. Vincentio se opponit Launoius, sed Vincentio adstipulatur Cyprianus.*
54. *Inquiritur de consuetudine Cappadociæ, Alexandriæ, aliarumque regionum, & ostenditur malè à Firmiliano institutum Apostolicum citari pro rebaptizatione, cum posteà cœperit, & ab Agrippino primum introducta sit.*
55. *Schisma Novatiani causam præbuisse agitandi hanc quæstionem paucis pertractatur.*

52. PRimus qui validitatem Baptismatis hæretici arietare cœpit, fuisse videtur Tertullianus in Africâ, qui libro de Baptismo cap. 15. docet unum Deum, unum Baptisma, ac pergit: *Sed circà hæreticos sanè quid custodiendum sit, dignè quis retractet? ad nos enim editum est; hæretici autem nullum habent consortium nostræ disciplinæ: quos extraneos utique testatur ipsa ademptio communionis.* Hic quæstionem proponit Tertullianus, qui & innuere videtur, ex tunc agitari cœpisse quæstionem in Africâ, cui & hanc solutionem apponit: *Non debeo in illis agnoscere, quod mihi est præceptum, quia non idem Deus est nobis & illis, nec unus Christus, id est idem, ideoque nec baptismus unus, quia non idem, quem, cum ritè non habeant, sine dubio non habent. Nec capit numerari, quod non habetur: ita nec possunt accipere, qui non habent.* Addit Ioannes Launoius ad hæc verba Tertulliani: „ Hic hæreticorum Baptismum sine exceptione ullâ repudiat. „ Quinimò habet Lupus, Tertullianum tunc Carthaginensem Clericum in causâ fuisse, quod Episcopus ejus Agrippinus coacto Carthaginensi Concilio hæreticorum Baptisma exsufflaverit, & rebaptizandum statuerit, de quo Cyprianus epistolâ ad Quirinum: *Agrippinus bonæ memoriæ vir cum cæteris Coëpiscopis suis, qui illo tempore in Provinciâ Africâ & Numidiâ Ecclesiam Domini gubernabant, statuit, & librata consilii communis examinatione firmavit.* Ut omnium mortalium primus ab hæresi revertentes Agrippinus statuerit rebaptizandos, juxtà illud S. Vincentii Lirinensis libro contrà hæreses, cap. 9. *Quondam igitur venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginensis Episcopus primus omnium mortalium contrà divi-*

Tertullian.

Launoius.

Cyprianus

Vincentius Lirinensis.

divinum canonem, contrà universalis Ecclesiæ regulam, contrà sensum omnium consacerdotum, contrà morem ac instituta maiorum rebaptizandum esse censebat.

53. S. Vincentio Lirinensi opponit se novissimè Ioannes Launoius, & citatis Tertulliano, Clemente Alexandrino, D. Ireneo, & IustinoMartyre, ut hæreticorum Baptismata improbantibus, concludit: ,, Agrippinus non fuit omnium mortalium primus, qui rebaptizandum ,, esse censuit.,, Verum quidquid sit de Clemente Alexandrino, Ireneo, & Iustino Martyre, solus huius rei fucus hauriri videtur ex Tertulliano, qui cum sensum suum aperuit de hæreticorum Baptismate, speculationi tulit judicium, quod primus omnium mortalium, ut S. Vincentius intelligendus est, Agrippinus praxi mandandum censuit, & decreto Synodico constituit. Neque anteriorem numerare potuit Cyprianus epistolâ 73. ad Iubaianum Episcopum, ubi scribit: *Apud nos autem non nova, aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam perveniunt, quando multi jam anni sunt, & longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerunt, atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in Provincijs nostris ad Ecclesiam conversi non aspernati sint, neque cunctati, imò & rationabiliter complexi sint, ut lavacri vitalis, & salutaris Baptismi gratiam consequerentur.* Enumerat hic D. Cyprianus, qui rebaptizationem hæreticorum cœperunt in Africâ, & cum initium ab Agrippino repetat, Agrippinum primum facit, & sic quoque S. Vincentio Lirinensi consentit.

Launoius. Cyprianus.

54. Maior difficultas videri posset de sententiâ Cappadociæ, cuius autocephalicum caput Firmilianus in epistolâ ad D. Cyprianum *hæretico (inquit) sicut ordinare non licet, nec inanum imponere, ita nec baptizare, nec quidquam sanctè nec spiritualiter gerere, quando alienus sit à spiritali & Deificâ sanctitate. Quod totum nos jam pridem in Iconio, qui Phrygiæ locus est, collecti in unum convenientibus ex Galatiâ, & Ciliciâ, & cæteris proximis regionibus confirmavimus tenendum contrà hæreticos firmiter & vindicandum, cum à quibusdam de istâ re dubitaretur.* Et infrà: *cæterum nos veritati & consuetudinem jungimus, & consuetudini Romanorum consuetudinem, sed veritas opponimus; ab initio hoc tenentes, quod à Christo & ab Apostolo traditum est. Nec meminimus hoc apud nos aliquando cœpisse, cum semper istic observatum sit, ut non nisi unam Dei Ecclesiam noscemus, & sanctum Baptisma non nisi sanctæ Ecclesiæ computaremus.* Ubi Firmilianus testatur, sese non meminisci, hoc aliquandò cœptum in Cappadociâ, cui consonat aliquatenus Dionisius Patri-

Firmilian.

Patriarcha Alexandrinus epistola ad Philemonem Presbyterum apud Eusebium libro 7. capite 6. *Didici, quod non Episcopi in Africâ solum istam consuetudinem de hæreticis rebaptizandis jam invexerunt; Verum etiam longe tempore ante Episcoporum memoriam, qui antegressi sunt, in Ecclesijs maximâ hominum frequentiâ celebratis, & Synodis fratrum tum Iconij, tum Synadis, tum alijs multis in locis convocatis istud decretum fuit.* Non quidem ab Apostolis hoc decretum, sed ab Episcopis etiam longè ante tempora sua varijs in locis rebaptizationem introductam, & in Concilijs Africæ sub Cypriano, Iconiensi sub Firmiliano, alijsque firmatam. Quinimò Dionysius se dubitare insinuat, de consuetudine Ecclesiæ Alexandrinæ: *Istum Canonem*, inquit, *istudque exemplum à beato Papâ nostro Heraclâ cepi. Ille enim eos, qui ab Ecclesiâ abscessissent, (imò verò non ita abscessissent, quin ob corporis præsentiam congregationis fidelium viderentur esse participes.) eo, inquam, cum essent accusati, quod consuetudine cuiusdam eorum, qui alienam & diversam à fide doctrinam tuebantur, multum usi fuissent, Ecclesiâ eiecit: & quamvis verè & ex animo ab erroribus se averterent, & in Ecclesiam admitti denuò magnoperè flagitarent, non usque eo admisit, quoad omnia, quæ à veritatis adversarijs audivissent, palam apud omnes essent elocuti. Atque tum in Ecclesiam & conventum recepit, non aliud Baptisma in illis omninò desiderans: quippè antea fuerant ab illo Spiritum sanctum assecuti.* Ex Catholicis ad hæreticos aut schismaticos accedentes, si ad pœnitentiam reversi in Ecclesiam recipi flagitabant, non rebaptizatos fuisse, docet Dionysius: an verò Heraclas apud hæreticos baptizatos censuerit rebaptizandos, non edicit: videtur supponere quod sic, aliàs enim opinio prædecessoris sui Heraclæ nihil ad rem fecisset pro præsenti quæstione. Quidquid sit, originem rebaptizandi ab Apostolis non ducit Dionysius, nec Clementem Alexandrinum in sui favorem allegat, quod certò fecisset, si ut putat Launoius, tempore Clementis Alexandrini rebaptizandi consuetudo Alexandriæ fuisset observata: ut adhærendum sit S. Vincentio Lirinensi attestanti, primò hunc morem tempore Tertulliani ab Agrippino introductum, quidquid de suæ Provinciæ consuetudine ante introductâ animo & mente perturbatus sensit Firmilianus, non hoc unicum, sed & alia plura supponens in laudatâ ad Cyprianum epistolâ, neque enim fieri potuit, ut error ab Apostolis cœpit, sed si quis extiterit, uti hic de rebaptizatione hæreticorum, post traditionem Apostolicam introductus sit.

Dionysius Patriarcha Alexand.

Dionysius.

55. Quæri potest, cum tot Regionum consuetudines jam nullo contradicente Romano Pontifice in Orbe Catholico observabantur, cur hoc potissimum tempore tanta ubique exarserit has de re contentio.

tio. Verum solutio pendet ex dictis capite præcedenti: exhibuimus in illo schisma Novatianorum, qui docebant teste Epiphanio hæresi 59. *Post lavacrum non amplius posse misericordiam assequi lapsum*, Ideoque ut habet Ambrosius libro 1. contrà Novatianos, capite 6. *Claves Regni Cælorum non suscipiunt, negantes, quod dimittere peccata debeant*, nimirum absolvendo, licet remitti admittebant conferendo Baptismum, quem sibi soli vendicabant: *Novatiani* (inquit D. Ambrosius in caput 1. epistolæ 1. ad Corinthios) *& Donatiani, qui Baptismum sibi vendicant, à nostris baptizatos reprobantes.* Unde & ex Catholicis ad suam sectam venientes non ad Pœnitentiam sed Baptismum ubique recipiebant Novatiani, quod & Catholicorum de rebaptizatione scrupulos excitavit, ut patet ex Joviano seu Jubaiano Africæ Episcopo, qui teste Zonarâ in præfatione sua ad Synodum Carthaginensem apud Philippum Labbe tomo 1. Conciliorum, Cypriano hac occasione scripsit, eaque de re hoc responsum accepit: *Quod in litteris tuis complexus es, Novatianos rebaptizare eos, quos à nobis sollicitant, quandò ad nos omninò non pertineat, quid hostes Ecclesiæ faciunt, dummodò teneamus ipsi potestatis nostræ honorem, & rationis ac veritatis firmitatem.* Et hinc in Cappadociâ Firmilianus occasionem totius controversiæ expositurus, scripsit quoque ad Cyprianum: *Quoniam quidam de eorum Baptismate dubitabant, qui etsi novos prophetas recipiunt, eosdem tamen Patrem & Filium nosse nobiscum videntur; plurimi simul convenientes in Iconio diligentissimè tractavimus, & confirmavimus repudiandum esse omne omninò Baptisma, quod sit extra Ecclesiam constitutum.* Eo quod Catholici videbant Novatianos rebaptizare omnes ad sese venientes etiam legitimo Catholicorum Baptismo initiatos, quæsitum fuit & dubitatum, num ij, qui ex hæreticis aut schismaticis ad Catholicos accederent, omnes forent rebaptizandi, licet in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti essent initiati & hæc propriè est quæstio in Synodo Iconiensi decisa, & hocce tempore exagitata, ut jam videbimus.

Epiphan. D. Ambr. D. Cypriã. Firmilian.

ARTICULUS II.

Referuntur sententiæ D. Cypriani & Stephani Papæ, & num adversantes Stephano excommunicati sint?

56. *Fervor Cypriani pro rebaptizatione hæreticorum, & missa eius rei relatio ad Sedem Apostolicam.*

57. *Mens Cypriani per ipsum exposita de reiiciendo omni hæreticorum Baptismate, & mens Stephani à Launoio interpretata de admittendo omni hæreticorum Baptismo.*

58. *Ostenditur contrà Launoium, quod Stephanus Papa non admiserit hæreticorum Baptismata sine formâ legitimâ, idque eruitur nunc primum ex ipsomet Stephani decreto.*

59. *Clarius verò idipsum firmatur ex tractatore Anonymo, ex D. Cypriano, & omnium clarissimè ex Firmiliano contemporaneis Stephano.*

60. *Solum itaque Cyprianum cum suis errasse, ob quod an à Stephano fuerint excommunicati? variant periti.*

61. *Peritorum sententia, quæ tenet nec Cyprianum nec Firmilianum cum suis fuisse reipsâ excommunicatos, idque lucet ex Eusebio, cuius locus vindicatur contrà Lupum, uti & locus Firmiliani contrà Baronium.*

62. *Vindicatur D. Cyprianus contrà imposturas Firmiliani ab excommunicatione immunis.*

63. *Firmatur id etiam ex ipsomet Cypriano, Hieronymo, Augustino, & Paciano.*

64. *Licet Cyprianus in Africâ & Firmilianus in Cappadociâ cum Stephano Papa acriter contenderint, non sequitur Stephanum eos à communione separasse, intercessione enim Dionysii Patriarchæ Alexandrini suspensa fuit excommunicatio, & relicta de rebaptizatione hæreticorum disputandi inter Episcopos libertas usque ad definitionem Generalis Concilij.*

56. NOn contentus erat Cyprianus uno Carthaginensi Concilio aliud & numerosius ex omni Africâ eodem anno 256. convocavit, & 70. Episcoporum suffragijs, sicut Firmilianus in Synodo Iconiensi, ita & in secundâ Carthaginensi hæreticorum baptisma penitus exsufflavit, & quo firmius judicium foret, ad Stephanum Romanum

manum Antistitem decretum per litteras Synodicas transmisit, de quo D. Hieronymus in dialogo contrà Luciferianos: *Conatus est D. Cyprianus lacus contritos fugere, nec bibere de aquâ alienâ, & idcircò hæreticorum Baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ urbis Episcopum, qui à beato Petro 26. fuit, super hac re Africanam Synodum direxit.* Etenim graviores causæ ab omni tempore ad Sedem Apostolicam solebant referri, nec aliquid statui aut decidi poterat Ecclesijs sine Romani Episcopi judicio, unde & Stephani judicio decretum suum approbandum direxit Cyprianus. *Sed* (inquit D. Hieronymus suprà) *conatus eius frustrà fuit.* Quinimò si Firmiliano credendum sit: *Stephanus* (inquit in epistolâ sæpius citatâ) *legatos Episcopos patienter satis ac leniter suscepit, ut eos nec ad sermonem saltem alloquij communis admitteret, adhuc insuper communionis & charitatis memor, præciperet fraternitati universæ, ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solùm pax & communio, sed & tectum & hospitium negaretur.* Hoc non in primo relationis instanti contigisse, sed posteà exorto inter Stephanum & Cyprianum dissidio, longè verisimillimum est, quidquid tamen sit, acceptis Cypriani litteris Synodicis, longè aliter sensit Stephanus.

Hieronym. Firmilian.

57. Mentem suam ipse Cyprianus expressit epistolâ 4. ad Pompeium: *Observatur itaque à nobis, & tenetur frater charissime, exploratâ & perspectâ veritate, ut omnes, qui ex quâcumque hæresi ad Ecclesiam convertuntur, Ecclesiæ unico legitimo Baptismo baptizentur.* Mentem verò Stephani his verbis addit ibidem: *Si quis ergò à quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in Pœnitentiam, cum ipsi hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum*: cui subnectit Cyprianus: *A quâcumque hæresi venientem baptizari in Ecclesiâ vetuit, id est, omnium hæreticorum Baptismata justa esse & legitima judicavit.* Ex quibus concludit Ioannes Launoius parte 8. epistolâ ad Bevilaque: „ Stephanus hæreticorum Baptismum admittebat quemcumque, Cyprianus hæreticorum Baptismum reiiciebat quemcumque. „ Et utrumque errasse decernit: Stephanum quidem admittendo hæreticorum Baptismata, quorum aliqua non fiebant in nomine SS. Trinitatis, Cyprianum verò abjudicando hæreticorum Baptismata, licet in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. collata.

Cyprianus Launoius.

58. Hæc quidem Launoius rectè de mente Cypriani, at falsò de mente Stephani. Stephanum enim approbasse eorum Baptismata, quæ in formâ legitimâ non erant collata, error est longè gravissimus, & commentum huc usque in Ecclesiâ Dei inauditum. Pugnabat sanctus

Pontifex pro antiquâ Ecclesiæ Romanæ, Africanæ, & orbis consuetudine, *Nihil* inquiens, *innovetur, nisi quod traditum est*, & suam de non rebaptizandis hæreticis sententiam dicebat à Petro & Paulo continuâ Traditione ad suum usque tempus in Italia observatam: nunquid verò Apostolorum Princeps Petrus errorem Ecclesiæ tradidit, & Ecclesia communi consuetudine ab initio errorem servavit? Absit ab Apostolicâ Sede tam infamis Traditio, absit à Christi in terris Ecclesiâ tam nefanda consuetudo. Nunquam Romana Ecclesia pro Baptismo sine formâ legitimâ contrà Carthaginensem certavit, nunquam Stephanus talem Baptismum contrà Cyprianum admisit: quidem verum est, quod à quacumque hæresi venientem baptizari vetuerit, sed in sensu contradictorio Cypriani, qui omnem omninò Baptismum hæreticorum ut talium reprobabat, quod putaret extrà Ecclesiam dari non posse legitimum: idem sensit Firmilianus cum suæ partis Episcopis: & huic reponit Stephanus, nullum Baptismum hæreticorum ut talium esse reiterandum, quod & extrà Ecclesiam constituti, cujuscumque sint sectæ & hæresis, Baptismum possint conferre, si nimirum debitâ formâ uterentur & materiâ.

Stephanus Papa.

59. Ne tamen absque fundamento mentem Stephani exponere videamur, prodeat Anonymi tractatus hac de re ex concessione Jacobi Sirmondi primum à Nicolao Rigaltio post epistolam Cypriani ad Pompeium, & deindè à Philippo Labbeo tomo 1. Conciliorum editus, qui, ut annotat Labbeus „ Quantum ex dictione deprehenditur, „ auctoris est, ab ævo Cyprianico parum distantis. „ & sic incipit: *Animadverto quæsitum apud fratres, quid potius observari oportet in personam eorum, qui in hæresi quidem, sed in nomine Dei nostri* Jesu Christi *sint tincti*: & paulò post: *utrum vetustissimâ consuetudine ac Traditione Ecclesiasticâ, post illum, qui foris quidem, sed in nomine* Jesu Christi *Dominicum acceperunt Baptisma, tantummodò imponi eis manum ab Episcopo ad accipiendum Spiritum sanctum sufficeret.* Ubi luce clarius apparet, totam quæstionem inter Cyprianum & Stephanum fuisse de Baptismo hæreticorum, supposito quod in nomine Christi seu Trinitatis Baptismum conferrent: & huic præcisè respondet Cyprianus epistolâ 74. ad Pompeium: *Cur (inquit) in tantum Stephani fratris nostri obstinatio dura prorupit, ut etiam de Marcionis Baptismo, item Valentini & Apelletis, & cæterorum blasphemantium in Deum Patrem, contendat Filios Deo nasci, & illic in nomine* Jesu Christi *dicat remissionem peccatorum dari. In nomine* Jesu Christi inquit Cyprianus, quo Anonymi mentem confirmat: cum enim Mar-

Labbeus

Anonymi tractatus.

Cyprianus

cionis

cionis aliorumque de sanctissimâ Trinitate non rectè sentientium hæreticorum Baptisma refellat, non urget in nomine sanctissimæ Trinitatis fieri debere, sed à ministro, qui fidem sanctissimæ Trinitatis habet, tribui oportere. Idem ubique urget Firmilianus, & ut Launoius videat quàm injuriosè cum D. Stephano egerit, & quàm graviter in assignandâ mente hujus Pontificis erratum sit, audiat Firmilianum in epistolâ ad Cyprianum: *Quoniam Stephanus & qui illi consentiunt, contendunt dimissionem peccatorum, & secundum nativitatem in hæreticorum Baptisma posse procedere, apud quos etiam ipsi confitentur Spiritum sanctum non esse; considerent & intelligant spiritalem nativitatem sine spiritu esse non posse &c.* Solum de fide ministri requisitâ Firmilianus Stephano opponit, ac pergit: *Illud quoque absurdum, quo non putant quærendum esse, quis sit ille, qui baptizaverit, eo quod, qui baptizatus sit, gratiam consequi poterit invocatâ Trinitate nominum Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* En testimonium omnium lucidissimum de mente Stephani & ipsi adhærentium, quo apparet ipsos contrà Firmilianum & Cyprianum illa tantum Baptismata hæreticorum admisisse, quæ fiebant in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, seu formâ legitimâ, quod Launoij commentarium penitus evertit, & totam epistolam hac de re parte 8. editam funditus destruit.

Firmilian.

60. Aliam igitur quæstionem respiciebat decretum Stephani, quam exhibuit commentarius Ioannis Launoii, & cum Stephanus pro antiquâ Traditione à posteris amplexâ agebat, non Stephanus, sed Cyprianus errabat, ut rectè dixerit Facundus Hermianensis Episcopus, quod Cyprianus injuriosè tractaverit Stephanum. *à quo fuerat jure culpatus.* An Stephanus ultrà contentionem cum Cypriano eumdem & alios excommunicarit, alia quæstio est, in qua variant periti. Bellarminus enim libro 1. de Concilijs, cap. 10. & novissimè Henricus Valesius in annotationibus ad caput 5. libri 7. Eusebij, nec Cyprianum cum Afris, nec Firmilianum cum Orientalibus putant excommunicatos fuisse, & fundant sese in Eusebio libro 7. capite 5. ubi Dionysius Patriarcha Alexandrinus testatur de Stephano: *Anteà quidem litteras scripserat de Firmiliano, de omnibus denique sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctasque finitimas Provincias constitutis: sese ob eam causam ab illorum communione discessurum, quod hæreticos rebaptizarent.* Inferunt: solùm excommunicationis sententiam minatur. Alij ut Rigaltius in notis ad epistolam inter Cypriani 75. & Christianus Lupus parte 4. ad canonem 22. dictatus Gregorij 7. folio 761. ex verbis Firmiliani colligunt tam Cyprianum

Facundus Hermian.

Bellarmin.

Valesius.

Dionysius Alexandr.

Rigaltius.

Lupus.

prianum

Firmilian. prianum cum Afris, quam Firmilianum cum Orientalibus excommunicatos: *Stephanum*, inquit Firmilianus, *pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem; modò cum Orientalibus (quod nec vos latere confidimus) modò vobiscum, qui in meridie estis.* Demum postremi admittunt de Firmiliano, sed negant de Cypriano, ut Cardinalis Baronius tomo 2. Annalium, Cardin. Perronius contrà Angliæ Regem, & ipse Christianus Lupus fol. 772. sibi quodammodò contrarius: „ Firmilianum, inquit, „ non verò Cyprianum Stephanus excommunicavit. „

Baronius. Perronius. Lupus.

61. Inter has variantium peritorum sententias omnium verisimilior est prima, quæ, si rectè considerentur Antiquitatis monumenta, apparebit in hoc veritatem attegisse, quod nec Cyprianus cum Afris, nec Firmilianus cum Orientalibus ob discordiam de hæreticorum Baptismate fuerint re ipsâ excommunicati. De Stephano dixit quidem Lupus folio 760. „ Quod Firmilianum Cæsareensem in Cappadociâ „ Metropolitam ac Ponticæ Diœcesis Primatem, itemque Helenum „ Tharsensem Ciliciæ Metropolitam, & omnes illis adhærentes Epis„ copos omninò excommunicaverit, affirmat in ecclesiasticâ historiâ „ Eusebius Cæsareensis capite 4. „ Verum errat vir eruditus, cum Eusebius non dicat à Stephano excommunicatos Firmilianum & adhærentes Episcopos, sed solum minitatum, excommunicationem ferendam: hæc sunt verba Stephani relata à Dionysio apud Eusebium ex

Eusebius. versione novissima Henrici Valesij: *Sese ob eam causam ab illorum communione discessurum, quod hæreticos rebaptizarent.* Discessurum, inquit, non discessisse. Vnde corruit totum fundamentum, ex quo aliqui Firmilianum putarunt fuisse ob contentionem de rebaptizatione hæreticorum à communione separatum. Neque aliud testimonium ab ipso Firmiliano epistolæ ad Stephanum Papam insertum huc facit, quo zelosus, sed non secundùm scientiam, in S. Pontificem insurgit, & modo

Firmilian. irrisorio sed damnando inquirit: *Quid enim humilius aut lenius quàm cum tot Episcopis per totum mundum dissensisse, pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem modò cum Orientalibus (quod nec vos latere confidimus,) modò vobiscum, qui in meridie estis.* Enimverò cum Firmilianus testetur ob varium discordiæ genus à Stephano Orientales & Afros excommunicatos fuisse, & certum sit, quod ob solam de Baptismo discordiam Cyprianum excommunicatum putaverit Firmilianus, sequitur manifestè, excommunicationem Orientalium non intellexisse de discordantibus in Baptismo hæreticorum, ut putavit Baronius, sed in alio, quod in Oriente exortum fuisse tradit Dionisius Patriarcha Alexandrinus apud

apud Eusebium libro 6. capite 46. ubi scribit se ab Heleno Tarsi Episcopo, & à cæteris, qui cum illo convenerant, Firmiliano scilicet Cappadociæ, & Theoctisto Palestinæ Provinciæ Episcopis invitatum fuisse, *Vt ad Synodum Antiochenum occurreret, in qua quidam Novati schisma confirmare tentabant.* Orientales itaque Episcopi discordabant non solùm inter se: ut infrà videbimus, sed etiam cum S. Cornelij successore Stephano ob schisma Novatianum, & quia non Firmilianus sed Orientales Episcopi ex Patriarchatu Antiochiæ, quæ Metropolis erat Diœcesis Orientis, Novatiani schisma tuebantur, testatur Firmilianus non de se, sed de Orientalibus Episcopis, Stephanum vario discordiæ genere, à contentione de hæreticorum Baptismate distincto, pacem rupisse, quod rectè etiam novissimè animadvertit D. cognomento David, in dissertatione de Concilio plenario. Dionysius.

62. De D. Cypriano major est difficultas, etenim pro illius excommunicatione habemus indubitatum Firmiliani testimonium in epistolâ inter Cypriani 75. quam ad ipsum Cyprianum cum damnatione præ se ferentem conscripsit: dicit in varijs regionibus varias olim extitisse consuetudines: *Nec tamen* (inquit) *propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando discessum est, quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens adversus vos pacem, quam semper antecessores eius vobiscum amore & honore mutuo custodierunt.* & infrà: *Non pudet, Stephanum talibus adversus Ecclesiam patrocinium præstare, & propter hæreticos asserendos fraternitatem scindere: insuper & Cyprianum pseudo-Christum & pseudo-Apostolum, & dolosum operarium dicere?* & iterùm: *Pacem rumpentem .... modò vobiscum, qui in meridie estis? à quibus legatos Episcopos patienter satis & leniter suscepit, ut eos nec ad sermonem saltem colloquij communis admitteret: adhuc insuper dilectionis & caritatis memor, præciperet fraternitati universæ, ne quis eos in domum suam reciperet; ut venientibus non solùm pax & communio, sed & tectum & hospitium negaretur.* Quæ omnia satis manifestè ostenderent Cyprianum excommunicatum fuisse à Stephano, si Firmiliano fides hac in re esset exhibenda. At cum certissima sit peritorum regula, quod major fides adhibenda sit Scriptori de re domesticâ, quàm alteri de re extraneâ, quæ Firmilianus de Orientis partibus scripsit, admittimus, at quæ de Africâ & Cypriano scripsit, reiicimus, & ipsi potius Cypriano in causâ propriâ adhæremus. Gravem contentionem fuisse inter S. Stephanum & D. Cyprianum, adeò ut & Stephanus excommunicationem minitatus sit, ultrò D. Cypriani litteræ testantur: at reipsâ excommunicasse, nullibi scribit. Ex varijs in contentione inter Firmilian.

Stepha-

Stephanum & Cyprianum actis, quædam ad Firmilianum longè ab Italiâ & Africâ dissidentem relata sunt, & sicut in locis longè dissitis fieri solet, falsa veris permixta: ex quorum rumore deceptus Firmilianus ad Cyprianum scripsit, quorum Cyprianus nullibi meminit, qui tamen certò certius meminisset spectato animo, quo in Stephanum ferebatur, si ea, quæ Firmilianus scribit, Stephanus aut egisset unquam, aut dixisset.

63. Dicit & sæpiùs repetit Firmilianus, Stephanum pacem rupisse adversus Cyprianum, sed tantum abest, id admisisse Cyprianum, ut manifestè contrarium asserat, primò quidem in epistolâ ad Iubaianum: *Nos, quantum in nobis est, propter hæreticos cum Collegis & Coëpiscopis nostris non contendimus, cum quibus Dominicam & Divinam pacem tenemus.* Secundò in epistolâ Synodicâ, quæ editionis Pamelij & Rigaltij est 72. & tomo 1. Conciliorum bis à Philippo Labbeo post duas hac de re Carthaginenses Synodos allata, ubi ad Stephanum refert de rebus in Concilio actis ac de rebaptizandis hæreticis ibidem statutis: *Hæc ad conscientiam tuam frater charissime, & pro honore communi, & pro simplici dilectione pertulimus, credentes etiam tibi pro religionis tuæ & fidei veritate placere, quæ & religiosa pariter & vera sunt. Cæterum scimus, quosdam, quod semel imbiberint, nolle deponere, nec propositum suum facilè mutare, sed salvo inter collegas pacis & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud se semel sint usurpata* &c. quæ ultima verba dum indicant epistolam conscriptam post Cypriani contentionem cum Stephano, pacem etiam integram mansisse insinuant, prout ulteriùs manifestè tradunt D. Hieronymus in dialogo contrà Luciferianos: *Cyprianus in communione eorum permansit, qui sententiæ suæ contraierant.* D. Augustinus libro de unico Baptismate contrà Petilianum cap. 14. *Cum ergo Stephanus non solum non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum, & ipsius Cypriani litteræ ostendunt, tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit.* Et demum Pacianus epistolâ ad Symphronianum: *Cyprianus in concordiâ omnium, in pace communi, in confessorum grege passus est.*

Cyprianus. Synodica Carthag: D. Hieron. D. August. Pacianus.

64. Scimus D. Cyprianum sæpiùs egisse contrà Stephanum, at respondemus zelum quidem fuisse, sed non secundùm scientiam, & præstare sanctissimi illius Martyris infirmitatem obtegere cum præcipuo sanctorum Patrum Augustino qui libro 5. contrà Donatistas, capite 25. scriptum reliquit, quod *illa, quæ,* Cyprianus, *in Stephanum irritatus effudit, retractare*, nolit: indigna judicans, quæ referrentur, ut cum communi

D. August.

muni adnotat Cardinalis Petronius. Attamen cum quidam Donatistas imitati verenda patris, ut loquitur S. Vincentius Lirinensis, detegere non erubescant, demus Cyprianum in maximâ animi exagitatione in Concilio Carthaginensi 3. contrà Stephanum dixisse, quod *tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit*, & Firmilianum acriùs in sanctum Pontificem exacerbatum prorupisse in deteriores sermones, hinc non sequitur, terrorem ipsâ excommunicatione subsecutum: præceperat Stephanus à rebaptizatione cessandum, & quia errorem rebaptizationis nimis asperè propugnabant Cyprianus cum suis in Africâ, & Firmilianus cum Orientalibus in Cappadociâ, ad terrores & minas excommunicationis pervenit, quæ dum graviter præoccupatos Cypriani & Firmiliani animos offendunt, intercessit apud Stephanum Papam Dionysius Patriarcha Alexandrinus, qui met testatur in epistolâ ad Xistum Pontificem apud Eusebium libro 7. capite 5. *Atque ut pro omnibus Episcopis illum deprecarer epistolam scripsi.* Sicque mollito nonnihil exacerbato Stephani Pontificis animo, & excommunicatio suspensa est, & disputationes de illa impunè permittebantur. Enimverò nihil Stephanus definierat de quæstione, sed solùm Ecclesiæ morem & antiquam consuetudinem locum habere præceperat: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est:* sicque patet ratio, quo modo non obstante Stephani decreto Cyprianus sustinuerit, unumquemque Episcopum habere arbitrium proprium, quod D. Augustinus lib.3. cap.3. excipiens: *Opinor utique in his quæstionibus* (inquit) *quæ nondum eliquatissimâ perspectione discussæ sunt. Noverat enim quantâ sacramenti profunditate tunc omnis Ecclesia variâ disputatione versabat, liberumque faciebat quærendi arbitrium, ut examinata veritas panderetur.* Addit Augustinus salvâ pace id licuisse usque ad universalis Ecclesiæ judicium aut Concilium, quod nimirum usque ad illius discussionem definitio esset prorogata, quia de omni totius orbis traditione & consuetudine illic adeò facilè posset constare, ut nullus omninò scrupulus hæreret, aut amplius hærere posset.

 ARTI-

ARTICULUS III.

Quo tempore hæc quæstio de hæreticorum rebaptizatione fuerit sopita?

65. *Sententia Baronij aliorumque existimantium hanc quæstionem primò sopitam tempore Stephani Papæ, idque ex loco Eusebij pacem initam testante.*

66. *Abiudicatur illud fundamentum ex loco Eusebij, & ostenditur agi de pace initâ circa schisma Novatiani, non circà contentionem de rebaptizatione hæreticorum.*

67. *Hinc tamen non sequi Orientales à priori sententia non recessisse post tempus Stephani, quod fecisse probatur testimonijs Cresconij, D. Augustini, & Dionisij Alexandrini.*

68. *Africanos quoque circà tempus Stephani sententiam mutasse probatur ex D. Hieronymo, cuius locus vindicatur contra Launoium.*

69. *Neque obest Canon 7. Concilij Arelatensis, sed prodesse firmatur ex eo, quod per Afros intelligat Donatistas, qui propriâ lege rebaptizabant contra morem orbis Catholici.*

70. *Etiam ipsum Cyprianum mentem mutasse insinuat Augustinus & aliunde conjecturatur.*

71. *Paulò itaque post Stephani martyrium sopitam quæstionem, quam Donatistæ propriâ lege resuscitarunt ut patet ex Synodo Arelatensi.*

72. *Arelatense Concilium subsecutum est Nicenum, quod plenarium fuisse à D. Augustino intellectum voluêre complures.*

65. NOn desunt viri doctissimi existimantes, hanc quæstionem sopitam fuisse tempore Cypriani & Firmiliani, qui tam acriter Stephano Papæ initio restiterant. Et quidem Firmilianum cum alijs Orientalibus sententiæ Stephani acquievisse, probant Pamelius in notis Cypriani ad epistolam 75. Baronius tomo 2. ad annum 259. n. 1. aliique complures ex Eusebio lib. 7. historiæ, cap. 4. ubi narrat de Dionisij ad Stephanum Papam super hâc quæstione epistolis, & sic habet ex versione Valesij: *Ad hunc igitur, ut dixi, multa de hoc argumento Dionisius per litteras scripsit, in quibus id tandem illi indicat omnes ubique Ecclesias, mollito iam persecutionis furore, Novati turbulentam novitatem detestantes, inter se pacem iniisse. Sic autem scribit: scias autem frater cunctas per Orientem*

Pamelius. Baronius. Eusebius.

& ulterius positas Ecclesias, quæ prius erant discissæ, nunc tandem ad unitatem reversas esse: & omnes Ecclesiarum ubicumque Antistites unum idemque sentire, & ob redditam insperato pacem, incredibili gaudio exultare: Demetrianum scilicet Episcopum Antiochiæ, Teoctistum Cæsareæ, Æliæ post mortem Alexandri Mazabanem, Marinum Tyri, Laodiceæ: verò post Thelymidris obitum Heliodorum: Helenum Tarsi, cunctasque Ciliciæ Ecclesias: Firmilianum denique cum universâ Cappadociâ. Ex quibus Cardinalis Baronius collegit, omnes Orientales mutatâ sententiâ Stephani Papæ decretum amplexos fuisse, postquam Stephanus tam Firmilianum Cappadocem, quàm Helenum Tarsensem cum finitimis Episcopis excommunicationis sententiâ innodare minatus erat. „ Appellat autem Eusebius sententiam de rebaptizatione, „ pravitatem Novati, seu potiùs Novatiani hæresim, (inquit Baronius) „ eâ nimirum ex causâ, quod Novatianus hoc temporis rebaptizare „ aggressus esset. „ Baronius.

66. Verum Baronij conjecturam ex hoc loco approbari non posse, meritò dixerunt eruditi nostrorum temporum, cùm aliud sit Novati schisma, aliud de rebaptizatione hæreticorum contentio. De schismate enim Novati divisas fuisse Orientis Ecclesias vidimus capite præcedenti, & de hac divisione scribit ad Stephanum Dionisius, quod sciret hoc non parum Pontificem permoturum, ad relinquendam pacem Ecclesiæ, quæ anteà tam fœdè disrupta, nunc primum novâ facie ad gaudium fidelium incipiebat florescere. Unde & Henricus Valesius in notis ad citatum caput Eusebij: „ Epistola illa Dionisij duo „ capita continebat. Primum an rebaptizandi essent hæretici: secun- „ dum de concordiâ Ecclesiarum Orientis, quæ Novatiani hæresim „ damnaverant, & lapsos recipiendos esse statuerant. Huic igitur sen- „ tentiæ Demetrianum Episcopum Antiochiæ, quæ caput erat Orien- „ tis & reliquos subscripsisse nuntiat Dionisius: quod quidem Stepha- „ no gratissimum fore sciebat, cum Fabius decessor Demetriani in No- „ vatiani sententiam pronior fuisset, & congregato ex Ciliciâ, Cap- „ padociâ, Palestinâ, & Ægypto Episcoporum Concilio eam stabilire „ conatus fuisset, ut scribit Dionisius apud Eusebium in fine libri „ sexti. „ Alias rationes congerit D. David in dissertatione sua super Concilio plenario, articulo 1. dicens, Eusebium tantum loqui de unione Ecclesiarum Orientis inter se, non cum Stephano: & deinde ipsum Dionisium, (qui hæc scripsit ad Stephanum, cum Firmiliani & Cypriani sententijs teste D. Hieronymo adhæsit) nondum sententiam suam mutasse initio Pontificatus Xisti successoris Stephani, utpote cui Valesius. D. David.

Dionisius Alexand. hanc rem perpendendam objicit: *At vide quæso gravitatem negotij: reverà enim in maximis, ut audio, Episcoporum Concilijs decretum est, ut qui ab hæreticis ad Catholicam Ecclesiam accedunt, primum Cathecumeni fierent, ac deindè veteris & impuri fermenti sordibus per Baptismum purgarentur.* Magis se explicat in epistolâ, quam scripsit ad Philemonem Ecclesiæ Romanæ Presbyterum: *Didici non ab Afris solis hunc morem nunc primum invectum fuisse: sed & multò anteà superiorum Episcoporum temporibus in Ecclesijs populosissimis, & in Concilijs fratrum apud Iconium & Symnada, & apud alios plurimos idem sancitum fuisse, quorum sententias & statuta subvertere, eosque ad jurgia & contentiones excitare equidem nolim: scriptum enim est, non commutabis terminos proximi tui, quos parentes tui constituerant.* Exstat apud Eusebium eodem libro: quod cum duabus epistolis scribat post Stephani tempus Dionisius Patriarcha Alexandrinus, certum esse debet, quæ de unione Ecclesiarum scripta erant ad Stephanum, non de hæreticorum rebaptizatione, sed ut verba sonant, de schismate Novati intelligenda esse.

67. Hinc tamen non sequitur, Orientales à priori sua opinione non discessisse, enimverò obiiciebat Augustino Cresconius Donatista libro 3. capite 2. *Maiores nostri ab Orientalium propterea communione discreti sunt, quia illi suum judicium resciderunt, quo eis placuerat de ista quæstione Cypriano, atque illi Africano Concilio consentire oportere.* Palam agit Cresconius de S. Firmiliano & 50. ejus in Synodo Iconiensi Episcopis: reponit Augustin. verò Augustinus libro 3. cap. 3. *Si omninò jam credendum sit 50. Episcopis Orientalium id esse visum, quod 70. Aphris, vel aliquantò etiam pluribus contrà tot millia Episcoporum, quibus error in toto Orbe displicuit, cur non potius etiam paucos Orientales suum judicium correxisse dicamus, non ut tu loqueris rescidisse? sicut enim laudabile est à verâ sententiâ non amoveri, ita culpabile persistere in falsâ.* Hæc Augustinus, ut tam certò tunc temporis constaret, quod Orientales à sententiâ priori retractatâ pro validitate Baptismi decreto Stephani sese submisissent, quod Cresconius Donatistarum præcipuus palam fatebatur rescidisse, Augustinus verò sanctorum Patrum Corypheus voluerit, etiam correxisse. Et in majorem hujus rei probationem accedit Dionisius Patriarcha Alexandrinus, qui ubi prius à parte Firmiliani & Cypriani stetisset, Apostolicæ Sedi manus dedit in tantum à priori sententiâ alienus, quod ne quidem in casu satis, ut videtur, aperto, juxtà antiquam suam opinionem procedere ausus sit, nisi primum Xisto Stephani successori pro resolutione scripsisset. Exstat epistolâ apud Eusebium libro 7. cap. 9. ubi Dionisius Xisto

Papæ

Papæ proponit quemdam civem suum ab hæreticis baptizatum, & ante Heraclæ Episcopatum ad Ecclesiam sine novo baptismate admissum, qui dum baptismati adfuisset cujusdam Catholici : *Ad me* (inquit Dionisius) *accessit flens, & vicem suam ingemiscens, pedibusque meis advolutus confiteri atque deierare cœpit, Baptismum quo apud hæreticos initiatus fuerat, non huiusmodi esse, nec cum hoc nostro quidquam commune habere. Quippe illum plenum esse blasphemiæ & impietatis. Aiebatque animum suum acerbissimo doloris sensu compungi, ac ne oculos quidem ad Deum attollere se audere : quippe qui scelestis illis verbis ac ceremoniis initiatus fuisset. Proindè orabat ut hoc purissimo lavacro, verissimàque adoptione & gratiâ donaretur.* Hæc ex versione Valesij Dionisius Patriarcha Alexandrinus, qui in casu tam claro & perspicuo progredi ausus non fuit, & licet satis apertum erat, formam debitam verbis non fuisse expressam, tamen quod tam diu cum fidelibus communicarat, seipso rebaptizandum judicare non est ausus, unde & initio epistolæ ad Xistum : *Profectò opus habeo frater consilio tuo, & sententiam tuam expeto, ne fortè ipse hallutiner tali ad me negotio delato.* In tantum à priori sententiâ cum Orientalibus recesserat Dionisius.

Dionisius.

Dionisius.

68. Et hæc quidem de Orientalibus, præter quos & circà tempora Stephani Papæ ipsos Africanos decretum suum mutasse, testis est D. Hieronymus contrà Luciferianos in dialogo : *Conatus est beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aquâ alienâ ; & idcircò hæreticorum baptisma reprobans ad Stephanum urbis Episcopum, qui à beato Petro vicesimus sextus fuit, super hac re Africanam Synodum direxit: Sed conatus eius frustrà fuit. Denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti novum emisere decretum.* Quæ clarissima D. Hieronymi verba ita perstrinxerunt oculos Domini Launoij, ut in animadversionibus super dissertatione sua de Concilio plenario expresse sustineat, D. Hieronymum à vero deviare: „*Il est certain* (inquit apud D. David) *que* „*ces Evesques la n'ont jamais changé de sentiment, & n'ont point fait ce que S. Ie-* „*rome dit, qu'il ont fait comme il paroit par le Concile 1. d'Arles.* Idem habet „ parte 8. epistolâ ad Bevilaque ; Cyprianus porro, Firmilianus, & alij „ ad antiquam revoluti non sunt consuetudinem ; sed in sua consue- „ tudine pro cujus antiquitate pugnaciter contenderunt, remansere. „ Id testatur Arelatensis Synodus in Canone 8. id quoque Basilius te- „ statur in epistolâ ad Amphilochium. In summa si verum esset nec „ apocryphum decretum, cujus meminit Hieronymus, Donatistæ ausi „ non essent Cypriani epistolas & Africanam illam Synodum Catho- „ licis toties obiicere, quoties apud Augustinum obiiciunt, aut si essent

Launoius.

ausi

„ ausi obiicere, Augustinus hujusmodi compressisset audaciam objecto „ recenti decreto, quod Cyprianus & collegæ tandem aliquando emisissent. Sed hac de re totâ, ne gry quidem in commentarijs, quos „ Augustinus contrà Donatistas edidit. Fuerunt homines perversè re„ ligiosi, qui post Cypriani tempus Cyprianum pænitentiâ ductum „ finxerunt, & ei libellum inscriptum, *Pænitentia sancti Cypriani*, subje„ cerunt: qui libellus in Romanâ Synodo inter apocrypha relatus est „ anno post obitum Hieronymi 74. cum tunc Romæ dialogum scrip„ sit adversus Luciferianos, seu, ut ipse loquitur, altercationem Lu„ ciferiani & orthodoxi, potuit in libellum de sancti Cypriani pæni„ tentiâ incidere, & illius lectione induci. „ Hæc omnia Launoius, qui nescio quid apocryphum librum de pænitentia Cypriani in fraudem testimonij dati à Hieronymo adducat, cum D. Hieronymus ne verbo quidem Cypriani pænitentiam attingat. Loquitur Hieronymus de illis ipsis Episcopis, qui rebaptizandos hæreticos cum Cypriano statuerant, & quia magnus Ecclesiæ Doctor hoc indubitato testatur testimonio, ipsi & non modernorum commentis adhærendum videtur.

69. Neque obest Canon 7. Concilij Arelatensis primi, quinimò potiùs prodest huic D. Hieronymi testimonio: *De Afris* (inquit Canon) *quod propriâ lege utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum, & si perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum: quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur*: ad quem Canonem adjungo commentarium Iacobi Sirmondi in notis hujus Concilij tomo 1. Conciliorum à Philippo Labbeo nunc primum in lucem editis: „ *De Afris*: quidam legunt *de Arianis*, ut Gratianus de consecratione, dist. 4. vulgati hactenùs libri errore mani„ festo, cum Arianorum Synodi hujus tempore nondum exortum no„ men fuerit. Vera igitur veterum Codicum lectio *de Afris*. Afros au„ tem eos intelligit, qui Africanæ sub Cypriano Synodi de rebapti„ zandis hæreticis errorem sectantes, Baptismum iterare non dubitant: „ quo ex numero Donatum Carthaginensem æmulum Cæciliani fuis„ se liquet, in quem proximè, ut Optatus libro 1. tradit latæ in Con„ cilio Romanæ hæ sententiæ fuerant: *Quod confessus sit rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse.* Eumdem errorem posteri Donatistæ „ pertinacissimis animis tenuerunt: non in his solùm, qui ab hæresi „ veniebant, sed in ijs etiam, qui in catholicâ baptizati fuerant, Bap-

Sirmondus

tismum

,,tismum pessimo exemplo repetentes. „ Hæc Sirmondus, ex cuius commentario facilè licet colligere hunc Canonem Arelatensis Concilij non intelligendum de Afris orthodoxis Episcopis, sed Donatistis & Schismaticis, qui propriâ lege utebantur. Et hoc ita intelligi debere, lucet ex Concilio Romano sub Melchiade Papâ ante hoc Arelatense Concilium celebrato, cui dum interesset Donatus æmulus Cæciliani Carthaginensis Episcopi, hoc pro crimine digno damnatione ipsi à Melchiade Papâ, & tam Africæ, quàm Italiæ, & Galliæ Episcopis obiectum fuit, teste S. Optato Milevitano in Africâ Episcopo: *Decem & novem considentibus Episcopis causa Donati & Cæciliani in medium missa est à singulis: in Donatum hæ sunt sententiæ latæ, quod confessus sit se rebaptizasse.* Quid manifestius testari potuit S. Optatus? numquid hoc signum manifestissimum est, neque Cæcilianum cum omnibus Africanis suæ communionis Episcopis, sed nec omnes schismaticos Donatistas tunc temporis rebaptizasse, cum id in hoc Concilio soli Donato vitio vertatur? neque verisimile est, ut rectè observat contra Launoium in quodam opusculo D. David, quod hi 9. partis Donati cum Cæciliano Episcopi ausi fuissent reprehendere Donatum ob rebaptizationem, si ipsimet rebaptizare consueverant,

Concilium Roman. sub Melchiade.

S. Optatus.

Dom. David.

70. Aliud est de D. Cypriano, an mentem mutarit, quod licet non attigerit Hieronymus, intactum tamen non reliquit Augustinus, qui epistolâ 48. ad Vincentium de Cypriano scribit: *Correxisse autem istam sententiam non invenitur, non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit, & fortassè suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.* Donatistæ tunc temporis pleraque antiquitatis monumenta suppresserant, vitiarant, & corruperant, hinc dubitare cœpit Augustinus, an idem cum D. Cypriani retractatione egissent Donatistæ, & quia sine authentico testimonio nihil proferre volebat, hoc ipsum in causâ fuit, quod Augustinus retractationem Cypriani urgentibus eius authoritatem Donatistis non obiecerit. Hoc tamen non obstante existimavit Augustinus, quod Cyprianus sententiam correxerit, & id reverà fecisse, colligimus ex alio fundamento Augustini, quod habet libro 2. de Baptismo contra Donatistas, capite 4. ex invicto enim D. Cypriani pro concordiâ & unitate proposito concludit Augustinus: illum patefactâ veritate & consentiente per Orbem Catholicum Episcoporum societate, facilè correcturum fuisse sententiam. At tempore Xisti Papæ Orientalis Ecclesia cum Dionysio Alexandrino, ut patet ex Augustino & Euse-

Augustin.

Eusebio, & Africanæ Ecclesiæ Præsules qui cum ipso Cypriano steterant, teste D. Hieronymo, sententiam mutarant, quo tempore D. Cyprianus adhuc supervivebat in exilium trusus, & martyrio coronatus anno dumtaxat 258. 14. Sept. cum jam Xistus 6. Augusti obierat. Igitur rectè ad mentem Augustini concluditur, ipsum Cyprianum unitatis & concordiæ amantem ab errore priori resipuisse. Unde & Cardinalis Baronius ad annum 259. „ Quis tam vecors & emotæ „ mentis poterit vel leviter suspicare, unum Cyprianum pertinacem „ in sententia obstinatius perstitisse, & non potius, quod sæpè est suis „ litteris contestatus, sic de quæstione propositâ altercari, ut in om„ nibus voluerit mutuæ paci, ac concordiæ esse consultum. „ Idem habent notæ Binnij Doctoris Coloniensis in tomis Conciliorum ad Concilium 3. Carthaginense Parisijs regio sumptu re-excusis, & præter alios novissimè D. Bail Doctor & Propænitentiarius Parisiensis tomo 2. in notis ad Romanam sub Stephano Synodum.

Baronius, Binnius, Bailius,

71. Ex dictis itaque patet, paulò pòst Stephani martyrium totam hanc de rebaptizatione hæreticorum controversiam fuisse sopitam inter Catholicos, & solos fuisse schismaticos Donatistas, qui eam auctore Donato à casis nigris istius factionis signifero resumpsit: contrà quem tres præcipui Gallicanæ Ecclesiæ Antistites cum 15. Italiæ Præsulibus, & S. Melchiade Papâ anno 313. in Synodo Romanâ sententiam tulerunt apud S. Optatum Milevitanum libro 1. adversus Parmenianum: *Quod confessus sit se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse: quod ab Ecclesiâ alienum est.* Quæ ultima verba singulariter veniunt notanda, indicant enim Catholicam toto orbe Ecclesiam à rebaptizandi sententiâ fuisse alienam, idque sibi contra Ecclesiam sumpsisse Donatum: undè & anno 314. sequenti tres Gallicanæ Ecclesiæ Episcopi, qui priori sub Melchiade Romano Concilio interfuerant cum ducentis Episcopis ex omni Occidente coadunatis Canonem 8. *De Afris* (nimirum Donati fautoribus intonavit) *qui propriâ lege utuntur, propriâ*, contrà communem totius Ecclesiæ, quâ hæreticos rebaptizabant, imitantes errorem Cypriani, qui in hoc consistebat, quod *nulla omninò hæresis, sed neque aliquod schisma habere salutaris Baptismi sanctificationem foris possit.* Verba sunt Cypriani ex epistolâ ad Pompeium à Donatistis in authoritatem recepta, sed ab Ecclesiâ antiquata, & sub Melchiade in Concilio Romano, & sub Sylvestro in Arelatensi primo tamquam Ecclesiæ sententiæ adversantia reprobata: post quæ non solùm totus Occidens idem sentire perrexit, sed & Oriens quoque universus.

S. Optatus. Arelatense 1. Cyprianus.

72. Patet

72. Patet veritas ex S. Niceno Concilio de omni sub cœlo Ecclesiâ coadunato, quod licet canone 19. statuat: *De Paulianistis ad Ecclesiam Catholicam confugientibus definitio prolata est, ut baptizentur omnimodis*, tamen Novatianos schismaticos & hæreticos solâ manuum impositione recipiendos in Clerum, statuit Canone 8. cujus rationem reddit S. Innocentius Papa primus epistolâ 22. ad Rufum Thessalonicensem: *Quia Paulianistæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. minimè baptizabant, & Novatiani eisdem tremendis venerandisque nominibus baptizabant*: Quod ipsum erat confirmare decisionem Arelatensis Concilij non quidem verbis expressis determinando quæstionem generalem, sed applicando ad casus particulares: eo ipso autem, quo Nicenum Concilium casus particulares expressit, & Novatianos non rebaptizandos constituit, quæstionem D. Cypriani terminavit, qui omnium planè hæreticorum & schismaticorum, quia extrà Ecclesiam positorum, Baptismata abjudicavit, undè & rectè D. Augustinus dixit, consuetudinem antiquam *plenario tandem totius Orbis Concilio remotis dubitationibus firmatam*, ad quæ Scholiastes Lovanienses: *Rectè Franciscus Balduinus, & post eum Pamelius non aliud quàm Nicenum id censuerunt*. Etiam Nicenum intellexisse sustinet Christianus Lupus parte 1. ad Canonem 19. Nicenum & novissimè D. Bail Doctor Parisiensis in annotatione ad Romanam sub Stephano Synodum: „ Intelligit D. Augustinus (inquit) de Concilio Generali Niceno primo, in quo decretum est, non rebaptizandos ab „ hæreticis baptizatos. „ Et in annotatione ad Synodum Arelatensem primam: „ Per hoc autem Concilium Plenarium (quod videtur cum „ universali confundere D. Augustinus libro 2. de Baptismo, capite 9. „ si benè perpendantur ejus verba) Bellarminus libro 1. de Sacramentis in genere, capite 26. Nicenum primum intelligit, quem sequitur „ Thomas Hauzeur in lectione D. Augustini versatissimus in anatomiâ operum ejusdem tomi 2. ad libros illius de Baptismo. „ Hæc omnia Bailius tomo 2. classe 4. quæ D. David in dissertatione suâ de Concilio Plenario sic confirmat: D. Augustinus certò certius locutus est juxtà mentem sui sæculi, sed juxtà mentem sui sæculi hæc quæstio terminata erat in Concilio Niceno, ergo & D. Augustinus locutus est de Niceno Concilio, sed de his adhuc infrà:

Nicen. Conc.

Innocent.

D. August.

Bailius.

Dom. David.

ARTICULUS IV.

Quandò & quomodò contentio de rebaptizatione hæreticorum secundò exorta & sopita fuerit in Ecclesiâ?

73. *Status intricatissimæ quæstionis, quæ occasione Arianorum mota ab Athanasio, cuius locus adfertur improbans Arianorum Baptisma.*
74. *Sententia dicentium Athanasium intelligendum de Baptismo Arianorum sine legitimâ formâ collato improbatur.*
75. *Magis probatur, Athanasium locutum fuisse de prohibito Catholicis Arianorum Baptismate, neque D. Athanasium unquam rebaptizasse.*
76. *Dato tamen quod D. Athanasius dubitare sæpisset de Arianorum Baptismate, non ideò resuscitavit errorem Cypriani, qui longè alius extitit, & à D. Athanasio reprobatus, uti & à D. Basilio.*
77. *Mens itaque D. Athanasii vindicatur, & Basilij locus adfertur.*
78. *Ex loco Basilij statuitur de ejus mente in tres species baptizantium dividente Baptismata, excommunicatos & schismaticos admisisse probatur, secus hæreticos in fide Trinitatis errantes.*
79. *Basilium ab errore excusari non posse, unde & correcta eius sententia à Synodo Generali 2. Canone 7.*
80. *D. Cyrillum non statuisse rebaptizandum ostenditur, contrà Launoium, & convincitur ex Synodo Generali 2. cui Cyrillus Ierosolymitanus interfuit, illa enim sola hæreticorum Baptismata abiudicat, quæ non fiebant in formâ legitimâ, quæ & enumerantur ab Augustino.*
81. *Orientis non rebaptizandi consuetudo firmata erat Canone 2. Constantinopolitano, & reprehensus ibidem error quorumdam tunc introduci cœptus.*
82. *In Occidente statuitur semper observatus mos non rebaptizandi, & contrà Launoium vindicatur D. Ambrosius ex Synodo Capuensi, cui interfuit.*
83. *Synodo Capuensi sese adiunxêre contrà rebaptizationes Synodus Carthaginensis 3. & Arelatensis 2. unde & Augustinus plurium Conciliorum urget decisiones.*
84. *Et hinc jam satisfit quæstioni de Concilio plenario motæ in Gallijs, at ostenditur non de uno concilio intelligendum Augustinum sed de pluribus, in quibus hæc de rebaptizatione contentio fuit discussa & decisa.*

73. Rem

73. Rem aggredimur omnium difficillimam, à qua impossibile est, sese inoffenso pede extricare; cum aut præcipuos Ecclesiæ Doctores imperitiæ, aut sanctos Ecclesiæ Patres erroris arguere necesse sit: imperitiæ Doctores, quod dicendum sit, vel Augustinum & Hieronymum non intellexisse Concilium Nicenum, aut erroris Patres, quod admittendum sit Basilium & alios contrà Nicenum errasse: enimverò post decisionem Arelatensis Concilij in Niceno firmatam, quæstio de Baptismo hæreticorum resumpta est occasione Arianorum, de quorum Baptismo hæc habet D. Athanasius oratione 3. contrà Arianos: *Quia series dicendi nos ad mentionem sacri Baptismatis adduxit, necessum est, ut de eâ re, quemadmodum & sentio, & credo, verba faciamus.* & post pauca: *Ariani enim in periculum veniunt, ne amittant integritatem mysterij, loquor autem de Baptismate. Si enim in nomine Patris & Filij datur perfectitudo plenaque initiatio, Patrem autem verum illi non pronunciant, eo quod negent aliquid ex ipso existere simile esse illius substantiæ, negant quoque verum Filium, aliumque ex non entibus conditum sibi comminiscentes in Baptismate proferunt. Quî, quæso, igitur non planè vanum ac inutile fuerit Baptisma, quod ab illis datur, cum id non nisi species sit & inane simulacrum, ipsique ea re nihil solidæ opis adferunt ad pietatem? non enim in Patre & Filio tribuunt Baptisma Ariani, sed in Creatore & creaturâ, in Factore & facturâ. Sicut igitur creatura diversum quiddam est à Filio: ita diversum quiddam à vero Baptismate est, quod ab illis existimatur dari; tametsi nomen Patris & Filij, quia illa in scripturis vident, simulant sese nominare. Non enim qui simpliciter ait, Domine, is est, qui donat legitimum Baptismum, sed qui nomen exprimit, & fidem rectam habet: ideoque Salvator non quovis modo baptizandum præcepit, sed primum dixit.* Docete, *ac deindè*, Baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, *ut ex doctrinâ rectâ Fides oriretur, & cum Fide Baptismatis integra initiatio perficeretur. Certè aliæ etiam hæreses, eæquè numero non exiguæ nomine tenus ritum istum pronuntiant: sed non rectè sentientes, ut dictum est, neque sanam Fidem retinentes, inutilem possident aquam, quam impertiunt, nimirum numine & religione destitutam, adeò ut qui ab illis asperguntur, sordescant potiùs pravâ religione, quàm redimantur. Ita quoque & ethnici, quamquam Deum in ore habent, impietatis crimini subiiciuntur, eo quod verum Deum non agnoscant Patrem Domini Nostri* Jesu Christi. *Itidem quoque Manichei & Phryges ac Discipuli Samosatensis nomina nostra pronuntiantes nihil ob id sunt minus hæretici: ita quoque deinceps & reliqui, & qui cum Ario sentiunt, etiamsi recitent scripta, proloquanturque ipsa nomina, frustrantur, illuduntque iis, qui ab ipsis Baptisma accipiunt; homines nimirum improbiores quam ulli hæretici, quos indies*

D. Athanasius.

 magis

magis ac magis superant, hæresesque omnes propemodum instas oris sui effrenitate reddunt.

74. Varia pro studio suo ad hæc Athanasij verba reposuerunt eruditi, quorum aliqui explicant S. Alexandrinum Episcopum, ideò Baptisma Arianorum reiicere, quod tunc temporis in formâ errarent: *Non enim in Patre & Filio tribuunt Baptisma Ariani*, (inquit) *sed in Creatore & creaturâ, in Factore & facturâ.* Et confirmat adducto exemplo Paulianistarum, quos à formâ Baptismi recessisse expresè testatur Innocentius primus, & confirmat Augustinus locis suprà citatis. Verum huic obsunt verba sequentia Athanasij, quod nomina trium Personarum exprimant: *Etiam* (inquit) *recitent scripta, proloquanturque ipsa nomina.* Cui accedit, si Ariani in formâ errassent, nunquam eorum Baptisma admitti potuisse ab Ecclesiâ, quod tamen factum est tam à Concilio Generali secundo, quàm ab ipsis Romanis Pontificibus, & orthodoxis Ecclesiæ Patribus, ut infrà videbimus.

Athanas.

75. Alij itaque respondent, D. Athanasium hic non loqui de charactere Baptismi, sed gratiâ altero Baptismi effectu; qui ideò ab Arianis non conferebatur, quod illicitum erat ab iis baptizari, adeoque adultis utcumque tunc temporis Baptismum recipientibus contrà mandatum, peccato obex ponebatur gratiæ, ratione cujus D. Athanasius vocavit hoc Baptisma Arianorum, *planè vanum ac inutile. Nihil solidæ opis adferens ad pietatem*, siquidem Ariani *inutilem possident aquam, quam impertiunt. Adeò ut qui ab illis aspergantur, sordescant potiùs pravâ religione, quàm redimantur.* Et simili modò intelligendum Athanasium, suadetur exinde, quod si D. Athanasius locutus fuisset de invaliditate Baptismi Ariani, reipsâ illorum Baptisma iterasset, cum tamen certum sit D. Athanasium non rebaptizasse Arianos, tum quod Sedes Apostolica, cui communione & obedientiâ junctus erat sub Liberio, id generalibus decretis vetuerit, tum quod S. Epiphanius contrà Luciferianos exclamet: *Audent quidpiam sibi præter Canones arrogare ab orthodoxis incitati, ac sibi ipsi conventiculum congregantes, quin & absque Synodi œcumenicæ statuto rebaptizare, qui veniunt ex Arianis.* Quæ nunquam ut rem inauditam exclamasset in Oriente Epiphanius, si S. Athanasius illos ipsos rebaptizasset: cui consonat Siricius Pontifex scribens ad Himerium Terraconensem, quod consuetudinem Romanæ Ecclesiæ de non rebaptizandis Arianis *totus Oriens custodit.*

D. Athanasius.

Liberius.

Epiphan.

Siricius Papa.

76. Plausibile est hoc ultimum, ex quo abundè constat, Athanasium non rebaptizasse Arianos: demus tamen ipsum dubitare cœpisse

de

de eorum Baptismate, & in periculum vocasse, quod simulatoriè formam pronuntiabant: *Nomen Patris* (inquit) *& Filij simulant se nominare*, dico tamen D. Athanasium non renovasse errorem Cypriani, qui & schismaticos, & cujuscumque generis hæreticos reiecerat, quod eorum Baptisma extrà Ecclesiæ Catholicæ gremium & unitatem collatum, foris esset, adeoque invalidum: nam interfuit Athanasius Niceno Concilio, quod manifestè Catharorum seu Novatianorum Baptisma admisit, adeoque & illorum Baptisma abjudicare non potuit Athanasius, neque ullibi negavit, unde & admittere necessariò perrexit: idem fecit ipse Basilius Cæsareensis in Cappodociâ post Firmilianum Episcopus, qui & testatur in epistolâ 1. Canonicâ ad Amphilochium id à Synodo Asiatico fuisse admissum: *Quoniam nonnullis Asiaticis omninò visum est propter multorum œconomiam & dispensationem eorum Baptisma suscipi, suscipiatur.* Idem admittebat de omnibus hæreticis, qui non errabant in Fide SS. Trinitatis, quos & sub numero schismaticorum collocat, undè & epistolâ 1. ad interrogationem Amphilochij Iconiensis Episcopi, (an Encratitarum Baptisma valeat?) illos licet hæreticos, non tamen in fide Trinitatis errantes primo intuitu habuerat, ideoque non solùm eorum Baptisma admittendum dicebat, sed & ipsorum aliquos sine novo Baptismate se admisisse in ordinem Episcoporum, palam confessus est: *Scio autem quod fratres Zoin, & Saturninum, qui erant ex illorum ordine in Episcoporum cathedram suscepimus.* Quæ palam faciunt, nec D. Basilium nec Orientales tunc defendisse errorem Firmiliani & Cypriani, de quo ne ullum dubium supersit, en D. Basilium laudatâ ad Amphilochium epistolâ: *Verumenimverò antiquis visum est, Cypriano dico, & nostro Firmiliano, eos omnes uni calculo subiicere, Catharos, & Encratitas, & Hydroparastatas, & Apotactitas: quoniam separationis quidem principium per schisma; qui autem se ab Ecclesiâ abiunxerunt, non habent amplius in se gratiam Spiritus. Defecit enim Traditio, quod discissa sit consequentia. Qui enim primi recesserunt, ordinationem à Patribus habebant, & per manuum impositionem habebant spiritualem gratiam. Qui autem abrupti sunt, laici effecti, nec baptizandi, nec ordinandi habent potestatem, ut qui non possint amplius Spiritus S. gratiam alijs quoque prabere, à qua ipsi exciderunt. Quare eos, qui ab ipsis baptizati erant, tanquam à laicis baptizatos jusserunt ad Ecclesiam venientes vero Ecclesiæ Baptismo expurgari.* En ipsissimam D. Cypriani & Firmiliani sententiam ideò Baptisma hæreticorum abjudicantem, quod foris essent & Spiritum S. conferre non possent, quam ipsi non habebant. *Sed quoniam* (subdit Basilius) *Asiaticis omninò visum est eorum*

Athanasius

S. Basilius.

Basilius.

Baptisma suscipi, suscipiatur. Unde manifestum, ipsum Basilium hæreticorum in Fide Trinitatis non errantium Baptisma suscepisse, & eo ipso Cypriani & Firmiliani sententiam refutasse.

77. Si ergò aliqui in Oriente Catholicorum Episcopi de rebaptizatione hæreticorum quæstionem instituerint post Nicenum Concilium, alia fuit & diversa ab eâ, quæ olim mota fuit à D. Cypriano, sic enim D. Athanasius jam non inquirebat, an hæreticorum Baptisma ut talium habendum esset validum, sed num Ariani legitimâ formâ uterentur? & quia simulatoriè Patrem & Filium nominare credebat, eorum Baptisma in periculum vocabat speculativè, non practicè alteri fundamento innitebatur D. Basilius, qui epistolâ primâ ad Amphilochium hæc habet Canone 1. *Quæ itaque ad Catharos pertinent quæstiones, & prius dictæ sunt, & rectè admonuisti, quod oportet uniuscujusque morem sequi, quod variæ fuerint de ipsorum Baptismate dissensiones eorum, qui tunc de istis disseruerunt. Pepuzenorum autem Baptismus nullam mihi habere rationem videtur: & miratus sum, quomodò hoc magnum Dionysium, qui fuit Canonum peritus, præteriit. Antiqui enim illum Baptismum suscipiendum putarunt, qui nihil à fide recedit. Unde alia quidem hæreses nominaverunt, alia verò schismata, alia rursus illegitimos conventus. Hæreses quidem eos, qui omninò abrupti sunt, & in ipsa fide sunt abalienati: schismata autem eos, qui propter aliquas Ecclesiasticas causas, & medicabiles quæstiones inter se dissident: illegitimos autem conventus congregationes, quæ fiunt à rebellibus Presbyteris, vel Episcopis, & ab immorigeris populis. Ut si quis peccavisse convictus, sit à sacrorum ministerio prohibitus, & iis Canonibus se non submisit, sed sibi præsulatum, & sacrum ministerium attribuit, & quidam una cum eo recesserunt relictâ Ecclesiâ Catholicâ, id illegitimus conventus est. Schisma autem est de pœnitentiâ dissentire ab iis, qui sunt ex Ecclesiâ. Hæresis autem est, ut Manichæorum & Valentinorum, & Marcionistarum, & horum ipsorum Pepuzenorum. Statim enim de ipsa in Deum fide est dissensio. Visum est ergo antiquis, hæreticos quidem omninò reiicere: qui se autem absciderunt, qui schismatici dicuntur, ut qui adhuc sint Ecclesiæ, admittere: eos autem qui sunt in parasynagogis & illegitimis conventibus, convenienti pœnitentia & conversione correctos rursus Ecclesiæ coniungere: ut sæpè ii, qui in gradu collocati cum rebellibus abierunt, postquam eos pœnituerit, in eundem ordinem admittantur. Pepuzeni ergò sunt apertè hæretici. In Sanctum enim Spiritum blasphemarunt, Montano & Priscillæ Paracleti appellationem nefariè & impudenter attribuentes. . . . . quamnam ergo habet rationem verum eorum Baptisma iudicari, qui in Patrem & Filium & Montanum Priscillamve baptizant? non enim sunt baptizati, qui non in ea, quæ nobis sunt tradita bapti-*

Basilius.

baptizati sunt. Quare etiamsi hoc magnum Dionysium latuit, nobis tamen non est servanda erroris imitatio.

78. Sanctus itaque Basilius, ut apparet ex toto contextu, antiquorum de rebaptizatione dissensiones perscrutatur, & triplex Baptisma dubitabile proponit, quorum unum est fidelium ob peccata Ecclesiæ censoris innodatorum: aliud schismaticorum, ut Novatianorum, qui licet hæresim docebant in materia de Pænitentia, tamen quia in Fide Trinitatis non errabant inter schismaticos ponendorum, quorum Baptismata approbat: aliud hæreticorum, id est in Fide Divinitatis aut Trinitatis errantium ut Pepuzenorum, qui Spiritum Sanctum in Montano aut Priscilla incarnatum somniabant. Horum autem Baptismum reiiciebat. Undè & cum hâc epistolâ primâ Encratitorum Baptisma suscepisset, quod eos non in Fide Trinitatis errasse credebat, illud secundâ ad Amphilochium epistolâ Canone 47. retractavit illos in fide errare credens, neque aliquem Canonem aut Romanæ Ecclesiæ statutum obesse posse rebaptizationi, quod putaret, cuncta hac de re tam à Niceno quàm Sede Apostolicâ ordinata, spectare ad versatilem regionum morem: *Encratitæ* (inquit Canone 47.) *& Saccophori, & Apotactitæ, subiiciuntur eidem rationi, cui & Novatiani: quia de illis editus est Canon, etsi diversus; quæ autem ad eos pertinent, silentio prætermissa sunt: nos autem unâ eâdemque ratione eos omnes rebaptizamus. Si autem prohibita est apud vos hæc rebaptizatio, sicut & à Romanis alicujus œconomiæ gratiâ: nostra tamen ratio vires obtineat, quia cum veluti Marcionistarum germen sit eorum hæresis nuptias abhorrentium, & aversantium vinum, & Dei creaturam inquinatam esse dicentium. Eos igitur in Ecclesiam non admittimus nisi in nostrum Baptismum baptizati fuerint. Ne dicant enim, in Patrem, & Filium, & Spiritum S. baptizati sumus: qui quidem Deum esse malorum effectorem existimant, instar Marcionis & reliquarum hæresum. Quamobrem si hoc placuerit, oportet plures convenire Episcopos, & sic Canonem exponere, ut & is, qui fecit, sit extrà periculum; & qui respondet, in responsione de his fide dignus habeatur.* Sic sententiam de Encratitis retractat, quod primò aspexerat Encratitorum sectam schismaticam seu in Fide Trinitatis non errantem: & ex hac secundâ epistolâ perspectum habens, esse surculum duplicem Divinitatem fabulantis Marcionis, cujus fœdum lavacrum Ecclesia semper damnavit, juxtà principium in epistolâ primâ positum, Encratitorum Baptisma rejecit, ad consuetudinem Ecclesiæ respondens: alium pro Encratitis, alium Novatianensibus

Basilius.

sibus

ſibus editum Canonem, pro his enim Nicenum eſſe editum, prò Encratitis verò diverſum extare eumque ſubreptitium & in Concilio retractandum, quod Nicenum Concilium de illis non loquatur, & nullatenus paritas ſit cum Baptiſmate Novatianenſium, etſi & ab Eccleſiâ Romanâ & ab Iconienſi Amphilochij & à cæteris communiter eidem rationi ſubiiciebantur.

79. Dura erat variantis Baſilij ſententia, & erroribus obnoxia, tum quod eorum hæreticorum Baptiſmata abjudicabat, qui in fide Trinitatis errarent, tum quod motas hac de re controverſias non ad dogma ſed ad verſatilem regionum diſciplinam, in qua quiſque poſſit & debeat ſequi morem ſuæ Provinciæ, planè reduxerit. Unde & Baſilio paulò pòſt haſce litteras è vivis ſubrepto, cunctam hujus quæſtionis controverſiam anxiè S. Amphilochius Iconienſis Epiſcopus detulit ad Synodum Generalem 2. quæ Canone 7. deciſionem reddidit: *Eos qui rectæ fidei adiiciuntur, & parti eorum, qui ex hæreticis ſervantur, recipimus ſecundum ſubiectam hic conſequentiam & conſuetudinem. Arianos quidem & Macedonianos, & Sabbhatianos, & Novatianos, qui dicunt ſeipſos Catharos, & Ariſteros (hoc eſt mundos vel ſiniſtros) & Theſſaradecatitas, ſive Tetraditas, & Apollinariſtas recipimus, dantes quidem libellos, & omnem hæreſim anathematizantes, quæ non ſentit, ut Sancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia, & ſignatos ſive unctos primum ſancto Chriſmate & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, & eos ſignantes dicimus, ſignaculum doni Spiritus S.* Unde manifeſtum eſt, Synodum Conſtantinopolitanam ex totius Orientis Epiſcopis coadunatam Romanam conſuetudinem approbare ſtatuendo, ut rectè obſervat Chriſtianus Lupus in Scholio, Arianos, Macedonianos, Sabbhatianos, Novatianenſes, Theſſaradecatitas, & Appollinatiſtas non poſſe rebaptizari, quod nempe definiat contrà primam propoſitionem Baſilij, ſufficere in trium Divinarum Perſonarum nomine juxtà evangelicam regulam eſſe baptizatum, nec requiratur recta Fides baptizantis miniſtri. Ad ſecundam autem de more adiaphoro reponit, hanc quæſtionem non ad diſciplinam ſolummodò, ſed omninò ad dogma pertinere, in cujus rei veritatem Symbolo ſuo inſeruit: *Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum*, id eſt, inquit Lupus: „ Baptiſma legitima Divini nominis invocatione ſanctificatum, ubicumque ſive intrà ſive extrà Eccleſiam detur aut accipiatur, confiteor eſſe unum, nec ſalvâ evangelicâ lege poſſe exſufflari aut iterari.„

[Margin: Synodus 2.]
[Margin: Symbolum Conſtant. Lupus.]

80. Et ex his jam patet, quam immeritò Ioannes Launoius pro rebap-

rebaptizatione hæreticorum adduxerit D. Cyrillum Ierosolymitanum, qui Synodo Constantinopolitanæ & generali secundæ interfuit, adeoque nisi sibi ipsi & Synodo contradixisse statuas, rebaptizationem hæreticorum sustinere non potuit: habet quidem D. Cyrillus in præfatione aut Catechesi prima: *Non licet bis aut ter hoc lavacro uti, ut si semel fueris frustratus, deinceps corrigas: si enim semel illo frustraberis, amplius id correctionem non patitur, unus enim Dominus, & una Fides, & unum Baptisma, nam soli hæretici rebaptizantur, siquidem prius illud non erat Baptisma.* Quæ ultima verba non indicant, omnes hæreticos rebaptizari, sic enim sibi & Concilio, quocum contrarium decidit, manifestè contradiceret, sed illos dumtaxat, qui formam non observabant, siquidem prius illud non erat Baptisma. Horum verò nomina specificavit Canon citatus cui D. Cyrillus cum alijs Orientis Episcopis subscripsit: *Atqui Eunomianos, qui in unam demersionem baptizantur, & Montanistas, qui dicuntur Phryges, & Sabellianos, qui eumdem esse Patrem & Filium opinantur utrumque simul confundentes, & alia gravia & indigna faciunt, & alias omnes hæreses, quoniam hic multi sunt hæretici, & maximè, qui ex Galatarum regione veniunt.* Eunomianos, inquit Canon, quia in morte Domini non in nomine Trinitatis baptizabant, ut refert Theodoretus libro 4. hæreticarum fabularum. Montanistas, quia & in nomine Trinitatis minimè baptizabantur, ut scribit Gregorius Magnus libro 9. epistolâ 61. ad Hiberos: & sic non solum de nominatis, sed pluribus alijs pariformiter loquendum, docet insignis D. Augustini locus, quem inveni libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 52. ubi ex professo inquirit, qui nam habendi sint pro baptizatis? & resolvit, omnes illos, *qui apud hæreticos baptizati sunt, qui in sanctæ Trinitatis confessione baptizant. . . . . illos autem, qui non sanctæ Trinitatis invocatione apud hæreticos baptizati sunt, & veniunt ad nos, baptizari debere prònuntiamus non rebaptizari. Neque enim credendum est eos fuisse baptizatos, qui non in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti juxtà regulam à Domino positam tincti sunt: ut sunt Paulini, Procliani, Borborita, Siphori, qui nunc vocantur Bonosiani, Photiniani, Montani, & Manichei, variaque impietatis germina: vel cæteræ istorum originis sive ordinis pestes, quæ duo principia sibi ignota introducunt, ut Cerdon & Marcion: vel contraria, ut Manicheus: vel tria & barbara, ut Setianus & Theodosius: vel multa ut Valentinus: vel Christum hominem fuisse absque Deo, ut Cerinthus, Hebion, Artemon, & Photinus. Ex istis inquam, si qui ad nos venerint, non requirendum ab eis, utrum baptizati sint, an non, sed hoc tantum, si credant Ecclesiæ fidem, & baptizentur Ecclesiastico Baptismate.* Hucusque Augustinus.

Cyrillus Ierosf.

Canon. 1. Constant.

Theodoretus.

Gregor. 1.

D. August.

 81. Statuto

81. Statuto itaque Concilij Constantinopolitani firmata erat Orientis consuetudo de non rebaptizandis hæreticis formâ legitimâ initiatis, cui Athanasius non repugnaverat dubitando an Ariani formam Baptismi simularent, sed magis contrasenserant S. Amphilochius & Basilius, qui & ipsorum Novatianorum Baptisma reiterari posse errabant, putando Concilium Nicenum de hac quæstione non statuisse tanquam dogmate, sed versatili regionum consuetudine: *Oportet* (scribit ad Amphilochium de Catharis D. Basilius epistolâ 1, Canone 1.) *uniuscujusque regionis morem sequi*: hocque Amphilochium rectè admonuisse adjungit. Et de Encratitis ac alijs, Canone 47. epistolæ 2. Canonicæ pergit idem Basilius: *Nos autem unâ eâdemque ratione eos omnes rebaptizamus, si autem prohibita est apud vos hæc rebaptizatio, sicut & à Romanis alicujus œconomiæ gratiâ, nostra tamen ratio vires obtineat.* Quæ palam ostendunt post Firmilianum aliosque Orientales, D. Basilium & quosdam Orientis Coëpiscopos paulatim rebaptizandi morem conatos introducere, non permotos ex contrarijs Sedis Apostolicæ & Conciliorum decretis, quod hæc de versatili regionum consuetudine statuisse interpretarentur, dignum profectò, ut à Concilio Generali 2. reprobaretur, & sic totus Oriens in priscâ consuetudine & veritate retineretur. *Quam* (inquit Siricius post hoc Constantinopolitanum Concilium) *totus Oriens custodit.*

D. Basilius. Siricius.

82. Aliud de Occidente, ubi & Arelatensis Synodus intemeratè observata, & Nicenum Concilium ita semper à Catholicis fuit expositum, ut hæreticorum Baptismus nunquam reiteraretur, si in formâ legitimâ esset collatus: unde Ariani rebaptizationem introducere conati, licet Liberium Papam in suas quodammodo partes traxisse visi sint, nunquam tamen ad rebaptizationem potuerunt adducere, testante ejus vitâ circà sæculum Iustiniani Imperatoris conscriptâ: *consensit Constantio hæretico, non tamen rebaptizatus est.* Quinimò teste Siricio Papâ Liberij successore, rebaptizationem *post cassatum Ariminense Concilium, missa ad Provincias à venerandæ memoriæ Prædecessore meo Liberio generalia decreta* prohibuerunt, ut hic Arianorum conatus, sicut & olim Cypriani, frustrà fuerit. Idem contigit Luciferianis, qui dum rebaptizationem introducere molibantur in Occidentem, & ob id scrupulum movebant, de quo in dialogo D. Hieronymus sub nomine Luciferiani: *Nescio quid rursum scrupuli nascitur, quare ab hæreticis baptizati suscipiuntur.* & infrà: *Iste enim, ut ait, scrupulus multos titillat.* Sic refellit Hieronymus: *Ausculta quid de omni Ecclesia sentiendum sit.* Et post allata

Liberius. Siricius. D. Hieron.

allata testimonia pro validitate Baptismi hæretici : *Synodus quoque Nicena* (inquit) *cuius paulò ante fecimus mentionem, omnes hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis.* Ex ipsâ Nicenâ Synodo collegit eos errare, qui rebaptizandum putabant, quod & alij Pontifices deduxêre cum Augustino: & ut omnis scrupulus sopiretur in Occidente, Synodus Capuana, cui interfuit D. Ambrosius, decisionem Liberij renovavit, ut patet ex Concilio Carthaginensi 3. *Illud autem suggerimus mandatum nobis, quod etiam in Capuensi plenariâ Synodo videtur statutum, ut non liceat fieri rebaptizationes.* Ex quo manifestissimè apparet, malè à Ioanne Launoio D. Ambrosium adjunctum priori sententiæ Cypriani & Firmiliani, cum sic & sibi, & Concilio Capuensi S. Mediolanensis Episcopus esset contrarius, ubi agens de peccatorum remissione contra Novatianos solummodò dicat : *Est enim in aliquibus & aqua mendax, non sanat Baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit.* Non hæreticorum Baptisma iterandum volens Ambrosius, sed quod adultis contrà mandatum Divinum per hæreticos baptizatis gratiam non conferret, licet characterem imprimeret. Neque hic manifestiori testimonio indigemus, quàm Sicirij Papæ, sub quo D. Ambrosius Synodo Capuensi interfuit, qui in epistolâ ad Himerium Tarraconensem sæpiùs citatâ Arianos rebaptizari vetuit : *Cum* (inquit) *fieri & Apostolus vetet, & Canones contradicant, & post cassatum Ariminense Concilium, missa ad Provincias à venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant, quos nos cum Novatianis alysque hæreticis, sicut est in Synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione Catholicorum conventui sociamus : quod etiam totus Oriens Occidensque custodit.* Ubi notanda sunt : *Novatianis cum alys hæreticis,* & *totus Oriens Occidensque* : Hæc enim manifestum reddunt, hæreticos in toto Oriente & Occidente tunc nullatenus fuisse rebaptizatos, multò minus à D. Ambrosio, qui met contrarium statuerat in Capuensi Synodo.

Synodus Carthagin.

Ambrosius

Siricius Papa.

83. Synodo Capuensi adjunxit sese Africanæ Ecclesiæ Concilium Carthaginense 3. tempore Siricij Papæ, quod non solùm Capuensis Synodi mentionem facit, sed & illius de non rebaptizandis hæreticis decretum renovavit : *Illud suggerimus mandatum nobis, quod non liceat fieri rebaptizationes.* Et post Carthaginensem Synodum Concilium Arelatense 2. juxtà aliquos circà hoc tempus Coadunatum, in quo Gallicanæ Ecclesiæ præsules Canone 17. statuerunt. *Bonosiacos autem ex eodem errore venientes, quos sicut Arianos Baptizare in Trinitate manifestum est, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate &*

Concilium Carthag. 3.

Arelatense 2.

 manus

manus impositione in Ecclesiâ recipi sufficit. Quæ omnia Conciliorum decreta & Canones subsequutus Augustinus eo tempore contrà Donatistas de rebaptizatione hæreticorum disputavit, quo universa sub cælo Ecclesia dogmati Sedis Apostolicæ & Stephani Papæ sententiæ consentiebat, unde non unicum sed & plurima Conciliorum decreta Donatistis opposuit: *Vigilantius etiam post istas disputationes* (inquit Augustinus libro 3. capite 9.) *Tanti Sacramenti saluberrimam observationem in Ecclesiâ Catholicâ non potuisse mutari, sed Conciliorum etiam majori robore confirmatam religiosissimè custodiri.* Et lib. 6. ejusdem operis de Baptismo contrà Donatistas, capite 7. ait: *Vniversæ Ecclesiæ consuetudinem etiam Conciliis universalibus roboratam.* Ad quæ Christianus Lupus parte 1. in scholio Canonis 19. Niceni existimat, Augustinum loqui non de solâ Nicenâ Synodo, sed de illa. „ Constantinopolitanâ, Arelatensi, „ Capuanâ, ac per varias regiones aliis, quæ Stephani Pontificis de„cretum probarunt, receperunt, confirmarunt. Principaliter verò „ de Nicena, quæ sola fuit totius Orbis plenaria. „

Augustin.

Lupus.

84. Licet Christ. Lupus gravissimam de Concilio plenario, cujus meminit Augustinus, contentionem motam in Galliis nondum percepisset, hanc tamen ejus rectissimam observationem in nostros usus derivamus, & dicimus, si alibi D. Augustinus loquatur de plenario totius orbis Concilio, quod, antequam natus fuerat, quæstionem hanc terminavit, id non de Arelatensi primo, sed Niceno intelligendum esse, hoc enim, non illud totius Orbis Concilium poterat nominari, & in hoc quoque Generali Concilio Augustinum existimasse, terminatam fuisse hanc de rebaptizatione contentionem, lucet ex his verbis libri de hæresibus capite 44. *Istos sanè Paulianos Baptizandos esse in Ecclesiâ Catholicâ Niceno Concilio constitutum est: unde credendum est, eos regulam Baptismatis non tenere. quem locum multi hæretici, cum de Catholica discederent, abstulerunt, eamque custodiunt.* En clarissimum D. Augustini testimonium, quo solos Paulianistas à Niceno rebaptizandos statutum innuit, alios verò hæreticos rebaptizari, qui regulam Baptismatis observabant, tacitè prohibitum, & sic in Orbis universi plenario Concilio quæstionem hanc fuisse terminatam. Quod si tamen alio loco mentionem faciat plenarij Concilij transmarini, id de Arelatensi primo posse intelligi, quod considerato Carthagine præcisè trans mare celebratum est. Si demum alibi usum Romanæ Ecclesiæ in ipsâ totius mundi unitate discussum, consideratum, perfectum atque firmatum edixerit, posset intelligi de totius Orbis variorum locorum Con-

Augustin.

ciliis, quæ singula suo tempore hanc quæstionem discusserunt ac terminarunt: & hæc est causa, ut observat Lupus, cur adductæ Synodi plenariæ nec nomen nec locum exprimat Augustinus, quod nimirum non de unâ nec uno unius Canone, sed de pluribus loquatur etiam plenariis & generalibus: *Universæ Ecclesiæ consuetudinem* (inquit) *etiam Conciliis universalibus roboratam.* Augustin.

ARTICULUS V.

Quænam sententia Cypriani an Stephani prævaluerit apud Orientis & Occidentis Ecclesias?

85. *Mens Launoij opinantis Cypriani sententiam de rebaptizatione prævaluisse.*
86. *Expenduntur testimonia Launoy, & iis rejectis stabilitur sanctitas Stephani.*
87. *Contra Cyprianum fecisse antiquam Ecclesiæ consuetudinem, constat ex ipsâmet Africâ & Alexandriâ, & quid de Cappadociâ, inquiritur.*
88. *Plures deinde Episcopos Occidentales Stephano adhæsisse, testatur Vincentius Lerinensis.*
89. *Episcopos etiam, qui Cypriano adhæserant, mutando sententiam.*
90. *Millia insuper Episcoporum per universum Orbem testante Augustino.*
91. *Varia item Concilia toto Orbe celebrata, quorum sex adferuntur.*
92. *Demum Patres subsequentium sæculorum, quorum nullus post Cyprianum & Firmilianum erroris Stephanum arguit, sed benè plerique Cyprianum, quem minoris hac in re habitum fuisse in Ecclesia, specialiter ostenditur contrà Launoium ex variis testimoniis.*
93. *Primò ex tractatore Anonymo parum ab Ævo Cypriani distante.*
94. *Secundò, ex Eusebio Pamphilio Cæsareensi Episcopo.*
95. *Tertiò, ex D. Hieronymo, de Episcopis sententiam mutantibus testante.*
96. *Quartò, ex D. Augustino Cyprianum sæpius non Stephanum erroris arguente.*
97. *Quintò, ex S. Vincentiô Lerinensi in terminis id tractante.*
98. *Sextò, ex Cassiodoro de mente Ecclesiæ deponente.*
99. *Septimò, ex Facundo Hermianensi omnium clarissimè.*
100. *Octavò, ex S. Gregorio Magno.*
101. *Nonò, ex Hincmaro Metropolitâ Remensi lucidissimè.*
102. *Decimò, ex Georgio Syncello apud Anastasium Bibliothecarium, quibus alisque adhæret Romana Ecclesia in suo Breviario.*

85. Licet post tam operosam hujus quæstionis indagationem abundè pateat, quænam sententia prævaluerit, id tamen ulteriùs hic proponendum duximus, ut plenè satisfiat epistolæ Joannis Launoij ad Bevilaque, quam parte 8. totam huic quæstioni insumit, mentem suam proponens in argumento: „ Stephanus Papa & Cyprianus „ Carthaginensis ambo martyres componuntur inter se, & compositio- „ ne factâ, per Ecclesiæ Traditionem apparet, Cyprianum pluris quàm „ Stephanum apud Orientis & Occidentis Ecclesias, Romanam cum „ primis, habitum fuisse. „ Momenta, quibus id confirmat, sunt: primò, quod „ an Stephanus relatum decretum adversus Cypriani epi- „ stolam defenderit, & prolatas in eâ epistolâ rationes editis in lucem „ decessorum exemplis, & vetustiorum Patrum testimoniis confuta- „ verit, & Romæ tandem Synodum habuerit, quâ decretum, cujus- „ modi est, vindicaretur, annales nulli produnt, nulla docet historia. „ Cyprianus contrà, ut suam & epistolam & sententiam tueretur, „ Concilium habuit Episcoporum octoginta septem, quos ex pro- „ vinciâ Africâ, Numidiâ, & Mauritaniâ Carthaginem advocavit. „ Secundum Cyprianum ab omnibus pronunciatum est. Secundò, quod „ Ecclesiasticus in Occidente & Oriente tractator nullus, Synodus „ nulla invenitur, quæ viventis Stephani causam adversus Cyprianum „ propugnandam susceperit ..... & Cypriani viventis causam adver- „ sus Stephanum in Cappadociâ Firmilianus amplexus est in epistolâ „ quam ad Cyprianum scripsit. „ Tertiò, quod Agrippinus cum Concilio Carthaginensi & Tertullianus Cypriano accedant. Quartò, quod Clemens Alexandrinus. Quintò, quod Ireneus. Sextò, quod Justinus martyr faveant. Ex quibus concludit, Cyprianum præ Stephano habitum fuisse „ sive spectetur tempus, quo vixerunt ambo, sive „ Traditio Patrum, qui præcesserunt. „ ac pergit: „ Deinde postquam de- „ sierunt vivere, Cyprianus adhuc Stephano celebrior, & pluris cum „ apud Romanam, tum apud alias Ecclesias habitus fuit. „ Quod iterùm confirmat, eo quod „ Dionysius Alexandrinus ad Xistum Ste- „ phani decessorem scribit, eumque à tuendâ de Baptismo hæretico- „ rum sententiâ deterret, & Cypriani sententiam confirmat. „ Apud Eusebium in libro 7. Historiæ, capite 4. cui adjungit testimonium Hieronymi libro de Viris Illustribus sic consentientis de Dionysio: *Hic in Cypriani & Africanæ Synodi dogma consentiens de hæreticis rebaptizandis ad diversos plurimas misit epistolas, quæ usque hodiè extant.* Deindè quod „ Ste- „ phani successores non ita tuiti sunt illius decretum, ut contrà sen- tientes

Launoius.

Dionysius Alexand.

D. Hieron.

„ tientes & agentes durius appellarent.„ Sic enim Pontius Cypriani Diaconus in vitâ Cypriani vocat Xistum Stephani successorem bonum & pacificum Sacerdotem, quod exponit Launoius, quia cum Africæ aliarumque gentium Episcopis hæreticos rebaptizantibus pacem haberet. Item quod alij Pontifices similiter pacem cum Africanis habuerint, qui tamen usque ad tempora Silvestri primi more suo rebaptizandi gaudebant, ut patet ex Canone Arelatensis Concilij. Demum conglomerat usque ad 71. variorum testimonia, quorum aliqua quorumdam hæreticorum Baptismata reiiciunt, alia honorificè de D. Cypriano loquuntur, & mentionem ejus scientiæ aut sanctitatis faciunt, cum Stephani non meminiscant.

Pontius.

86. Quid hic agam, ubi criticè agitur, & plurimis ad rem non pertinentibus testimonijs Lectoris patientia illuditur? S. Cypriano non invideo gloriam per totam sub cœlo Ecclesiam ab omni post ejus obitum tempore celebratam; sed nec D. Stephano Christi in terris Vicario gloriam suam invidendam exclamo, cum Cypriano sit in martyrij coronâ æqualis, & authoritate superior, & vitæ sanctitate adeò conspicuus, ut nefanda Donati turba, ne quidem in eum mutire ausa sit, quin potiùs laudare compulsa. Unde & partis illius Principi Petiliano in hac eadem materiâ objecit magnus Augustinus cap. 14. *Sed volo, solvat iste mihi quæstionem, quandoquidem Romanæ Ecclesiæ per ordinem commemorans Episcopos, inter eos commemorat & Stephanum, quos Episcopatum illibatè gessisse confessus est.* Stephanus ergò extrà ipsas adversantium Donatistarum rebaptizationem Cypriani propugnantium calumnias positus, illibatè Episcopatum gessit, & doctrinâ ac sanctitate illustris gravissimo errori sese opposuit, non graviorem errorem propugnans, ut somniavit Launoius, sed meram Ecclesiæ consuetudinem, ut ab antiquis observata extiterat, & etiamnum Romæ observabatur, retineri præcipiens, in quo D. Stephanum nemo erraſſe dicet, nisi qui antiquam totius Ecclesiæ consuetudinem ab Apostolorum tempore ortam erroris damnare præsumat.

Augustini.

87. Stabat itaque pro Stephano Papâ prisca Ecclesiæ consuetudo, ut de ipsâmet Africâ ante Agrippini Tempora confessus est Firmilianus, consentiente Cypriano, & de Alexandriâ Orientis Metropoli ante Heraclæ prædecessoris sui tempora testatur Dionysius Patriarcha Alexandrinus, ut patet ex epistolâ illius ad Xistum Pontificem apud Eusebium lib. 7. Historiæ, capite 9. ubi proponit casum de cive suo, qui ante Heraclæ tempus ad Ecclesiam sine novo Baptismate

erat-

erat admissus, & sub D. Dionysio rebaptizari petebat. Si enim ante Heraclæ tempus venientes ab hæresi rebaptizari consuevissent, hic hæreticus certè etiam rebaptizatus fuisset, quod cum factum non erat, signum manifestum est, consuetudinem Ecclesiæ Alexandrinæ ab initio pro Stephano fecisse. Sola quæstio esse potest de Cæsareensi in Cappadociâ, quæ semper hæreticos rebaptizavit, si Firmiliano credimus: at contrarium potius existimarem, & licet Firmilianus se originem non invenisse fateatur, post tempora tamen Apostolorum, qui cum Petro & Paulo à Spiritu sancto edocti idem ubique dogma tradiderant, cœpisse, verisimilius est, præcipuè cum D. Augustinus scribat libro 3. de Baptismo, capite 9. *Nondum factum erat universale Concilium, quia consuetudinis robore tenebatur Orbis terrarum, & hac sola opponebatur volentibus inducere novitatem.* Ubi & D. Augustinus respicit ad decretum Stephani, *nihil innovetur nisi quod traditum est.* Per quod & clarè Stephanus Pontifex confirmante Augustino supponit, priscam totius Ecclesiæ consuetudinem fuisse, non rebaptizare hæreticos.

Augustin.

88. Secundò præter consuetudinem stabant plerique orthodoxi Episcopi ex parte Stephani, ut testis est S. Vincentius Lerinensis capite 9. adversus hæreses: *Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversum sacerdotes pro suo quisque studio retineretur, tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus Apostolicæ Sedis Antistes cum cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit.* Undè & Launoius discere potest, S. Stephanum plures habuisse defensores Episcopos, quinimò Concilium Romanum, quod sese Cypriano opposuit, & in quo decretum Ecclesiæ Africanæ Stephanus correxit, & abrogavit.

Vincentius Lerin.

89. Tertiò Stephani sententiæ subscripserunt tam Occidentis quàm Orientis Episcopi, qui noviter introductam consuetudinem relinquentes ad antiquam redierunt: fusè id probavimus suprà de Dionysio Patriarchâ Alexandrino ex Eusebio, de Firmiliano ac Orientis Coëpiscopis ex Augustino & confessione Donatistarum, de ipso Cypriano verisimilius, & de Episcopis, qui cum Cypriano in Africâ senserant ex hoc indubitato testimonio D. Hieronymi in dialogo contrà Luciferianos: *Illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo* (scilicet Cypriano) *statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum.* Ad quæ verba rectè annotat in scholijs numero 53. Marianus Victorinus Episcopus Amerinus: „ Mutasse Episcopos, qui cum D. „ Cypriano de rebaptizandis hæreticis statuerant sententiam, & ad an„ tiquam novato decreto rediisse consuetudinem, apertè hic testatur D. Hie-

Hieron.

Marianus Victorinus

„ D. Hieronymus. „ Pluribus id firmavi suo loco, & cum teste D. Hieronymo ad antiquam novato decreto redierunt consuetudinem, signum manifestum est, priscam consuetudinem, quam servari mandarat Stephanus Pontifex, non fuisse erroneam, ut erravit Launoius, sed veritati conformem, quâ nemo ab hæreticis rebaptizari solebat, si in legitimâ formâ ab hæreticis baptizatus erat.

90. Quartò ex D. Augustino libro 3. capite 3. ubi scribit contrà Donatistas: *Si omninò jam credendum sit 50. Episcopis Orientalium id esse visum, quod 70. Afris, vel aliquantò etiam pluribus contrà tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto mundo displicuit.* Ubi D. Augustinus manifestè insinuat, errorem Cypriani solummodò placuisse 70. aut 80. circiter Afris sub Cypriano Carthaginensi, & 50. Orientalibus sub Firmiliano & Heleno Tarsensi coadunatis, neque post illos inveniri, qui amplexi sunt: ubi tamen tot millibus Episcoporum hic error in toto mundo displicuit; neque putem, aliquid evidentius requiri ad refellendum Launoium, qui contrà Augustinum sententiam Cypriani pluris in Ecclesia habitam, quam Stephani Papæ, ausu satis temerario edixit.

Augustin.

91. Quintò ex Concilio Arelatensi primo, Nicena Synodo primâ sub Silvestro, Constantinopolitanâ primâ sub Damaso, Capuensi Plenariâ, Carthaginensi 3. & Arelatensi secundâ sub Syricio, quæ omnes Stephani decretum confirmantes Baptisma hæreticorum quantum in se est, validum habuerunt, & firmarunt. Ut & rectè Donatistas Cypriani errorem propugnantes hinc refellat Augustinus, quod jam error ille tot millibus Episcoporum in toto Orbe displicuit, & Vincentius Lerinensis, qui tempore Concilij Ephesini in Gallijs floruit, proclamare non dubitavit: *Recenta antiquitas, explosa novitas.* Novitas erroris à Cypriano amplexa, antiquitas veræ consuetudinis à Stephano prædicata.

Vincentius Lerin.

92. Sextò ex omnibus subsequentibus sæculis, quibus orthodoxi Ecclesiæ Patres & auctores Cypriani errorem abjecerunt, Stephanum verò nusquam erroris accusarunt, quin potius ejus decretum menti Ecclesiæ conforme scripserunt. Hoc enim quod Launoius allegat ex Patribus, quorumdam hæreticorum Baptismata sine rectâ formâ collata refellentibus, tantum abest, ut repugnaret decreto & menti Stephani Papæ, ut potius eidem concordet, cum teste Firmiliano in epistolâ ad Cyprianum hæc erat mens Stephani Papæ & adhærentium ei Episcoporum: quod *non putabant quærendum esse, quis sit ille, qui baptizaverit,*

Firmilian.

verit, eo quod qui baptizatus sit, gratiam consequi poterit invocatâ Trinitate nominum Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et hæc sententia de validitate Baptismi ab hæreticis sub invocatione Trinitatis collati sicut ab Apostolis ortum ducit, ita adhæc usque secula totius Ecclesiæ celebrata fuit consensu, rejectis iis, qui unquam contrà illam sentire ausi sunt. Quod si alia fuerit sententia Stephani, assignetur vel unicus Ecclesiæ Pater, qui nominatim post Cyprianum & Firmilianum hac in re Stephanum errasse conscripsit. At tantum abest, hoc ostendi posse, ut qui ipsi Stephano repugnarint, ad antiquam mutatâ opinione redierint sententiam & consuetudinem, pro quâ Stephanus tam gloriosè certaverat, non victus errantium probris, non contradicentium obloquijs, non repugnantium auctoritatibus, sed triumphans veritate Apostolicæ Traditionis, pro quo ne videamur testimonijs aliorum destituti, non adducimus cum Launoio Patres & Breviaria, quæ Stephani gloriosum martyrium aut cælestem gloriam describunt, & ad hanc quæstionem impertinentia sunt, sed illos in medium adferimus, qui quæstionem hanc de rebaptizatione hæreticorum attingunt.

93. Primum quidem inter hos locum obtinet auctor Anonymus, qui ut observat Labbeus tomo 1. Conciliorum in annotatione, quantum ex dictione deprehenditur, auctor est ab ævo Cypriani parum distans, & in opere de hac re edito propositâ Cypriani & Stephani sententiâ accedit ad Stephanum vetustissimam Ecclesiæ consuetudinem propugnantem: *Namque* (inquit) *omne anceps & ambiguum & in diversis sententijs prudentium ac fidelium virorum constitutum est, si contrà priscam & memorabilem cunctorum emeritorum sanctorum & fidelium solemnissimam observationem judicatur, damnari utique debet.*

Auctor Anonymus.

94. Post ævum Cypriani floruit tempore Concilij Niceni Eusebius Cæsareensis in Palestinâ Episcopus, qui libro 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 2. de hac quæstione scribit: *Cum per id tempus non mediocris controversia exorta esset, utrùm eos, qui ex qualibet hæresi convertuntur, Baptismo purgari oporteret. Quippe antiqua consuetudo invaluerat, ut in ejusmodi hominibus sola manuum impositio cum precationibus adhiberetur.* Pergit cap. 3. *Primus omnium Cyprianus, qui tunc temporis Carthaginensem regebat Ecclesiam, non nisi per Baptismum ab errore prius emundatos admittendos esse censuit. Verum Stephanus nihil adversus Traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, gravissimè id tulit.* Hæc omnia Eusebius ex versione novissimâ Henrici Valesij, nec puto aliquem inveniri, qui non videat Eusebium contrà Cyprianum Stephano favere pro antiquâ

Eusebius.

quâ consuetudine, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, & pro eâ quoque eum militare.

95. Eodem sæculo 4. versus finem floruit D. Hieronymus, qui in dialogo contrà Luciferianos scriptum reliquit: *Conatus est beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aquâ alienâ, & idcircò hæreticorum Baptisma reprobans, ad Stephanum urbis Episcopum, qui à B. Petro 26. fuit, super hac re Africanam Synodum direxit. Sed conatus ejus frustrà fuit.* Audis conatum Cypriani in vanum abiisse? an similia de Stephani decreto D. Hieronymus? tantum abest, ut post illud de ipsius Cypriani Coepiscopis, qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerunt, pergat: *Ad antiquam consuetudinem revoluti novum emisere decretum.* Neque unquam D. Hieronymus hoc testimonium revocavit, ut persuadere conatur Launoius, sed nec retractare somniavit in locis ex commentario suo super caput 2. Ioëlis Prophetæ, super Evangelium Matthæi libro 4. & super caput 4. epistolæ ad Ephesios: quia illis locis tantum D. Hieronymus abjudicat quorumdam hæreticorum Baptismata, quæ in nomine sanctissimæ Trinitatis nullatenus fiebant: quæ etiam cum antiquâ Apostolicæ Traditionis sententiâ Stephani decretum penitus abjudicabat.

D. Hieron.

D. Hieron.

96. Hieronymum subsequitur magnus Augustinus, qui non semel sed sæpiùs errasse Cyprianum conscribit, nusquam erroris Stephani Papæ meminit, quinimò ejus de non rebaptizandis hæreticis sententiam contrà Donatistas Cypriani errorem resuscitantes operosè defendit, millia Episcoporum Stephano adhærentium cum plerisque Concilijs Generalibus opponit Synodis Carthaginensibus & Orientalibus, & illa eas vincere ostendit.

Augustin.

97. Post Augustinum eodem sæculo circà annum 434. scripsit in Gallijs S. Vincentius Lerinensis, qui in aureo suo opusculo contrà hæreticos elucubrato ostensurus in Ecclesiâ semper novitate repulsâ antiquam Apostolorum Traditionem fuisse retentam, nullum momentosius quàm hoc Stephani decretum invenit: *Si quidem* (inquit) *mos iste semper in Ecclesiâ viguit, ut quo quisque foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet. Exemplis talibus plena sunt omnia; sed ne longum fiat, unum aliquod, & hoc ab Apostolica potissimum Sede sumemus, ut omnes luce clarius videant, Beatorum Apostolorum beata successio, quantâ vi semper, quanto studio, quantâ contentione defenderit susceptæ semel religionis integritatem.* Addit totam de rebaptizatione Historiam, in qua Cypriani pro novitate zelum, & Stephani pro antiquitate ardorem depingit ac subdit:

Vincentius Lerinen.

 Quis

Quis ergo tunc universi negotij exitus? quis utique, nisi usitatus & solitus? retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas. Hæc cum scribit S. Vincentius antè duodecim sæcula, quis dubitare poterit, Galliam refutasse sententiam Cypriani ut erroneam, & econtrà Stephani approbasse, ut genuinam & Apostolicæ Traditioni conformem? non ignoro Ioannem Launoium, ita hoc testimonio confusum, ut varijs notis illud erroris convincere studeat: at commenta sunt, & S. Vincentij testimonium his omnibus supereminens de veritate triumphat, quam Launoius obfuscat.

98. Post Vincentium Lerinensem viguit Cassiodorus Senator, qui Theodoreti, Socratis, & Zozomeni historiam tripartitam elucubravit, ac libro de Divinis Lectionibus cap.19. ita doctrinam & eruditionem Cypriani extollit, ut excipiat, quæ de rebaptizatione hæreticorum conscripsit. *Impossibile est omninò complecti* (inquit) *quantum inter alios (præteritâ ratione Baptismatis, quem usus gratiâ repudiavit Ecclesia) conferat beatissimus Cyprianus.* De errore in causâ Baptismatis Cyprianum insimulat, nusquam Stephanum.

Cassiodor.

99. Tempore Concilij Generalis quinti pro tribus capitibus dura patiebatur Facundus Hermianensis Episcopus, & libro 10. cap. 3. *Cum Cyprianus* (inquit) *non solum privatim, ut ei visum est; verum etiam congregato Concilio definierit, ut omnis hæreticus ad Ecclesiam rediens baptizetur, & propter hoc culpatus à Stephano Antistite Romano restiterit, suamque sententiam scribens ad Pompeium, quantâ potuit humanâ argumentatione defenderit, injuriosè tractans eumdem B. Stephanum, à quo fuerat jure culpatus.* & paulò pòst: *igitur sicut Ecclesia non approbans beati Cypriani ejusque prædecessoris Agrippini, qui hoc ante statuerat, de baptizandis omnibus hæreticis definitionem &c.* Ex quibus, si nondum percipias mentem Facundi Hermianensis, en libro contrà Mocianum: *Stephani potius, quàm Cypriani sententiam tenet Ecclesia.* Quid expressius?

Facundus Hermian.

Facundus.

100. Ad sæculi 6. finem, & initium 7. floruit S. Gregorius Magnus, & interrogatus de Baptismo Nestorianorum reposuit in epistolâ 61. ad Quirinum & alios Iberiæ Episcopos: *Ab antiquâ Patrum institutione didicimus, ut qui apud hæreticos in Trinitatis nomine baptizarentur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis aut impositione manus, aut solâ professione fidei ad sinum Matris Ecclesiæ revocentur.* Hæc ex adverso sunt contrà Firmiliani & Cypriani sententiam, ac præcisè confirmant Stephani decretum, prout à Firmiliano nobis fuit propositum.

D. Gregor.

101. Tempore Nicolai primi floruit in Galliis Hincmarus Metropolita

polita Rementis, qui libro de prædestinatione capite 3. testatus est: *Scimus sanctum Cyprianum aliter de hæreticorum Baptismo sensisse, quam sanctus Stephanus Romanæ Ecclesiæ Pontifex senserit, & nunc sancta Ecclesia teneat.* Ad quæ verba Ioannes Launoius hanc glossam adjungit epistolâ ad Bevilaque fol. 666. „ Cum ait: nunc sancta tenet Ecclesia, quod de „ Baptismo sensit Stephanus, Stephani decretum haud legisse se signi- „ ficat. Portassis opinione vulgi raptus est in errorem, qui ve- „ ritati nocere minimè debet: non enim quod de Baptismo hæreti- „ corum sensit Stephanus, sed quod Arelatensis Synodus prima, & „ secutus hanc Synodum Gregorius primus senserint, nunc sancta „ tenet, & ævo Hincmari tenuit Ecclesia. „ Quinimò, hoc ipse Hincmarus tenuit, & sic Stephanum tenuisse rectissimè Hincmarus intellexit, non vulgi opinione raptus, sed magis de Stephani mente, quàm Launoius instructus.

Hincmarus Rem.

Launoius.

102. Eodem tempore floruit Anastasius Bibliothecarius, qui Græcæ linguæ peritissimus in Historiâ Ecclesiasticâ vertendo Georgij Syncelli Chronologiam, hæc sub annum 246. adducit: *Primus Cypriano dogmatizanti per lavacrum quosdam, qui ex hæresibus convertuntur, purificandos, Stephanus, qui post Lucium Romanorum moderatus est Sedem, restitit, utpotè novum quiddam præter Ecclesiæ consuetudinem.* Qui hæc scripsit, Georgius Tarasij Patriarchæ Syncellus, interfuit Concilio Generali 7. & qui hæc vertit ex Græco Anastasius, interfuit Concilio Generali 8. vir suo sæculo eruditissimus. Demum ut posteriores his temporibus Patres & auctores prætercam, concludo cum Breviario Romano, quod ex decreto sacrosancti Concilij Tridentini restitutum, Pii 5. jussu editum, & Clementis 8. primum, nunc denuò Urbani 8. auctoritate est recognitum, quod hoc Stephani decretum celebrat lectione 1. *Baptizatos ab hæreticis iterùm baptizari vetuit, rescribens sancto Cypriano verbis illis, nihil innovetur, nisi quod traditum est.* Quod decretum ita non celebraret Ecclesia, si ulla subessent erroris indicia.

Anastasius Bibliothec.

Breviariū Romanum

CAPUT VI.

De lapsu Marcellini, & num suppositicia sint acta Concilij Synvessani, in quibus, Papam à nemine posse judicari, asseritur.

103. *Communis hodiè evasit sententia, lapsum Marcellini esse confictum.*

104. *Refelluntur moderni, & inquiritur de eorum fundamento ex D. Augustino petito.*

105. *Ostenditur, D. Augustinum dubitasse de lapsu Marcellini, ut de re sibi duntaxat ignotâ, sicque lapsum Marcellini potius ignorasse, quàm negasse.*

106. *Melchiadis lapsum confictum esse, non evincit confictum esse lapsum Marcellini, quinimò lapsum Marcellini apud Donatistas fuisse indubitatum, ostenditur.*

107. *Malè asseri, lapsum Marcellini esse Donatistarum figmentum aut ex mercibus Isidori desumptum, contra Christianum Lupum demonstratur ex variis de veritate lapsus Marcellini deponentibus.*

108. *Secunda quæstio de Actis Synvessanæ Synodi, quàm esse supposititiam confirmant plures post Baronium signanter Launoius & Lupus, qui ultimus tradit fuisse saeculo 8. conficta.*

109. *An acta suppositiia sint, indecisum relinquitur, sæculo autem 8. non fuisse conficta, sed longè antiquiora esse, verisimilius asseritur, neque à Donatistis confingi potuisse probatur rejecto Baronij & Binny fundamento.*

110. *Doctrinam in actis contentam de injudicabilitate Romani Pontificis negat Launoius, sed concedunt Tractatores plurimi post sæculum 8. hæc acta ut genuina recipientes.*

111. *Confirmatur ista Actorum Doctrina contrà Launoium ex omnium sæculorum consensu.*

103. DE lapsu Marcellini Pontificis non minima quæstio exorta est inter eruditos nostri sæculi, quorum plerique jam sibi persuadent, à Donatistis tempore D. Augustini fuisse confictum. Sic ob Augustinum libro de unico Baptismate, capite 16. Petiliano lapsum Marcellini negantem, Cardinalis Bellarminus sententiam priorem retractavit, ut refert ac propugnat Theophilus Raynaudus Societatis Jesu in Galliâ Theologus, tomo 10. libro de Coronâ Aureâ, veritate

tate 10. ubi habet : „ Quod ad Marcellinum attinet, verior sententia „ est, totam narrationem de Marcellini crimine & damnatione esse fa„bulosam, ut retractatâ priore suâ sententiâ censuit Bellarminus in „recognitione libri 4. de Pontifice cap. 8. adducens S. Augustinum „ & Theodoretum. Subscripserunt alij apud Baronium anno 302. & „ 303. „ Accessit ex Gallijs eminentissimus Cardinalis Perronius contrà Angliæ Regem cap. 47. dicens, crimen Marcellini à Petiliano fuisse objectum: *Combien que cette reproche fut fausse, comme il appert par la refutation, que S. Augustin en fait ailleurs.* Idem fusius propugnat Christianus Lupus parte 5. ad Canonem 14. quinti Romani sub Gregorio septimo Concilij, ubi de suppositione tanquam re exploratâ & certissimâ tractavit : „ De lapsu S. Marcellini, quem esse calumniosum Donatistarum figmentum constantissimè docet S. Augustinus. „ & posteà: „ " At non solùm calumniosam, sed insuper novellam fabulam ostendit „ S. Augustinus. „ Ex quibus omnibus manifestum est, præcipuos nostri sæculi viros, ex D. Augustino desumpsisse, ad victoriam canendam de suppositione lapsus Marcellini, ut à Donatistis conficti.

Theoph. Raynaudus

Bellarmin.

Baronius.

Perronius.

Lupus.

104. Sicut non desunt, qui ex venerandâ antiquitate eruunt nostris sæculis ignota, ita & inveniuntur, qui ex eadem convincere student falsitatis nostro sæculo notissima : at sicut in priori quandoque erratur ex monumentis supposititijs, itâ & in posteriori ex monumentis non satis benè perpensis, uti contigit in casu præsenti de lapsu Marcellini omnium ore celebrato, quem destruere conati sunt viri eruditi ex testimonijs Augustini non sufficienter consideratis. Authoritas Augustini toties exclamata moverat nonnihil eruditos viros Henschenium & Papenbrochium in elucubratione tomi XI. ob catalogum publicatum de vitis Pontificum, in quo Marcellini lapsus manifestè continebatur, hinc, quæ jam scriptis prælòque paraveram, in Appendice ejusdem tomi subnexuerunt, & sunt quæ sequuntur : causa Cæciliani contra Donatum commissa erat ab Imperatore Constantino Melchiadis aliorumque Coëpiscoporum judicio, in quo causâ cecidit Donatus Episcopatum retinente Cæciliano : hinc tot jurgia & tumultus inter Donatistas, qui omni modo ante judicium conati fuerant effugere tribunal Pontificis timentes de malo, ut eventus docuit, iniquitatis suæ successu : post judicium totis viribus labefactare conati erant latam à Melchiade sententiam, at in vanum & frustrà: nam Melchiadis judicium confirmatum fuit in primo Arelatensi Concilio, per Imperatorem Constantinum hanc ob rem convocato.

105. Ex

105. Ex hac indubitatâ contrà Donatum sententiâ sæpiùs devicit magnus Ecclesiæ Doctor Augustinus Donati reliquias, cujus argumentum ut evaderet Petilianus Donatista, objecit sancto Doctori, Melchiadem fuisse unum ex Marcellini Clericis, & cum eodem idolis thurificasse, ac consequenter non fuisse idoneum in causâ judicem: huic se opponit Augustinus in libro de unico Baptismate, capite 16. *Quid jam opus est* (inquit) *ut Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quos incredibilibus calumnijs insectatus est, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & Presbyteri ejus Melchiades, Marcellus, & Sylvester traditionis Codicum Divinorum & thurificationis ab eo crimine arguuntur, sed nunquid ideò etiam convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? ipse sceleratos & sacrilegos fuisse dicit, ego innocentes fuisse respondeo. Quid laborem probare defensionem meam, cum ille nec tenuitur probare conatus sit suam.* Petiliano criminationem suam minimè probanti lapsum Marcellini negavit Augustinus, pro ratione ulterius addens: *Si est ulla humanitas in rebus humanis, puto, nos justius posse reprehendi, si ignotos homines, quos criminantur inimici, nec eorum crimen ullâ testificatione demonstrant, nocentes potius, quàm innocentes crediderimus.* Ecce solummodò negat lapsum Marcellini, quia sibi erat ignotus, & à Petiliano minimè probatus, ex eo autem, quod D. Augustinus aliquid ut sibi ignotum negaverit, quale argumentum desumi potest, ad firmiter dicendum, Marcellini lapsum tanquam calumniosum Donatistarum figmentum rejectum fuisse ab Augustino? certè ex argumento negativo id convincere non potest Christianus Lupus, nisi etiam velimus dicere, quod Concilium Sardicense non extiterit, ex eo, quod D. Augustinus illud nusquam agnoverit.

Augustin.

106. Sed dices, D. Augustinum probasse Petiliano, lapsum Melchiadis fuisse confictum: *Huc accedit, quia Melchiade tunc Episcopo Romanæ Ecclesiæ præsidente, ex præcepto Constantini Imperatoris, ad quem totam illam causam accusatores Episcopi Carthaginensis Ecclesiæ Cæciliani per Anulinum proconsulem detulerunt, idem Cæcilianus innocens pronunciatus est, de quo judicio, cum majores istorum importunissimâ pervicaciâ memorato Imperatori quererentur, quod non plenè nec rectè fuerit examinatum, atque depromptum, nihil de Melchiadis traditione vel thurificatione dixerunt. Ad cujus audientiam nec venire usque debuerunt. . . . . Cum hoc ergo nec ante suggesserint, nec posteaquam contrà eos pro Cæciliano judicatum est, saltem victi & irati obiiciendum putarunt, quid nunc inanes tam serò connectunt calumnias, quasi & innocentia Cæciliani Melchiadis judicis desoloratione suffuscetur.* Hæc objectio: ad quam respondemus, D. Augustini verba sufficienter ostendere, lapsum Melchiadis fuisse

fuisse confictum, quod & ego libenter admitto, cum nullibi descriptus legatur: sed hoc nihil facit ad probandum lapsum Marcellini pariter fuisse confictum. Enimverò Marcellinus non erat odiosus Donatistis, nec fuerat judex in causâ Donatistarum sicut Melchiades, cujus solius auctoritatem præcipuè elidere conabantur Donatistæ: sciebat Petilianus Constantiensis Donatistarum Episcopus, Marcellinum in Diocletiani persecutione idolis thurificasse, & simile quid, quia non inveniebat in Melchiade, confingebat; quod ut melius crederetur, tanquam unum ex Marcellini Presbyteris eidem adjunctum obtrusit. At fallere non potuit subtile Augustini ingenium, nam statim Melchiadem non thurificasse idolis collegit ex silentio omnium præcedentium Donatistarum, qui pro effugiendo ejus judicio illud certo certius allegassent: unde fraude Petiliani detectâ, confictionem erubuit Donatista, non sollicitus lapsum Marcellini probare, quem sine lapsu Melchiadis nihil sibi noverat favere.

107. Hinc jam patet, quam inaniter eruditi nostrorum temporum de confictione lapsus Marcellini victoriam canant, eamque tanquam fabulam novellam à D. Augustino habitam cunctis præponant, cum D. Augustini hac de re testimonium aut parum aut nihil urgeat. Aliud est, si aliundè confictio posset probari, pro quâ instat Christianus Lupus parte 5. loco citato: „ De Marcellini lapsu nullus etiam antiquus scriptor meminit. Quin & de illo scribit in Ecclesiasticâ Historiâ Eusebius libro 7. capite 26. *Marcellini temporibus persecutio, in quâ ipse martyrio occubuit, exorta est.* Et in eadem Historiâ Theodoretus libro 1. capite 3. Marcellinus vir persecutionis temporibus magnâ gloriâ plenè nobilitatus. Fuisse persecutionis certamine insigniter defunctum, addit Nicephorus Calixtus libro 8. capite 6. quod ipsum scribunt & alij Posteriores Græci. Nempe Isidori merces hi non viderunt, ideoque nulla umquam ipsis fuit de Marcellini lapsu vel suspicio. „ Hæc Lupus, qui lapsum Marcellini Isidori mercibus immeritò adscripsit: Donatistæ enim tribus aut 4. sæculis hunc Isidorum præcedentes jam lapsum Marcellini ut indubitatum habebant, & ideò illum ut lapsorum principem præponebant, ne ejus clericorum lapsus ab ipsis confictus detegeretur. Deindè pontificale Damasi, qui sæculo quarto floruit, ex mercibus Isidori confectum esse non potuit, quod in vitâ Marcellini testatur: *Ipse Marcellinus ad sacrificium ductus est, ut thurificaret, quod & fecit.* Et ponamus, hoc Pontificale non esse Damasi sed alterius; certè Anastasius Bibliothecarius sæculo 9. hanc vitam

Lupus. Eusebius. Theodoretus. Nicephor. Pontificale Anastasius Bibliot.

vitam non ex suo, nec ex mercibus Isidori, sed ex alijs antiquioribus exemplaribus operi suo inseruit. Demum & vita ipsa ex antiquo codice manuscripto circà tempora, ut fertur, Juliani Imperatoris exarato, quem eruditi Patres Henscenius & Papenbrochius nuperrimè publici juris fecerunt, hoc de lapsu Marcellini continet, & testatur: post quæ & Luitprandus Diaconus Ticinensis ex pervetustis manuscriptis Codicibus membraneis primum Moguntiæ anno 1602. editus, in vita hujus Pontificis, & Nicolaus Papa primus eodem sæculo nono in epistolâ ad Michaëlem Imperatorem, & alij auctores Catholici usque ad nostrum sæculum cum Martyrologio & Breviario Romano id constanter asseverarunt, quibus tanquam rei domesticæ scriptoribus multò magis hac in re credendum est, quam Græcis & extraneis, qui non solum lapsum Marcellini, sed & plura Occidentis facta conspicua ignorarunt, & prætermiserunt.

Vita Marcellini. Luitprand. Nicolaus I. Martyrol. & Breviarium Romanum.

108. Firmato lapsu Marcellini, jam alia quæstio est, an Concilium Synvessanum, hujus lapsus occasione indictum, sit suppositum: acta ejus in prima Annalium suorum editione in dubium vocare cœpit Cardinalis Baronius, nec diffitetur in secundâ editione Plantinianâ anno 1597. Antuerpiæ elucubratâ, in quâ tomo 2. ad annum 303. relatis Synodi Synvessanæ actis, subdit: „ Quæ quidem, cum multa habeant, quæ ipsis jure posse obiici videantur, ut in re valde dubiâ, „ quid de his sentiendum esset, noluimus in primâ editione nostro „ arbitrio definire, sed cuncta subjecimus eruditorum judicio, licet „ nonnihil in eam procliviores visi essemus sententiam, ut recitata nu„ per acta sint supposititia. „ Avidè hæc arripuit Joannes Launoius, ut argumentum pro injudicabilitate Pontificis hinc à Bellarmino desumptum effugeret, & parte 2. epist. ad Jacobum Bevilaque reponit: „ Si Bellarminus legisset & examinasset Synvessanum Concilium, „ non objecisset, quod in illius fine traditur: *prima Sedes à nemine* „ *iudicabitur*. „ Rationem adjungit infrà, quia supposititium reperisset. Assumit insuper unum ex argumentis Bellarmini, qui libro 2. de Verbo Dei, capite 4. ex silentio omnium veterum tanquam supposititiam rejecit Syriacam totius Novi Testamenti editionem, & pergit Launoius: „ sic Synvessanum, sic Romanum illud Concilium reiiciet, „ quia Synvessani & Romani Concilij mentio nulla extat apud Euse„ bium, Hilarium, Athanasium, Ruffinum, Epiphanium, Sulpitium „ Severum, Hieronymum, Orosium, Augustinum, Prosperum, Be„ dam, & alios auctores, qui vel de Marcellino, vel de Silvestro, vel

Baronius. Launoius.

de

„ de Concilijs usque ad annum 800. scripserunt, reiiciet, quia mentio „ nulla extat apud Dionysium Romanum Monachum, qui Justiniano „ Imperante Codicem Canonum Romanæ Ecclesiæ confecit. Apud „ Dionysium inquam, qui oblitus non esset Synvessani & Romani „ Concilij Canones, si qui fuissent editi, & Romæ tunc in scrinijs „ asservati. „ Et his inductus Christianus Lupus parte 4. ad Canonem 19. dictatus Gregorij 7. admittit Synvessanam adversus S. Marcellinum Synodum esse fictam & spuriam, attamen non carere fundamento, etenim ipsius confictor, inquit „ fuit omninò Catholicus, & vixit „ octavo sæculo, ideoque juxtà communem sui temporis sententiam „ est locutus. „ Lupus.

109. Ad huius difficultatis indagationem, distinguenda est quæstio de suppositione actorum Concilij, ab eâ, quâ quæritur. an doctrina in actis contenta veritati sit consona, & à nobis admittenda? quoad suppositionem actorum cum dubitent viri eruditi, nec aliquid eliquatum habeatur, nihil definitè assero. Et licet ab aliquo fuissent supposita, confictorem vixisse sæculo 8. ut Christianus Lupus tanquam indubitatum proponit, nullatenus video; fateor quidem primos, qui hanc Synodum citarunt, inveniri sæculo 9. Luitprandum Diaconum Ticinensem, & Nicolaum Papam primum acta illa ex collectione Isidori Mercatoris allegantes: at Isidorum Mercatorem circà sæculum 8. hæc acta supposuisse & confinxisse, verisimile non videtur, quod stylus maiorem antiquitatem sapiat, ut rectè animadvertit Parisiensium Archiepiscopus de Marca libro 1. capite xi. §. 4. „ Scio quidem à „ viris eruditis (inquit) hæc acta vocari in dubium quasi à Donati„ stis conficta, sed fatendum est, antiquitatem quandam redolere, li„ cet quam plurimis mendis scateant. „ antiquitatem redolere, scribit Parisiensium Archiepiscopus, & quidem ultrà tempora octavi sæculi certum existimo. Ad illud verò, quod acta à Donatistis aliqui conficta voluerunt, hæc habet ex Eminentissimo Cardinali Baronio Doctor Coloniensis Binnius in notis ad hoc Synvessanum Concilium. „ Quan„ quam virorum doctissimorum plurimi hæc acta spuria, & nullius „ ponderis esse, validis sanè argumentis probare conati sunt, adeo„ que aliud nihil esse sentiant, quam commentum à Donatistis cal„ lidè excogitatum, ut scilicet nomen Marcellini ab omnibus anti„ quioribus benè acceptum, & magnæ æstimationis habitum infama„ retur, nos tamen ea acta non modo non commentitia Donatistis „ adscribenda, sed potiùs in magnâ veneratione habenda esse existima- De Marca. Binnius.

„ vimus tum quòd pro iisdem ipsa veneranda antiquitas maiestate sua „ ab invitis etiam reverentiam extorquens, acerrimè militat: tum „ quod communi omnium consensu credita in antiquis Romanæ alia„rumque Ecclesiarum Martyrologiis ac Breviariis recepta hactenus „ sine ullâ controversiâ, retenta fuerint. „ Hæc ex Cardinalis Baronii priorem sententiam retractantis appendice ad tomum 10. Severinus Binnius, qui consequenter respondet ad obiectionem ex fictione Donatistarum, illos teste Augustino hæc acta non cognovisse: „ com„ mentum Donatistarum esse nequit, quod teste Augustino ipsis nun„ quam cognitum fuit. „ *Lapsum Marcellini Donatistæ quidam Catholicis obiecerunt* (inquit Augustinus de unico Baptismate contra Petilianum capite 16.) *sed crimen commissum esse hactenus nondum probaverunt.* Hæc iterum citato Baronio Binnius, sed erroneè in modo probandi: si enim Donatistæ lapsum Marcellini objecerunt, ergo & lapsus ipsis cognitus fuit. Unde ratio, cur hæc acta Donatistarum confictioni attribui nequeant, ex prioribus nostris de lapsu Marcellini dictis venit haurienda: lapsum Marcellini sciverunt Donatistæ, at lapsus Silvestri, Marcelli, & Melchiadis effixit Petilianus, ac ob solum Melchiadis lapsum urgebat Historiam Marcellini, de quo, si acta Synodica confecissent Donatistæ, certò certius & lapsus Melchiadis ibidem meminissent; quod cum non fecerint, signum manifestum est, hæc acta non esse Donatistarum figmentum, sed alicujus antiqui Catholici partum, qui forsan ex quibusdam suo tempore extantibus scriptis cuncta in ordinem actorum redegit, & mendosa licet, posteritati consecravit saltem post tempora Constantini magni, cum acta conscripta non fuisse ante Constantinum suadeant hæc illorum verba: *Libra Occidua,* id est, 72. testes electi: nota enim hæc, *Libra Occidua* appellata est, ut à libra Orientali distingueretur, idque Constantino Imperatore primo omnium auctore factum esse, patet ex lege 2. de ponderationibus, C. Theodosiano.

Augustin.

110. Quoad secundum, an doctrina in actis contenta de injudicabilitate Pontificis veritati sit conformis, negavit contrà Bellarminum Parisiensis Theologus Joannes Launoius, at non immeritò affirmat Doctor Lovaniensis Christianus Lupus, & contrà Launoium tuetur D. de Marca Parisiensis Archiepiscopus: præterquam enim, quod sub judice lis sit, an hæc acta sint genuina & ipsissimam Patrum Synvessanorum sententiam exprimentia, saltem collector ipsorum Catholicus fuit, & sive tempore Constantini, sive paulò pòst floruerit, juxtà com-

communem sui temporis sententiam est locutus, ut habet Christianus Lupus, idque adeò verisimiliter, ut sive acta ista ex Hispanijs in Gallias primo attulerit Riculphus Archiepiscopus Moguntinus, & totâ Galliâ iisdem repletâ consonâ omnium voce eadem recepta sint; sive primò citaverint Luitprandus Diaconus Ticinensis, vel auctor ejusdem sæculi noni Luitprando contemporaneus in vitâ Marcellini, capite 3. Nicolaus 1. in epistolâ ad Michaëlem Imperatorem, & præter alios Canonum collectores Gratianus circà annum 1151. in decreto distinctione 21. Can. *nunc autem*, quod jussu Gregorij 13. correctum est, prodierint, ista confirmavit Gregorius Papa septimus, qui anno 1078. in quinto Concilio Romano statuit Canonem 14. de Festivitatibus Romanorum Pontificum celebrandis, de quo magnum Belgij chronicon folio 124. *Gregorius constituit, ut festa Romanorum Pontificum; qui martyres fuerunt, celebrentur.* Idem antiqua Historiæ compilatio habet penes Christianum Lupum suprà: *Gregorius constituit, ut omnium sanctorum martyrum, & Romanorum Pontificum solemnitates ubique annuatim cum pleno officio celebrarentur.* Et inter hos Pontifices fuit Marcellinus, cujus vitam ex libro Pontificali & actis Synvessani Concilij desumpsit, & Breviario Romano inseruit Gregorius 7. cum Romano sub ipso Concilio ordine quinto, quod adeò certum habuere Patres Concilij Tridentini, ut à Pio quinto ad correctionem Breviarij Romani evocati hanc Marcellini & Synvessani sub ipso Concilij historiam retinuerint, in quo Pius 5. testatur bullâ Breviario præfixâ, eos ab antiquis tam urbis Romæ, quam Bibliothecæ Vaticanæ Breviarijs non recessisse, quinimò graves in eo genere scriptores secutos fuisse, *removendo ea, quæ aliena & incerta essent.* Et reverà usque ad tempus Concilij Tridentini planè indubitata fuisse acta hujus Concilij, constat ex authoribus gravissimis, qui post Nicolaum primum, & Gregorium 7. illis usi sunt: ut Cardinalis Pelagius libro 1. de planctu Ecclesiæ, articulo 6. qui floruit anno 1340. ut met fatetur ad finem sui libri: Facultas Theologica Tholosana anno 1402. in litteris ad Carolum 6. Galliæ Regem apud Theodoricum Raynaldum tomo 17. ad annum 1403. n. 18. Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis, tempore quo erat in Constantiensi Concilio, ut patet ex tractatu suo de appellatione, quem post finem Concilij Constantiensis edidit. Nicolaus Cusanus tempore Concilij Basileensis libro 2. de concordiâ Catholicâ, cap. 17. Onuphrius Panuinus in suo Platinâ, quem additis notis recusit, & Pio 5. dedicavit. Hosius Cardinalis & præses Concilij

Riculphus Mogunt. Luitprand. Nicolaus 1. Gratianus. Gregorius 7. in Concilio Rom. Belgij Chronic. Antiqua Historiæ compilatio. Breviariũ Roman. Pius 5. Card. Pelagius. Facultas Tholos. Ioannes Gerson. Nicolaus Cusanus. Onuphrius Panuin. Card. Hosius.

Tridentini, qui coram Patrum consessu ex hac historiâ hæreticos Pontificem ibidem judicari volentes, publicè rejecit, ut allato ipsius Hosij testimonio refert Bzovius tomo 20. Annalium, ad annum Christi 1562. & post Tridentinum Eminentissimus Cardinalis Baronius in tomo 2. Annalium editionis secundæ, ubi priorem sententiam de suppositione actorum nonnihil mutavit re graviori lance perpensâ, & sagatiori indagine disquisitâ addens: „ Resideat in throno suo gra„vis & veneranda quantumlibet obsita pannis antiquitas, quæ maje„state suâ ab invitis licet extorqueat reverentiam, sed & imperet „ jure suo, magnâ esse æstimatione habenda quæque vetera monu„ menta, licet temporis appareant edacitate corrosa. „ Exhibent autem hujus Concilij acta Petrus Crabbe anno 1551. in tomis Conciliorum Coloniæ editis, Laurentius Surius anno 1567. Dominicus Nicolinus in Venetianâ editione anni 1585. Severinus Binnius Doctor Coloniensis anno 1606. tomo 1. qui & plurimis adjectis notis in confirmationem hujus Concilij, acta ex tribus diversis editionibus exhibuit, quarum duæ ex antiquissimis codicibus desumptæ sunt: post quem Collector Regius in magnâ illâ Conciliorum mole 37. voluminibus Parisijs editâ editionem unicam exhibuit ex utraque oppositâ & in plerisque vitiatâ consarcinatam: quam & sapientissimus D. Bail Parisiensis Theologus tomo 2. Conciliorum compendiosè inseruit, & novissimè Philippus Labbeus anno 1671. in maximâ Conciliorum collectione tomo 1. utcumque emendatiorem exhibuit: ex quâ manifestum est, Marcellinum Diocletiani blanditijs in templo Isidis permotum ad thurificandum idolis, ob cujus lapsum. Facta est hæc Synodus Synvessana, in qua complures Episcopi continuè edixerunt, non à Synodo sed à se ipso judicandum, qui & tandem crimen confessus voce clarâ clamavit: *Peccavi coram vobis, & non possum in ordine esse Sacerdotum, quoniam avarus corrupi me auro*, ad quod Pontificis judicium Helchiades Episcopus: *justè ore suo anathematus accepit maranatha, quoniam ore suo condemnatus est. Nemo enim unquam judicavit Pontificem, nec Præsul Sacerdotem suum, quoniam prima Sedes non judicabitur à quoquam.* Hæc ex correctione Philippi Labbei.

Bzovius. Baronius. Pet. Crabb. L. Surius. Nicolinus. Binnius. Collector Regius. Bailius. Labbeus. Acta Synvessana.

111. Ultima verba pro injudicabilitate Pontificis adduxit Bellarminus, & post ipsum in authoritatem recepit Cardinalis Baronius ad annum 963. contrà quos insurgit Joannes Launoius, opponens Bellarmino parte 2. epistolâ ad Bevilaquam: „ si Bellarminus legisset & „ examinasset Synvessanam Synodum, non objecisset, quod in illius fine

Launoius.

„ fine traditur: *prima Sedes à nemine iudicabitur.* „ nam „ inquit, supposititiam reperisset: & urgens contrà Baronium parte 4. epistolâ ad Ludovicum Maresium, quod nunc in authoritatem receperit acta, quæ anno 302. & 303. validè impugnaverat, & ut corrupta, vitiata, & supposita procul amandaverat. Verùm non respicit Launoius, Cardinalem Baronium re graviori lance perpensâ & sagatiori indagine disquisitâ venerandam actorum antiquitatem in reverentiâ habuisse, quæ licet mendis scateant, & forsan quibusdam suppositiitijs permixta sint, hoc tamen de injudicabilitate Pontificis quoad dogma supposititium non continent, cum veritati sit consonum: unde & illustrissimus Dominus de Marca ex venerandâ horum actorum antiquitate pro injudicabilitate Pontificis ea adferre non omisit libro 1. cap.XI. §.4., „ Extat in actis Synvessanæ Synodi, (inquit) in causa Marcellini Pontificis coactæ anno 303. *prima Sedes non iudicabitur à quoquam.* „ Admiserunt hoc testimonium à tempore Riculphi Archiepiscopi Moguntini & Gallia, & Hispania, & Italia, ex qua Nicolaus Papa primus sæculo 9. illud proposuit Michaëli Orientis Imperatori ac probavit cum Gallicanæ Ecclesiæ Præsulibus Hincmarus Metropolita Remensis: firmavit quoque Gregorius Papa 7. in Breviario Romano à Patribus Tridentini Concilij sub Pio quinto correctius edito: admiserunt sæcula quantumvis Romani Pontificis authoritati infensissima, ut ante Concilium Pisanum Facultas Theologica Tholosana, tempore Constantiensis Concilij Joannes Gerson Parisiensis Cancellarius, tempore Basileensis eminentissimus Cardinalis Cusanus, tempore Tridentini ejus præses Stanislaus Hosius, & communis fidelium consensus post octo sæcula, quorum authoritas, licet non probaret actorum genuitatem, saltem sufficeret ad firmandum dogma in iis contentum, quo plerique citatorum usi sunt, nemine quod sciam, tunc repugnante aut contradicente tanquam rei suppositæ & confictæ.

De Marca.

CAPUT

CAPUT VII.
De Schismate Donatistarum.
ARTICULUS I.
Origo totius Schismatis.

112. *Origo schismatis ex S. Optato per Valesium proposita, quod nimirum Cæcilianus ordinatus esset Carthaginensis Episcopus.*

113. *Hujus enim ordinatio causam præbuit schismaticæ electioni Maiorini, ut fusius exponitur.*

114. *Quæ D. Augustinus hic habet contrà Donatistas, qui Cæcilianum legitimè ordinatum deponere ausi erant omissâ debitâ ad Sedem Apostolicam relatione, latius pertractantur.*

112. TOtam Donatistarum historiam ante Augustinum satis apertè conscripsit S. Optatus Milevitanus in Africâ Episcopus libro 1. & sequentibus, contrà Parmenianum, at cum fusum sit ex hoc Patre schisma repetere, originem exhibemus verbis Henrici Valesij, qui ad calcem Eusebij totam hanc Donatistici schismatis contentionem ingenuè elucubravit, & ex optati libris originem his verbis exhibuit capite 2.„Cum libertas Christianis reddita esset, de substituendo „ in Mensurij (Carthaginensis nimirum defuncti Episcopi) locum E„piscopo agi cœptum est. Cumque convenissent Carthaginem vicina„rum urbium Episcopi, totius populi suffragio Cæcilianus electus est, „ & à Felice Aptungitano Episcopo consecratus. At Botrus & Celeu„sius, qui Episcopatum Carthaginensis Ecclesiæ ambierant, cum spe suâ „ se dejectos viderent, conjurare adversus Cæcilianum cœperunt, & „ adhibitâ in societatem Lucillâ potentissimâ fœminâ ac Senioribus „ plebis Catholicæ, quibus Mensurius ad comitatum proficiscens or„namenta Ecclesiæ commendaverat, litteras ad secundum Tigisita„num Episcopum mittunt, petentes, ut cum reliquis Numidiæ Epis„copis Carthaginem veniret. „

Henric. Valesius,

113. „ Ægrè ferebat secundus, quod Cæcilianus ab alio consecrari ma-

,, maluisset, quam ab ipso, qui primas esset Numidiæ: sed & reliqui ,, Numidiæ Episcopi non mediocrem injuriam sibi factam putabant, ,, quod ad illam ordinationem evocati non fuissent. Igitur cum Car- ,, thaginem venisset Secundus, & reliqui, qui Cirtensi Concilio inter- ,, fuerant, nempe Donatus Masculitanus, Marinus ab aquis Tibilita- ,, nis &c. item Donatus à Casis Nigris Dux ac signifer illius factio- ,, nis, & alij 70. numero Episcopi, hospitio excepti à factionis suæ ,, consortibus, Cæcilianum ad causam dicendam evocarunt. Sed ille, ,, qui eos à calumniatoribus suis accitos in perniciem suam intellige- ,, bat, qui eos apud calumniatores suos diversari videbat, apud Con- ,, cilium illud venire recusavit retentus à plebe Catholicorum, qui, ,, ne seipsum hostibus suis traderet, obstiterunt. Tunc illi Cæci- ,, lianum, quod vocatus ad Concilium venire noluisset, damnaverunt ,, duo crimina illi obiicientes; primum, quod à traditoribus ordina- ,, tus fuisset Episcopus: deindè quod, cum esset Diaconus, victum ,, afferri martyribus in custodiâ positis prohibuisset. Tunc sententiæ ,, à singulis dictæ sunt contrà Cæcilianum, & contrà ordinatores ,, eius ..... & post hæc in locum Cæciliani Maiorinum ordinaverunt ,, Episcopum in gratiam Lucillæ, cujus domesticus erat Maiorinus, ,, quibus ad hunc modum confectis, litteras quaquaversum per Afri- ,, cam miserunt, quibus reliquos Episcopos adversus Cæcilianum & ,, collegas ejus à se damnatos incitarent, & à communione illorum ,, quasi traditorum averterent. Hoc fuit initium nefarij schismatis Do- ,, natistarum: ,, & huc usque Henricus Valesius.

114. Ante Historiæ prosecutionem notanda sunt, quæ à magno Ecclesiæ Doctore Augustino contrà Donatistarum de Cæciliano judicium animadversa sunt. Urgebant continuò Donatistæ à Donato hujus factionis signifero nomen sortiti, quod Cæcilianus comparere noluerit ad Concilium invitatus, & ideò tanquam proprij delicti indicium præbens à prædecessoribus suis damnatus sit; at reponit magnus Augustinus epistolâ 162. *Si aliqui in vobis sint, qui certa istorum crimina ita noverint, ut ea facilè valeant edocere, negantesque convincere, & talibus communicare formidant, pergant ad fratres & collegas nostros transmarinarum Ecclesiarum Episcopos, & ibi prius de eorum factis & contumaciâ conquerantur, quod ad iudicium collegarum Aphrorum malè sibi conscij venire noluerunt, ut inde illis denuntietur, ut veniant, ibique obiectis respondeant: quod si non fecerint, ibi etiam eorum pravitas & perversitas innotescet, missâque tractatoriâ super eorum nomine, per totum Orbem terrarum quacumque iam Christi* Augustin.

 Eccle-

Ecclesia dilatata est, ab omnibus Ecclesiis eorum unio præcideretur, ne aliquis error in cathedrâ Ecclesiæ Carthaginis oriatur. Per transmarinas Ecclesias intelligit D. Augustinus præcipuè Romanam, ut ante exposuerat, & ad illam prius debuisse referri causam Cæciliani, quam à Donatistis potuerit finiri, lucidè testatur, & urget, ad illius judicium fuisse citandum Cæcilianum, qui si non comparuisset, tunc verè missis per Orbem tractatorijs à communione fidelium separatus extitisset. Hoc autem, quia non aspexerat Donatus à Casis nigris cum suæ factionis Episcopis, graviter arguit Augustinus, utpotè *qui nec priusquam in eum sententiam dicerent, differre noluerunt, nec posteàquam dixerunt, perseveranter id agere, ut Ecclesiæ transmarinæ in notitiam perferretur, quorum traditorum in Africâ damnatorum communionem vitare deberet.*

Augustin.

ARTICULUS II.

De Concilio Romano Melchiadis in causâ Cæciliani.

115. *Defectu relationis ad Sedem Apostolicam irritam viderunt Donatistæ Cæciliani depositionem, hinc, cœperunt & transmarinos iudices expostulare.*
116. *Imperatorem Constantinum hac de re exoratum dedisse iudices Gallos, sed sub Melchiade Papa in Synodo Romanâ sententiam dicturos.*
117. *Referuntur ex S. Optato acta Synodi Romanæ cum Episcopis, qui interfuere.*
118. *Melchiadem tulisse iudicium decisivum supremâ Pontificij authoritate.*

115. Defectu sententiæ Pontificis irrita & vana erat Cæciliani depositio, qui non curabat *conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret, & Romanæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, & cæteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse coniunctum, ubi paratus esset causam suam dicere*, verba sunt Augustini ex epistolâ 162. *Si adversarij eius ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.* Hinc commota Donatistarum factio, serò licet, transmarinæ Ecclesiæ judices cæpit expetere, & à Constantino Imperatore præcipuè Gallos postularunt, ut patet ex S. Optato Milevitano libro 1. adversus Parmenianum Donatistam, qui hasce eorum præces exhibet: *Rogamus te, ô Constantine optime Imperator, quoniam de genere iusto es, cuius pater inter cæteros Imperatores persecutionem non exercuit, & ab hoc faci-*

Augustin.

Donatistæ.

facinore immunis est Gallia. Nam in Africâ inter nos & cæteros Episcopos contentiones sunt, petimus, ut de Galliâ nobis iudices dari præcipiat pietas tua: datæ à Luciano, Digno, Nasutio, Capitone, Fidentio, & cæteris Episcopis partis Donati.

116. Nondum instructus erat Imperator de Africanæ Ecclesiæ exorto schismate, hinc ut sufficienter S. Optatus indicat, primâ fronte Episcopos judices negavit: attamen repetitis per Anulinum Africæ Proconsulem de partis Maiorini contrà Cæcilianum tumultuosis discordijs, ex Galliâ dati sunt judices tres, inquit Optatus, sed qui Romam ad Synodum Melchiadis Papæ accedere deberent, quod magnus Imperator Constantinus à fidelibus Episcopis eruditus noverat, hoc de Cæciliano & Maiorino judicium spectare ad tribunal Sedis Apostolicæ, in qua, ut audivimus ex luculentissimo D. Augustini testimonio, *semper viguit principatus.* Patent omnia luculentius ex Constantini Imperatoris ad Melchiadem Pontificem epistolâ, quam ex correctissima Henrici Valesij versione hic subnectimus. *Constantinus Augustus Miltiadi Episcopo urbis Romæ, & Marco. Quoniam huiusmodi plures libelli à viro clarissimo Anulino Africæ Proconsule ad me sunt missi, in quibus continetur, Cæcilianum Carthaginensium urbis Episcopum à quibusdam collegis suis per Africam constitutis multis de causis insimulari. Quod quidem permolestum mihi videtur, in istis Provincijs, quas Divina Providentia meæ devotioni spontaneâ deditione tradidit, & in quibus maxima est populi multitudo, plebem quasi in duas partes divisam ad deteriora deflectere, & Episcopos inter se dissentire. Placuit mihi ut idem Cæcilianus unà cum decem Episcopis, qui accusare ipsum videntur, & cum 10. alijs, quos ipse ad suam causam necessarios esse iudicaverit, Romam naviget; ut ibi coram vobis, & coram Reticio, Materno, ac Marino collegis vestris, quos eâ causâ Romam properare iussi, possit audiri, quemadmodum sanctissimæ legi convenire optimè nostis, &c.* Hæc ferè omnia huc spectantia, ex quibus patet, ad Romanam sub Melchiade Synodum ex Galliâ convocatos tres Episcopos, & ex Africâ Cæcilianum cum 10. suæ partis, & alijs 10. adversarijs Episcopis accedere debuisse.

Augustin.

Constantinus Imper.

117. Prosequitur S. Optatus libro 1. contrà Parmenianum: *ad urbem Romam ventum est ab iis tribus Gallis: & ab alijs quindecim Italis. Convenerunt in domum faustæ in Laterano, Constantino ter & Licinio ter Consulibus sexto nonas Octobris die, 6. feria. Cum consedissent Miltiadis Episcopus urbis Romæ, & Reticius, & Maternus, & Marinus Episcopi Gallicani: & Merocles à Mediolano, Florianus à Cesena, Zoticus à Quintiano, Stemnius ab Arimino, Felix à Florentia Tuscorum, Gaudentius à Pisis, Constantius à Faventiâ, Proterius à*

S. Optatus.

Ecclesia dilatata est, ab omnibus Ecclesiis eorum unio præcideretur, ne aliquis error in cathedrâ Ecclesiæ Carthaginis oriatur. Per transmarinas Ecclesias intelligit D. Augustinus præcipuè Romanam, ut ante exposuerat, & ad illam prius debuisse referri causam Cæciliani, quam à Donatistis potuerit finiri, lucidè testatur, & urget, ad illius judicium fuisse citandum Cæcilianum, qui si non comparuisset, tunc verè missis per Orbem tractatorijs à communione fidelium separatus extitisset. Hoc autem, quia non aspexerat Donatus à Casis nigris cum suæ factionis Episcopis, graviter arguit Augustinus, utpotè *qui nec priusquam in eum sententiam dicerent, differre noluerunt, nec posteàquam dixerunt, perseveranter id agere, ut Ecclesiæ transmarinæ in notitiam perferretur, quorum traditorum in Africâ damnatorum communionem vitare deberet.*

Augustin.

ARTICULUS II.

De Concilio Romano Melchiadis in causâ Cæciliani.

115. *Defectu relationis ad Sedem Apostolicam irritam viderunt Donatistæ Cæciliani depositionem, hinc, cæperunt & transmarinos iudices expostulare.*
116. *Imperatorem Constantinum hac de re exoratum dedisse iudices Gallos, sed sub Melchiade Papa in Synodo Romanâ sententiam dicturos.*
117. *Referuntur ex S. Optato acta Synodi Romanæ cum Episcopis, qui interfuere.*
118. *Melchiadem tulisse iudicium decisivum supremâ Pontificiæ authoritate.*

115. Defectu sententiæ Pontificis irrita & vana erat Cæciliani depositio, qui non curabat *conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret, & Romanæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, & cæteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse coniunctum, ubi paratus esset causam suam dicere*, verba sunt Augustini ex epistolâ 162. *Si adversarij eius ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.* Hinc commota Donatistarum factio, serò licet, transmarinæ Ecclesiæ judices cæpit expetere, & à Constantino Imperatore præcipuè Gallos postularunt, ut patet ex S. Optato Milevitano libro 1. adversus Parmenianum Donatistam, qui hasce eorum preces exhibet: *Rogamus te, ô Constantine optime Imperator, quoniam de genere iusto es, cuius pater inter cæteros Imperatores persecutionem non exercuit, & ab hoc faci-*

Augustin.

Donatistæ.

facinore immunis est Gallia. Nam in Africâ inter nos & cæteros Episcopos contentiones sunt, petimus, ut de Galliâ nobis iudices dari præcipiat pietas tua: datæ à Luciano, Digno, Nasutio, Capitone, Fidentio, & cæteris Episcopis partis Donati.

116. Nondum instructus erat Imperator de Africanæ Ecclesiæ exorto schismate, hinc ut sufficienter S. Optatus indicat, primâ fronte Episcopos judices negavit: attamen repetitis per Anulinum Africæ Proconsulem de partis Maiorini contrà Cæcilianum tumultuosis discordijs, ex Galliâ dati sunt judices tres, inquit Optatus, sed qui Romam ad Synodum Melchiadis Papæ accedere deberent, quod magnus Imperator Constantinus à fidelibus Episcopis eruditus noverat, hoc de Cæciliano & Maiorino judicium spectare ad tribunal Sedis Apostolicæ, in qua, ut audivimus ex luculentissimo D. Augustini testimonio, *semper viguit principatus.* Patent omnia luculentius ex Constantini Imperatoris ad Melchiadem Pontificem epistolâ, quam ex correctissima Henrici Valesij versione hic subnectimus. *Constantinus Augustus Miltiadi Episcopo urbis Romæ, & Marco. Quoniam huiusmodi plures libelli à viro clarissimo Anulino Africæ Proconsule ad me sunt missi, in quibus continetur, Cæcilianum Carthaginensium urbis Episcopum à quibusdam collegis suis per Africam constitutis multis de causis insimulari. Quod quidem permolestum mihi videtur, in istis Provincijs, quas Divina Providentia meæ devotioni spontaneâ deditione tradidit, & in quibus maxima est populi multitudo, plebem quasi in duas partes divisam ad deteriora deflectere, & Episcopos inter se dissentire. Placuit mihi ut idem Cæcilianus unà cum decem Episcopis, qui accusare ipsum videntur, & cum 10. alijs, quos ipse ad suam causam necessarios esse iudicaverit, Romam naviget; ut ibi coram vobis, & coram Reticio, Materno, ac Marino collegis vestris, quos eâ causâ Romam properare iussi, possit audiri, quemadmodum sanctissimæ legi convenire optimè nostis, &c.* Hæc ferè omnia huc spectantia, ex quibus patet, ad Romanam sub Melchiade Synodum ex Galliâ convocatos tres Episcopos, & ex Africâ Cæcilianum cum 10. suæ partis, & alijs 10. adversarijs Episcopis accedere debuisse.

Augustin.

Constantinus Imper.

117. Prosequitur S. Optatus libro 1. contrà Parmenianum: *ad urbem Romam ventum est ab iis tribus Gallis: & ab alijs quindecim Italis. Convenerunt in domum faustæ in Laterano, Constantino ter & Licinio ter Consulibus sexto nonas Octobris die, 6. feria. Cum consedissent Miltiadis Episcopus urbis Romæ, & Reticius, & Maternus, & Marinus Episcopi Gallicani: & Merocles à Mediolano, Florianus à Cesena, Zoticus à Quintiano, Stemnius ab Arimino, Felix à Florentia Tuscorum, Gaudentius à Pisis, Constantius à Faventiâ, Proterius à*

S. Optatus.

 Capuâ

Capuâ, Theophilus à Benevento, Savinus à Terracinâ, Secundus à Præneste, Felix à tribus tabernis, Maximus ab Ostia, Evandrus ab Vrsino, Donatianus à foro Claudij. His decem & novem considentibus Episcopis causa Donati & Cæciliani in medium missa est à singulis. In Donatum sunt hæ sententiæ latæ: quod confessus sit, se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse: quod ab Ecclesiâ alienum est. Testes inducti à Donato confessi sunt, se non habere quod in Cæcilianum dicerent. Cæcilianus omnium supra memoratorum sententijs innocens est pronuntiatus. Hæc omnia Optatus, ex quibus peti potest, si solùm tres Episcopi Galli & quindecim Itali sub Melchiade Papâ adfuerint, quid de 20. Episcopis Afris contigerit, quos Constantinus cum Cæciliano adesse jussit? Verum facilè respondetur, hos omnes interfuisse, non tamen inter judices Episcopos numerari, quod solum interrerant causam dicturi: Donatus quidem intererat, ut patet ex S. Optato suprà, qui partem Maiorini contra Cæcilianum cum alijs suæ partis schismaticæ Episcopis infaustè promovit, & Cæcilianus quoque adfuit cum suæ partis Episcopis, qui Victoriam obtinuit.

118. Ait S. Optatus Cæcilianum omnium Episcoporum sententijs innocentem fuisse pronuntiatum, sed præcipuè S. Melchiadis judicio: *Etiam Miltiadis sententia* (inquit) *quâ judicium clausum est his verbis: cum constiterit Cæcilianum ab iis, qui cum Donato venerunt iuxtà professionem suam non accusari: nec à Donato convictum esse in aliqua parte constiterit suâ, communioni Ecclesiasticæ integro statu retinendum meritò esse censeo.* Censeo, inquit Melchiades hujus Concilij Præses, & judex supremus, cujus quoque sententiâ clausum est judicium; & ad quem reipsâ spectabat de Africano Concilio terminare controversias: *An fortè* (inquit Augustinus epistolâ 162.) *non debuit Romanæ Ecclesiæ Melchiades Episcopus cum collegis transmarinis Episcopis sibi usurpare judicium, quod ab Aphris 70. ubi Primas Tigisitanus præsedit, fuerat terminatum.* Sic Donatistarum sui temporis præveniens calumnias, ut ostenderet, & meritò hanc causam ad Melchiadis tribunal à Constantino Imperatore transmissam, & legitimè à Melchiade sententiam illius usurpatam, de quâ audi D. Augustinum consequenter: *Qualis ipsius Melchiadis ultima est prolata sententia, quàm innocens, quàm integra, quàm provida, atque pacifica: quâ neque collegas, in quibus nihil constiterat, de collegio suo ausus est removere, & Donato solo, quem totius mali principem invenerat, maximè culpato, sanitatis recuperandæ optionem liberam fecit, cæterisque paratus communicatorias litteras mittere, etiam eis, quos à Maiorino ordinatos esse constaret: ita ut quibuscumque locis duo essent Episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior,*

S. Optatus.

Augustin.

Augustin.

prior, alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur: ô virum optimum; ô filium Christianæ pacis & Patrem Christianæ plebis: ad quæ verba annotat Cardinalis Baronius ad annum 313. n. 29. „ Patrem Christianæ plebis „ Melchiadem nominat eo sensu, quo eâdem epistolâ superiùs dixe„rat, in Romanâ Ecclesiâ semper viguisse Apostolicæ Cathedræ Prin„cipatum, cujus tantummodò facultatis esset de Episcoporum sedi„bus eo modo transigere. „ Baronius.

ARTICULUS III.

De Concilio Arelatensi primo ob Donati pertinaciam coacto.

§. I.

De Appellatione Donatistarum, & quomodo Arelatense Concilium extrà juris ordinem fuerit concessum.

119. *Occasionem Arelatensi Concilio dedit impia Donatistarum querela, ut latè ex epistolâ Constantini ad Chrestum, & testimonio Augustini.*

120. *An Donatistarum appellatio causam præbuerit, inquiritur, & proponitur sententia Sirmondi & Valesij negantium Donatistas appellasse à Romano sub Melchiade Concilio, & locum S. Optati mutilum esse docentium.*

121. *Licet Sirmondi sententia primo intuitu placuerit, adversa tamen peritorum sententia de appellatione Donatistarum firmatur in primis ex epistolâ Constantini & probatur testimonio S. Optati.*

122. *Neque mutilum esse S. Optati locum contrà Sirmondum & Valesium pluribus propugnatur, præcipuè tamen ex Augustini testimonijs de appellatione istâ deponentibus.*

123. *Quidquid sit de appellatione, indubitatum esse, Arelatense Concilium extrà juris ordinem fuisse concessum, probant Constantinus firmante de Marcâ, S. Optatus probante Gabriele Albaspineo, & S. Augustinus, cujus insignis & difficilis locus exponitur de retractandâ causâ cum ipsis judicibus.*

124. *S. Silvestrum mansisse judicem in Arelatensi Concilio pluribus demonstratur, ac signanter ex actis ipsius Arelatensis Concilij.*

119. Occasionem hujus Synodi post Romanum sub Melchiade Papâ judicium melius colligere non licet, quàm ex episto-

lis Constantini Imperatoris, quibus Episcopos evocat ad Civitatem Arelatensem, quarum una extat apud Eusebium libro 10. cap. 5. ad Chrestum Syracusanum Episcopum, & ex versione Valesij sic sonat: *Constantinus Augustus Chresto Syracusorum Episcopo: jam quidem anteà, cum nonnulli pravo ac perverso animo à sanctâ Religione cælestique virtute, & ab Ecclesiæ Catholicæ sententiâ dissidere cæpissent, eiusmodi eorum contentionem præcidere cupiens ita constitueram, ut missis è Galliâ quibusdam Episcopis accitis, etiam ex Africâ iis, qui duas in partes divisi pertinaciter inter se atque obstinatè contendunt; præsente quoque Romanæ urbis Episcopo, id quod commotum fuisse videbatur, sub horum præsentiâ posset diligentissimâ examinatione componi. Sed quoniam nonnulli, ut ferè fit, & propriæ salutis, & venerationis, quæ sanctissimæ fidei debetur, obliti privatas adhuc simultates prorogare non cessant, prolatæ iam sententiæ acquiescere nolentes, asserentesque, paucos admodum Episcopos sententiam tulisse, qui nec omnibus, quæ prius inquiri oportebat diligenter excussis ad depromendum judicium properanter accessissent. Unde fit, ut & ipsi, quos concordi, ac fraterno inter se animo esse decuerat, turpi seu potius detestandâ secessione dissideant; & iis hominibus, qui à sanctissima Religione alieno sunt animo, subsannandi occasio præbeatur. Idcircò mihi sedulò providendum fuit, ut hæc, quæ post depromptum judicium voluntariâ assensione jam finita esse debuerant, nunc tandem multorum interventu finem possint accipere: quoniam igitur plurimos ex diversis ac propè infinitis locis Episcopos in urbem Arelatensem intrà Kalendas Augusti jussimus convenire: tibi quoque scribendum esse censuimus, ut accepto publico vehiculo à Viro Clarissimo Latroniano Correctore Siciliæ, adiunctis tibi duobus secundi ordinis, quos tu eligendos putaveris, tribus item servulis, qui in itinere vobis ministrare possint, intrà eumdem diem ad prædictum locum occurras &c.*

Constantinus Imperator.

Placuit totam ferè hanc epistolam adducere ex versione novissimâ Henrici Valesij, quod plura ex eâ desumi possint circa Concilij Arelatensis occasionem, quam D. Augustinus epistolâ 162. hisce verbis quoque posteritati exponit: *Tantæ auctoritatis Episcopos* (in Concilio nimirum sub Melchiade adunatos) *quorum judicio & Cæciliani innocentia, & eorum improbitas declarata est, non apud alios collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sunt, quod malè iudicarint. Dedit ille Arelatense Concilium, aliorum scilicet Episcoporum, non quia iam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omnimodò cupiens tantam impudentiam cohibere.*

Augustin.

120. Quod impia Donatistarum turba in Romano Melchiadis judicio damnata omnium malè litigatorum mores imitata sit, & ipsosmet judices negligentiæ in expendendis momentis apud Imperatorem Constantinum accusaverit, scribit in primis ipse Constantinus,

&

& confirmat subindè post S. Optatum Milevitanum Magnus in Africâ Præsul Augustinus. At quæstio in primis movetur, num Donatistæ à Concilio Romano Melchiadis appellarint ad ipsummet Imperatorem, aut ad numerosius Episcoporum Concilium? Communis ante Sirmondum fuit peritorum sententia ex S. Optato Milevitano probantium, à Synodo Romanâ cum suis appellasse Donatum, *ad quem appellationem Constantinus Imperator sic respondit: ô rabida furoris audacia, sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Verùm hunc locum mutilum esse primus omnium docuisse videtur Sirmondus, qui in notis posthumis nunc primùm à Philippo Labbeo publicatis profert Magni Constantini rescriptum, in quo ad hæc verba, *O rabida furoris audacia.* subdit: „ Hæc illa est Constantini adversus Donatistarum ap„ pellationem detestatio, quam innuit Augustinus epistolâ 162. *Alios* „ (inquit) *apud Arelatem judices Episcopos dedit, à quibus tamen illi ad ipsum* „ *rursum Imperatorem provocare maluerint. Qua in re illos quemadmodum dete*„ *stetur, audistis.* Eamdem verbis ipsis commemorat Optatus libro 1. „ sed mutilus Optati locus, in quo nulla Synodi Arelatensis fit men„ tio, nonnullos in fraudem induxit, ut appellationem Donatistarum „ ad Synodum Romanam referendam crederent, quæ tribuenda erat „ Arelatensi. De Synodo Romanâ murmurasse victos Donatistas, il„ lam accusasse ac reprehendisse, de illâ questos esse, multis locis „ docet Augustinus: ab eâ provocasse nusquam proditum est, sed ab „ Arelatensi. „ Excipit hanc Iacobi Sirmondi sententiam Henricus Valesius in Tractatu edito post Eusebium de schismate Donatistarum cap. 7. & urget varia esse D. Augustini testimonia, neque ullum appellationis facere mentionem. Inter plurima hoc unum profero ex libro 2. contrà litteras Petiliani capite 92. *Si autem, quod verum est petentibus maioribus vestris Episcopale judicium dederat Constantinus, & apud Romam & apud Arelate, quorum primum apud eum accusastis, ab altero ad eum appellastis.* „ De priore (subdit Valesius) quidem eos murmurasse & con„ questos esse, à posteriori autem Concilio provocasse habet Augusti„ nus. „ Pergit idem Valesius capite 8. ejusdem Tractatus ad testimonium S. Optati, quod erroris arguit aut librariorum incuriâ, aut ab ipso Optato commissi, cum exclamatio Constantini de rabidâ furoris audaciâ contineatur in rescripto non ad Synodum Arelatensem, sed ad Patres Arelatenses post celebratum ab ipsis Concilium, quomodò ab ipsorum & non Romanorum Episcoporum judicio appellarant Donatistæ: „ Sanè (inquit Valesius) in gestis purgationis Cæciliani &

S. Optatus.

Sirmondus

Augustin.

Augustin.

Valesius.

Valesius.

Feli-

„ Felicis, hæc Constantini epistolá subjungitur Concilio Arelatensi,
„ quod secutus Iacobus Sirmondus in collectione Conciliorum Galliæ meritò eam epistolam Arelatensi Concilio subjecit. „,

121. Fateor hanc Sirmondi & Valesij sententiam inprimis animum meum in partes suas traxisse, at demum re sagatiori mente disquisitâ ad contrariam Baronij, Gabriëlis Albaspinei, Christiani Lupi, Ludovici Bailij aliorumque communem sententiam inclinare, quæ tenet Donatistas reipsa non solùm à Concilio Arelatensi primo, sed & ab ipsâ Romanâ sub Melchiade Synodo provocasse. Enimverò ad appellationem ex parte appellantium nihil aliud requirebatur, quam post latum judicium illud ipsum injustum proclamare, & aliud judicium expetere. Atqui hæc omnia post latum à Melchiade Papâ judicium fecere Donatistæ, ut clarè insinuat Constantinus Imperator in epistolâ ad Chrestum Syracusanum Episcopum: *Prolata iam sententia acquiescere nolentes* (inquit de Donatistis post Melchiadis judicium) *asserentesque, paucos admodum Episcopos sententiam tulisse, qui nec omnibus, quæ prius inquiri oportebat diligenter excussis ad depromendum judicium properanter accessissent.* Donatistæ igitur ob laudata ab ipsis fundamenta injustum proclamabant Melchiadis judicium, nec illi ut paucorum Episcoporum valebant acquiescere, quod nimirum à Constantino aliud maius Episcoporum Concilium intrà Gallias expostularent, quod & demum fuisse concessum, consequenter insinuat, ut hæc *tandem multorum interventu finem possint accipere.* Accedit Augustinus libro 2. contrà literas Petiliani cap. 92. *Si autem, quod verum est petentibus maioribus vestris Episcopale judicium dederat Constantinus & apud Romam, & apud Arelatum.* Petierant ergo Donatistæ 2. Arelatense judicium. Ne tamen hæc solum deduci ex antiquitatis monimentis videremur, succurrit S. Optatus Milevitanus, qui floruit eodem cum Imperatore Constantino sæculo 4. & in Historiâ Donatistarum versatissimus extitit, utpotè quos in Africâ ex factis progenitoris Donati debellavit, ostendens, ut suprà vidimus, eum in Romano sub Melchiade Concilio justissimè fuisse Damnatum: *Sufficit ergo & Donatum tot sententijs esse percussum* (inquit libro 1. contra Parmenianum) *& Cæcilianum tanto judicio esse purgatum. Et tamen Donatus appellandum esse ab Episcopis credidit. Ad quem appellationem Constatinus Imperator sic respondit: O rabida furoris audacia; sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Hæc clara sunt & conspicua, nec expositione indigentia.

Constantinus Imperator.

Augustin.

S. Optatus.

122. Neque

122. Neque enim mutilus est hic S. Optati locus, nec librariorum incuriâ corruptus, ut Sirmondus & Valesius obiiciunt, sed nec ex eo, quod laudata Imperatoris exclamatio inveniatur in rescripto ad Patres post Arelatense Concilium, sequitur errare S. Milevitanum Episcopum, cum quod Constantinus ad Donatistarum appellationem ab Arelatensi Concilio scriptis mandaverit, etiam exclamare potuerit ad appellationem à Romana sub Melchiade Synodo. Quid enim vetat, Donatistis apud Constantinum aliud post Melchiadis judicium expostulantibus respondisse, *ô rabida furoris audacia &c.* Uti in terminis testatur S. Optatus Milevitanus Episcopus; & postmodum iisdem Donatistis ab Arelatensi Concilio appellantibus Imperatorem scripsisse ad Patres Arelatenses: *O rabida furoris audacia, sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Profectò libentiùs admitterem, ex antiquitatis monumentis, ad duplicem Donatistarum appellationem Imperatorem bis eandem responsionem dedisse diversis temporibus, quam sine antiquitatis testimonio reiicerem sanctorum Patrum scripta, & tam liberè dicerem: *erravit Optatus.* Enimverò, quod argumentum desumitur ex Augustino, ac si plerisque in locis murmurasse & accusasse scribat, appellasse non meminiscat, præterquam quod negativum sit, etiam erroneum & nullum est. Neque alio indigemus ad hoc probandum Augustini testimonio, quàm per Sirmondum superiùs allato ex epistolâ 162. *Alios apud Arelatum judices Episcopos dedit, à quibus tamen illi ad ipsum rursum Imperatorem provocare maluerunt.* Si *rursum*, ergo prius quoque ad Imperatorem provocaverant Donatistæ. Quod si hoc testimonium Augustini non sufficiat, en aliud Augustini ex Psalmo contrà partem Donati: *Donatus cum volebat Aphricam totam obtinere, tunc judices transmarinos petiit ab Imperatore. Sed hæc tam iniusta petitio non erat de charitate. Hoc ipsa veritas clamat, quam volo modò referre. Nam consensit Imperator, misit, qui sederent Romæ, Sacerdotes, qui tunc possent Cæcilianum cum illo audire. Dicta causa est, nihil probatum est, ausus est & appellare, & post collegarum Sedem audire ab Imperatore. Hic petitio illa probatur non esse de charitate, deinde ubique victus cœpit rebaptizare.* Hic jam habes in terminis, Augustinum testari, appellasse Donatum à sententiâ Romani Concilij, & aliud desiderari non posse expressius.

Constantinus Imperator.

Augustin.

123. Et hucusque quidem de Donatistarum appellatione, quæ utrùm revera facta fuerit nec ne, parum interest, cum conveniat inter omnes, Donatistarum de retractatorio judicio expostulationem fuisse omninò injustam, & secundum judicium planè indebitum, & extrà

juris ordinem concessum. Notanda sunt hæc verba Imperatoris Constantini epistolâ ad Chrestum: *Nonnulli ut ferè fit, & propriæ salutis, & venerationis, quæ sanctissimæ fidei debetur, obliti privatas adhuc simultates prorogare non cessant, prolatæ iam sententiæ acquiescere nolentes.* & infrà: *Hæc quæ post depromptum judicium voluntariâ assensione iam finita esse debuerant.* *Quia* (inquit Parisiensium Archiepiscopus de Marca libro 4. cap. 18. §. 2.) *alienum putabat Constantinus à disciplinâ, res ab Episcopo Romano iudicatas resuscitare.* Constantino se adjungit Optatus Milevitanus, qui in libro 1. adversus Parmenianum Donatistarum præcipuum urget hanc ad appellationem Donati datam responsionem: *O rabida furoris audacia! sicut in causis gentium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Rationem ibidem apud S. Optatum, inquit Christianus Lupus parte 4. ad Can. 18. dictatus Gregorij 7. dant magnæ auctoritatis Episcopi Eunomius ac Olimpius: *Sententia decem & novem Episcoporum iam dudum data dissolvi non potest:* & ad Optati verba scribit Gabriël Albaspineus Aurelianensis Episcopus: „ Noluit dicere à Melchiade, sed ab Episcopis appel„ landum duxit, ne auctoritatem summi Pontificis læderet. Cæte„ rum non est, quod hæretici ab hac Historiâ quidquam in eandem „ summi Pontificis desumant. „ Addit Albaspineus, non retractatum fuisse Melchiadis judicium in Synodo Arelatensi & testatur se sentire cum Perronio. At quidquid sit de hoc ultimo, certum est, judicium Synodi Arelatensis extrà juris ordinem fuisse concessum. *Dedit ille* (nimirum Imperator Constantinus inquit magnus Augustinus epistolâ 162.) *Arelatense Concilium, aliorum scilicet Episcoporum, non quia iam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omnimodò cupiens tantam impudentiam cohibere.* Tantum crimen existimabat Donatistarum de judicio Romano murmur & appellationem sanctus Augustinus, ut eorum accusationem perversitatem appellet, impudentiam exclamet, nec futurum Concilium minimè necessarium aut decenter Datum. Neque obest, D. Augustinum epistolâ 162. Donatistis obiicientibus judicum Romanorum injustitiam reposuisse: *quasi haberent, quod dicerent malos iudices se esse perpessos, quæ vox est omnium malorum litigatorum, cum fuerint etiam manifestissimâ veritate superati; quasi non eis ad hoc dici posset & iustissimè dici: ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ iudicarunt, non bonos iudices fuisse, restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, ut si malè iudicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur.* Enimverò non intendit hic D. Augustinus, licitum fuisse, Donatistis appellare ad aliud Concilium, sed arguit Donatistarum

Constantinus. De Marca. S. Optatus. Gabriel Albaspin. Augustin. Augustin.

rum

rum impudentiam, quâ ad Imperatorem provocaverant, arguit Donatistas, quod *non apud alios collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sint, quod malè iudicarint.* Pergit verò ibidem; Imperatorem ausum non fuisse assumere judicium: *Neque enim ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, ut de iudicio Episcoporum, qui Romæ sederant, ipse iudicaret, sed alios, ut dixi, Episcopos dedit.* Notanda sunt hæc verba Augustini: *alios, ut dixi, Episcopos dedit*, nimirum, Arelatenses, de quibus procedunt dicta superius: *Restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari.* Quibus Parisiensis Archiepiscopus de Marca libro 4. cap. 17. existimat rem gestam describi, id est factum jam Arelatense Concilium, in quo cum ipsis judicibus causa agitata fuit, neque enim „ rejecti sunt judices (inquit „ de Marca §. 2.) qui sententiam Romæ tulerant, ut fit in judicijs „ appellationum, sed quemadmodum fieri solet in judicijs supplica„ tionum, ipsi cum alijs denuò cognitionem susceperunt. „ Rationem ulterius dat Lupus ad Canonem 18. dictatus Gregorij 7. „ Appellatio „ non demutat Pontificem in reum aut accusatorem, sed omninò re„ linquit judicem, & quidem qui appellatam Synodum debet gratio„ sè concedere, ipsi præsidere, referre appellatam causam, de ipsa di„ cere cum prærogativâ suffragium, & omnia acta probare & confir„ mare ita factum fuit Arelate. „ Multa habet Lupus, quæ maiorem illustrationem expostulant: eorum aliqua exponemus, & hoc quidem, Silvestrum Papam ab hac Arelatensi Synodo non fuisse exclusum, sed illum ipsam gratiosè indulsisse, in qua, sicut Melchiades in Romanâ, primas partes teneret.

De Marca.

Lupus.

124. Silvestrum Papam ab hoc Arelatensi judicio non fuisse exclusum, sed ut judicem vocatum, præter citata D. Augustini testimonia exhibet illud ex epistolâ 165. de litteris Constantini desumptum: *Itemque alias litteras, ubi declarat memoratus Imperator, eos apud se de collegarum suorum iudicio, id est Episcoporum, quos ad urbem Romam miserat, fuisse conquestos: ubi etiam alios Episcopos voluit apud Arelatem iudicare.* Ad quæ verba, Sirmondus in notis posthumis ad Concilium Arelatense tom. 1. per Labbeum publicatis, sic addit: „ Ad judicium Arelatense convocari oportuit primum partes ipsas, quæ dissidebant, tum futuros judices Episcopos. Par„ tes igitur, hoc est Cæcilianum & ejus æmulos Donatistas, ex Africâ „ venire jussit hac epistolâ. Iudices Episcopos ex Italiâ, Galliâ, Hispa„ niâ, Britanniâ alijs litteris evocavit, quarum specimen est in se„ quenti epistolâ ad Chrestum Syracusanum. „ Ubi manifestum est

Augustin.

Sirmondus

teste Sirmondo, omnes ex Italia, inter quos & S. Silvester, fuisse evocatos ut futuros judices in Arelatensi Concilio, idque patere ex Constantini epistolâ ad Chrestum, quæ ad alios Episcopos paucis mutatis, ut notat Sirmondus, missa est, & sic habet ex versione Valesij: *Intrà eumdem diem ad prædictum locum occurras; quod tum per tuam gravitatem, tum per cæterorum in unum coëuntium unanimem concordemque solertiam controversia hæc, quæ per fœdissimam altercationem ad hoc usque temporis perduravit, auditis omnibus eorum, qui nunc inter se dissident, quos etiam inter se dissidentes adesse jussimus, allegationibus, ad congruam religionis & fidei observantiam fraternamque concordiam tandem aliquando posset revocari.* Ubi lucet, Constantinum ad renovatorium utriusque partis judicium convocasse cæteros Episcopos ut judices: & inter illos quoque fuisse S. Silvestrum, manifestiori testimonio firmari non potest, quàm ex subscriptionibus Patrum Arelatensis Concilij, inter quos reperiuntur: *Claudianus & Vitus Presbyteri, Eugenius & Syriacus Diacones, ex urbe Româ missi à Sylvestro Episcopo.* Quæ perhibent, non solùm S. Silvestrum ut futurum judicem à Constantino invitatum fuisse, sed & eumdem Pontificem pro sopiendo Donatistarum schismate facti quæstionem de Cæciliani commisso crimine à Melchiade judicatam gratiosè retractari permisisse, & ideò tanquam judices legatos suos Româ Arelatem misisse, qui & numero quatuor Concilio interfuêre & subscripsêre, quod & ipse tanquam judex supremus fecisset, si eidem interfuisset: hoc enim luce clarius testantur Patres in litteris Synodicis post judicium ad S. Silvestrum Papam transmissis: *Vtinam (inquit) frater dilectissime ad hoc tantum spectaculum interesse tanti fecisses, profectò credimus, quia in eos severior fuisset sententia prolata; & te pariter nobiscum judicante, cœtus noster maiore lætitiâ exultasset.*

Constantinus Imper.

Acta Synodi Arelat.

Patres Synodi Arelat.

§. II.

De numero Episcoporum Arelatensium.

125. *Ostenditur contrà Launoium hanc Synodum non esse plenariam universæ Ecclesiæ, sed Patriarchalem dumtaxat Occidentis.*

126. *De numero Episcoporum mens Henrici Valesij refellitur ob vim Augustini loco illatam, & numerum 200. Episcoporum in 20. erroneè mutatum.*

127. *Mens Iacobi Sirmondi, qui Augustini testimonium de 200. Episcopis interruptum admittit, tamen cum contrà Augustinum sentiat pro Catalogo subscriptionum, ex Augustino reuincitur.*

128. Plures

118. *Plures enim quam 33. Episcopos à catalogo exhibitos adfuisse, statuitur ex testimonio Constantini Imperatoris, quod ex infinitis locis Episcopos evocatos exhibet, & catalogum mutilum esse certò certius exponit, ut meritò Sirmondus alibi ex Augustino numerosissimum hoc Concilium tradiderit.*

129. *Quotnam tamen adfuerint Episcopi? cum ex solo Augustini testimonio de 200. constet, illud retinendum cum communi peritorum.*

125. JOannes Launoius Parisiensis Theologus indagaturus, quodnam sit Concilium Plenarium, de quo locutus est Augustinus in materiâ rebaptizationis hæreticorum, libellis de Plenario Concilio editis tuetur, fuisse Arelatense primum; unde in dissertatione capite 4. ait, Conciliorum Collectores „ graviter errasse, cum hoc Concilium „ Provinciale inscripserunt. Quod enim Concilium Augustinus in „ causâ Donatistarum plenarium Ecclesiæ universæ Concilium appel„ lavit, Provinciale meritò quis appellet? „ Plenarium universæ Ecclesiæ concilium voluit Launoius: sed statim sese opposuit D. cognomento David libro contrà dissertationem Joannis Launoij edito, cui & consonat D. Bail Doctor Parisiensis tomo 2. Conciliorum, in controversiâ de Arelatensi, ubi testimonijs Launoij, quæ desumpsit ex Augustino Concilium plenarium universæ Ecclesiæ urgente, & ex Arelatensi 2. de Concilio ex omnibus mundi partibus convocato testante, reponit: „ Abducere me non poterunt ab antiquâ & com„ muni sententiâ, quæ Niceno contrà Arium Concilio primi Con„ cilij universalis post tempora Apostolorum gloriam refert. „ Addit indictionem non fuisse generalem, licet ex varijs Orbis, nimirum Occidentalis, partibus Episcopi advenerint. Verùm hoc ipsum non negavit Launoius, qui & Synodum hanc asserit non auxisse numerum generalium: si Patriarchale Occidentis prætenderit, veritatem attegit.

Launoius.

Dom. David.

D. Bail.

126. De numero autem Episcoporum, qui huic Synodo interfuerunt „ non levis dissensio est (inquit Henricus Valesius dissertatione de schismate Donatistarum ad calcem Eusebij:) „ in epistolâ quidem „ Synodicâ tres ac triginta dumtaxat nominantur, cum tamen in sub„ scriptionibus 4. suprà 40. numerari videamus, cujus discriminis hæc „ probabilis ratio afferri potest, quod in Synodicâ quidem ii tantum „ commemorentur Episcopi, qui Concilio interfuerunt, in subscrip„ tionibus verò etiam Presbyterorum nomina referuntur, qui ob E„ piscopis ob certas causas missi fuerunt ad Synodum. Quod autem „ Baronius 200. Antistites huic Concilio interfuisse scribit ex libro

Valesius.

„ primo Augustini adversus Parmenianum capite 5. in eo manifestè
„ hallucinatur. Neque enim de Arelatensi Concilio ibi loquitur Au-
„ gustinus, sed de Concilio Romano, cui non 200. sed 19. tantum
„ Episcopi interfuerunt, ut inter omnes constat. Quare apud Augu-
„ stinum pro 200. scribendum est 20. „ Hæc Valesius, qui dum alios hallucinari scribit, se ipsum deviare ostendit, ac D. Augustino sine ullo fundamento errorem adscribit de 20. Episcopis Synodi Romanæ, cui, ipso teste, 19. tantum interfuere.

127. Oculatior in mente Augustini Jacobus Sirmondus, qui Augustini testimonium de 200. Episcopis intelligendum admittit, & suam sententiam aliundè hausit: „ In libris antiquis (inquit tomo 1. Conciliorum Labbei) „ quibus usi sumus non paucis, nusquam plures le-
„ guntur, quam hic à nobis repræsentati sunt in universum 85. Epis-
„ copi nimirum 33. Presbyteri 16. Diaconi 26. Lectores 2. Exorci-
„ stæ 5. in quibus ordinem & formam optimi antiquissimique Codi-
„ cis Corbeiensis, in quo Episcoporum nomina Provinciarum & ci-
„ vitatum nominibus præponuntur; cum in alijs sicut in Surianâ edi-
„ tione postponantur. „ Verùm hæc Sirmondi Episcoporum computatio sibi non constat, tum ex alijs, tum præcipuè ex iis, quæ annotat ad Canonem 8. de Afris rebaptizantibus, quem tanquam Concilij plenarij Augustinus opponebat Donatistis: „ Cypriani Synodo,
„ cujus illi auctoritate se rebaptizare jactitabant, anteponendam do-
„ cet Augustin. libro 2. de Baptismo contrà Donatistas capite 9. „ Ubi post laudatam plenarij Concilij auctoritatem: „ *Quapropter illud*
„ *unum considerent, quod omnibus patet. Si auctoritas Cypriani sequenda est,*
„ *magis eam sequendam in unitate servandâ, quam in Ecclesiæ consuetudine*
„ *commutandâ. Si autem Concilium eius attenditur, huic est universæ Ecclesiæ*
„ *posterius Concilium præponendum. Nam & Concilia posteriora prioribus*
„ *apud posteros præponuntur, & universum partibus semper jure optimo præpo-*
„ *nitur.* Concilium Arelatense quod Transmarinum, & universale
„ jam dixerat, hic rursum plenarium & universæ Ecclesiæ Concilium
„ vocat, quia ex universâ Occidentis Ecclesiâ eo convenerant, ut
„ dictum est. „ Hæc Sirmondus, ex quibus sic arguitur: teste Sirmondo D. Augustinus opponit Concilium Arelatense primum sub Silvestro, Concilio Carthaginensi sub Cypriano, tanquam universæ Ecclesiæ minori Provinciali, & universum seu totum suæ parti; sed Synodus Cypriani fuit 83. Episcoporum ex omni Africâ, ergò juxtà mentem Augustini Synodus Arelatensis non solum habuit 33. Episcopos

Sirmondus

Sirmondus

Augustin.

copos, ut putat Sirmondus, sed plures 83. ut tanquam universum & numerosius Synodo Africanæ prævaleat. Idem fortius urgeri potest ex alijs locis Augustini, ubi numerum Africanorum Præsulum longè minorem exhibet, quam aliorum, qui in Synodo plenariâ (juxtà Sirmondum Arelatensi primâ) contrà Cyprianum statuerunt.

128. Plures itaque adfuerunt Episcopi, quam 33. à catalogo subscriptionum exhibiti, quem vitiosum & mancum esse, nimis certum existimo. Numerum Episcoporum ad hanc Synodum convocatorum fuisse ingentem, testis est ipse Constantinus Imperator epistolâ ad Chrestum Syracusanorum Episcopum, quæ ex versione Valesij suprà: *Quoniam igitur plurimos ex diversis ac propè infinitis locis Episcopos in urbem Arelatensem intrà calendas Augusti jussimus convenire, tibi quoque scribendum esse censuimus, ut accepto publico vehiculo à viro clarissimo Latroniano correctore Siciliæ, adiunctis tibi duobus secundi ordinis, quos tu eligendos putaveris, tribus item servulis, qui in itinere vobis ministrare possint, intrà eumdem diem ad prædictum locum occurras.* ex *infinitis prope locis Episcopos*, inquit Constantinus, quæ certe 33. numero quadrare non possunt: additque duos secundi ordinis, nimirum Diaconos, adjungere debuisse: & reverà Chrestum ita observasse, lucet ex subscriptionibus: *Chrestus Episcopus, Florus Diaconus ex Civitate Syracusanorum, Provincia Sicilia.* Unum Diaconum citat catalogus Episcoporum, at mutilum esse vel exinde patet, quod Constantinus duos secundi ordinis, vel Diaconos advenire præcepit, quod Chrestum Syracusanorum Episcopum fecisse, vix dubito. Ex iis autem patet ulterius, non omnes Diaconos in catalogo citatos adimplesse vices Episcoporum, quod facit ad infirmandum eorum fundamentum, qui numerum Episcoporum ex catalogo subscriptionum hauriendum putant, & eorum defectum ex legatis Diaconis desumunt, cum Diaconi omnes non tenuerint vices suorum Episcoporum, & 33. Episcopi non quadrent testimonio Constantini, qui ex correctissimâ Valesij interpretatione, ex infinitis propè locis se Episcopos evocasse affirmat: cui consonat, quod habet Sirmondus id notis posthumis nunc primum à Labbeo editis: „ Concilium hoc „ S. Augustinus libro 2. de Baptismo contrà Donatistas, ejus auctoritate, tacito licet nomine, illos impugnans, plenarium, universale, atque universæ Ecclesiæ Concilium vocat: quod eo nimirum non ex „ Gallicanis modò, verum etiam ex universis propemodum Italiæ, „ Africæ, Hispaniæ, Britanniæ, totiusque Occidentis Provincijs, Episcopi convenerint: totum Orbem sicut universam Ecclesiam dicere,

Constabilinus Imper.

Subscriptiones act.

Sirmondus

„ cere, quæ toto Occidente pateret, tum Augustino, tum alijs olim „ sacris Scriptoribus, mos fuit. Quare de hac ista Synodo agens Con- „ cilium 2. Arelatense Can.18. sic loquitur: *Ad Arelatensis Episcopi arbitrium* „ *Synodus congreganda: ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, sub S. Marini* „ *tempore legimus, celebratum fuisse Concilium atque conventum.*„ Hæc omnia Sirmondus quæ quoad numerum Episcoporum longè fusiora sonant, quàm ante ex ipso vidimus. Quidquid sit, & Constantinus ex infinitis propè locis Episcopos à se convocatos exhibuit, & Concilium Arelatense secundum ex omnibus mundi partibus adfuisse testatur, quod, ut rectè animadvertit Sirmondus, ad partes mundi Occidentalis venit restringendum.

Concil. Arelatense 2

129. Quotnam verò præcisè Episcopi huic Synodo ex cunctis Occidentis Provincijs adfuerint, cum illi, qui 600. enumerant, & recentiores sint, & rem incredibilem proponant, ut ait Sirmondus, adhærendum est uni Augustino, qui & sæculo Arelatense Concilium subsequenti floruit, & unicum nobis testimonium reliquit de numero Episcoporum Arelatensium, fatente Jacobo Sirmondo in notis posthumis: „ S. Augustinus ducentos numerat libro 1. contrà epistolam „ Parmeniani capite 5. *usque adeò* (inquit) *dementes sunt homines. ut du-* „ *centos judices, apud quos victi sunt, victis litigatoribus credant esse postponen-* „ *dos.* Nam de Synodi Arelatensis judicio, quod Romano successit, „ illic agi, assentior Cardinali Baronio. „ Idem sensit Severinus Binnius in notis ad hoc Concilium tam collectioni Regiæ, quàm Labbeianæ insertis: „ Ad petitionem igitur Imperatoris Constantini Arelatæ comparuerunt Episcopi, non ut scribit Ado in Chronico 600. „ sed ducenti dumtaxat illi, quos magnâ ex parte subscriptos habes.„ Idem cum communi propugnat Ferdinandus Mendoza in aureo illo opere de confirmando Concilio Illiberitano libro 1. capite 2. ubi ostensurus Osium Cordubensem Episcopum longè ante Nicenum Concilium à Civitate suâ abfuisse, & Constantini Imperatoris familiarem extitisse, tempus illius discessionis ab Hispaniæ partibus inquirit, recurritque ad causam Donatistarum, ob quam inquit Mendoza, Constantinus „ Concilium congregari curavit in Civitate Arelatensi, „ ad quam ducentos & eo amplius Episcopos Hispanos, Gallos, & „ Italos confluxisse cum Episcopis Africanis, qui partes Donati, & „ Cæciliani sequebantur, & quos adesse Concilio Imperator Constantinus præceperat ex Augustino repeto, libro 1. contrà epistolam Par- „ meniani capite 4. & eam aliquandò putaram fuisse causam absentiæ

Sirmondus

Augustin.

Binnius.

Ferd. Mendoza.

Osij

„ Osij ab Hispaniâ & Cordubensi Episcopatu : accersitum enim eum „ à Constantino magno ad causam Cæciliani discutiendam definiendamque cum reliquis Episcopis Gallis, Italis, & Africanis, erat verisimile : nisi ante causæ hujus exordia Osium cum Imperatore fuisse ex Nicephoro comperissem, ut mox ostendam. „ Hucusque Mendoza.

§. III.

De præsidentiâ Synodi Arelatensis.

130. *Sententia illorum, qui putant Silvestrum Papam à præsidentia exclusum, & Marinum Arelatensem præsidem constitutum ob ipsius nomen initio epistolæ Synodicæ repertum, unde & Calvinus in Pontificem invehitur.*

131. *Ineptiæ Calvini refelluntur ex Bailio, & cum Lupo ac Binnio firmatur, Silvestrum fuisse in Concilio Arelatensi præsidem reiecto aliorum fundamento ex Marini præ omnibus in litteris Synodicis nominatione desumpto.*

132. *Deindè etiamsi Marinus ponatur præsedisse, ex eo non haberi à præsidentia exclusum S. Silvestrum, cum certum sit Arelatenses Patres iura Apostolicæ Sedis Veneratos fuisse, & ius tam Pontificium quam Patriarchale præsidentiam Romani Episcopi expostulent, ut si Marinus præsederit, id vi legationis Pontificiæ obtinere debuerit.*

133. *Firmatur id ipsum ex antiqua Sedis Apostolicæ consuetudine, quâ Episcopis Arelatensibus committebatur potestas Vicaria per Gallias, quam primò datam à Zozimo Papâ existimat de Marca.*

134. *Opinio de Marca ex eo procedit, quod non habeamus ante Zozimum aliorum Pontificum epistolas, quod tamen ante Zozimum hic mos obtinuerit, præclarè deducitur ex Canone 18. Synodi Arelatensis secundæ, ex quo & pro Marini tanquam Sedis Apostolicæ per Gallias Vicarij præsidentiâ argumentum desumitur.*

130. Epistola Synodica Arelatensis Concilij habet hanc præfixam inscriptionem : *dilectissimo Papæ Silvestro Marinus, Agrecius, &c.* & Breviarium epistolæ, quod continet vulgatam Canonum Arelatensium editionem : *Domino sanctissimo Fratri Silvestro Marinus, vel cœtus Episcoporum, qui adunati fuerunt in oppido Arelatensi.* Fuit autem hic Marinus Arelatensis Episcopus, ut non solum patet ex Optato Milevitano, sed etiam testatum est Concilium Arelatense 2. Canone 18. ubi sic

Epistola Synodica Arelat.

Breviariū epist.

„ cere, quæ toto Occidente pateret, tum Augustino, tum alijs olim „ sacris Scriptoribus, mos fuit. Quare de hac ista Synodo agens Con- „ cilium 2. Arelatense Can.18. sic loquitur: *Ad Arelatensis Episcopi arbutrium* „ *Synodus congreganda: ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, sub S. Marini* „ *tempore legimus, celebratum fuisse Concilium atque conventum.*„ Hæc omnia Sirmondus quæ quoad numerum Episcoporum longè fusiora sonant, quàm ante ex ipso vidimus. Quidquid sit, & Constantinus ex infinitis propè locis Episcopos à se convocatos exhibuit, & Concilium Arelatense secundum ex omnibus mundi partibus adfuisse testatur, quod, ut rectè animadvertit Sirmondus, ad partes mundi Occidentalis venit restringendum.

Concil. Arelatense 2

129. Quotnam verò præcisè Episcopi huic Synodo ex cunctis Occidentis Provincijs adfuerint, cum illi, qui 600. enumerant, & recentiores sint, & rem incredibilem proponant, ut ait Sirmondus, adhærendum est uni Augustino, qui & sæculo Arelatense Concilium subsequenti floruit, & unicum nobis testimonium reliquit de numero Episcoporum Arelatensium, fatente Jacobo Sirmondo in notis posthumis: „ S. Augustinus ducentos numerat libro 1. contrà epistolam „ Parmeniani capite 5. *usque adeò* (inquit) *dementes sunt homines, ut du-* „ *centos judices, apud quos victi sunt, victis litigatoribus credant esse postponen-* „ *dos.* Nam de Synodi Arelatensis judicio, quod Romano successit, „ illic agi, assentior Cardinali Baronio. „ Idem sensit Severinus Binnius in notis ad hoc Concilium tam collectioni Regiæ, quàm Labbeianæ insertis: „ Ad petitionem igitur Imperatoris Constantini Arela- „ tæ comparuerunt Episcopi, non ut scribit Ado in Chronico 600. „ sed ducenti dumtaxat illi, quos magnâ ex parte subscriptos habes.„ Idem cum communi propugnat Ferdinandus Mendoza in aureo illo opere de confirmando Concilio Illiberitano libro 1. capite 2. ubi ostensurus Osium Cordubensem Episcopum longè ante Nicenum Concilium à Civitate suâ abfuisse, & Constantini Imperatoris familiarem extitisse, tempus illius discessionis ab Hispaniæ partibus inquirit, recurritque ad causam Donatistarum, ob quam inquit Mendoza, Constantinus „ Concilium congregari curavit in Civitate Arelatensi, „ ad quam ducentos & eo amplius Episcopos Hispanos, Gallos, & „ Italos confluxisse cum Episcopis Africanis, qui partes Donati, & „ Cæciliani sequebantur, & quos adesse Concilio Imperator Constan- „ tinus præceperat ex Augustino repeto, libro 1. contrà epistolam Par- „ meniani capite 4. & eam aliquandò putaram fuisse causam absentiæ

Sirmondus

Augustin.

Binnius.

Ferd. Mendoza.

Osij

„ Osij ab Hispaniâ & Cordubensi Episcopatu : accersitum enim eum „ à Constantino magno ad causam Cæciliani discutiendam definien- „ damque cum reliquis Episcopis Gallis, Italis, & Africanis, erat ve- „ risimile : nisi ante causæ hujus exordia Osium cum Imperatore fuis- „ se ex Nicephoro comperissem, ut mox ostendam. „ Hucusque Men- doza.

§. III.

De præsidentiâ Synodi Arelatensis.

130. *Sententia illorum, qui putant Silvestrum Papam à præsidentia exclusum, & Marinum Arelatensem præsidem constitutum ob ipsius nomen initio epistolæ Synodicæ repertum, unde & Calvinus in Pontificem invehitur.*

131. *Ineptiæ Calvini refelluntur ex Bailio, & cum Lupo ac Binnio firmatur, Silvestrum fuisse in Concilio Arelatensi præsidem reiecto aliorum fundamento ex Marini præ omnibus in litteris Synodicis nominatione desumpto.*

132. *Deindè etiamsi Marinus ponatur præsedisse, ex eo non haberi à præsidentia exclusum S. Silvestrum, cum certum sit Arelatenses Patres iura Apostolicæ Sedis Veneratos fuisse, & ius tam Pontificium quam Patriarchale præsidentiam Romani Episcopi expostulent, ut si Marinus præsederit, id vi legationis Pontificiæ obtinere debuerit.*

133. *Firmatur id ipsum ex antiqua Sedis Apostolicæ consuetudine, quâ Episcopis Arelatensibus committebatur potestas Vicaria per Gallias, quam primò datam à Zozimo Papâ existimat de Marca.*

134. *Opinio de Marca ex eo procedit, quod non habeamus ante Zozimum aliorum Pontificum epistolas, quod tamen ante Zozimum hic mos obtinuerit, præclarè deducitur ex Canone 18. Synodi Arelatensis secundæ, ex quo & pro Marini tanquam Sedis Apostolicæ per Gallias Vicarij præsidentiâ argumentum desumitur.*

130. Epistola Synodica Arelatensis Concilij habet hanc præfixam inscriptionem : *dilectissimo Papæ Silvestro Marinus, Agrecius, &c.* & Breviarium epistolæ, quod continet vulgatam Canonum Arelatensium editionem : *Domino sanctissimo Fratri Silvestro Marinus, vel cœtus Episcoporum, qui adunati fuerunt in oppido Arelatensi.* Fuit autem hic Marinus Arelatensis Episcopus, ut non solum patet ex Optato Milevitano, sed etiam testatum est Concilium Arelatense 2. Canone 18. ubi

Epistola Synodica Arelat.

Breviariũ epist.

Concil. Arelat. 2. sic loquitur : *Ad Arelatensis Episcopi arbitrium Synodus congreganda : ad quam urbem ex omnibus mundi partibus sub S. Marini tempore legimus, celebratum fuisse Concilium atque conventum.* Ex quibus Marini tanquam locum primum tenentis citationibus complures sibi persuaserunt, ipsum fuisse Concilij Præsidem : sic Franciscus Rothomagensis Episcopus libro 2, de rebus Ecclesiæ, capite 9. ait de Marino : „ præfuit nimirum Arelatensi, qui Romano Concilio cum collegis Episcopis Constantini „ delectu interfuit. „ Consonat Ferdinandus Mendoza libro 1. de confirmando Illiberitano Concilio capite 2. „ In eâ (nimirum Arelatensi Synodo) minimè præsedisse Silvestrum, ut quidem volunt, „ ex principio ipsius Concilij apparet, in quo, summam totius Marinum Episcopum Arelatensem, & reliquos Episcopos in eo coactos „ ad Silvestrum Papam misisse, refertur : quod ex vetusto etiam codice profert Papirius Massonus, idque nos latius in commentarijs illius Concilij sumus comprobaturi. „ Habent id plures Catholici Scriptores, & eo tanquam argumento usus est Calvinus, qui apud Bail tomo 2. Conciliorum, causam Donati in Romano Melchiadis Concilio supponit decisam, & pergit : „ Vincit illic Cæcilianus, Donatus à casis nigris cadit actione calumniosâ. provocat. Constantinus appellationis judicium demandat Episcopo Arelatensi. Sedet „ ille judex, ut post Romanum Pontificem, quod visum fuit, pronunciet. Si Romana Sedes summum habet judicium sine provocatione, „ cur sibi tam insignem calumniam irrogari permittit Melchiades, ut „ sibi Episcopus Arelatensis præferatur, & quis Imperator hoc facit? „ Constantinus scilicet, quem jactant omne studium, ac omnes „ ferè Imperij opes contulisse ad amplificandam sedi suæ dignitatem. „

(Margin: Franciscus Rothomagensis Ep. — Ferd. Mendoza. — Calvinus.)

131. Qui Donatum à judicio Melchiadis appellasse fatentur, uti nos cum communi suprà, respondemus juxtà superius dicta cum Domino Bail : non ex rigore juris concessum fuisse Donatistis judicium Arelatense aliud à Romano sub Melchiade, à quo de jure appellari non poterat, sed id concessum fuisse solum ex indulgentiâ. Nec propter Cæcilianum motam quæstionem fuisse juris aut fidei, sed facti ; an rectè scilicet in thronum Carthaginensis Ecclesiæ ascendisset, nec Synodum hanc Arelatensem citrà consensum summi Pontificis celebratam fuisse, nec illam Synodum sibi ullam potestatem arrogasse suprà Pontificiam, quasi ejus decreta invito Pontifice Romano vel reformare vel immutare potuisset. Hæc Doctor

ille

ille Parisiensis, cujus nos quidem rationes admittimus, alij verò eo fortius, quod non pro re appellatâ, sed contentiosâ Donatistarum querelâ hoc judicium indulgenter concessum sustineant. Neque verum est, Silvestrum fuisse à præsidentia exclusum, nam ut Christianus Lupus suprà: ei præsedit. Cui præter complures alios adstipulatur Binnius in notis docens ex Patrum Arelatensium numero: „Claudius & Vitus Presbyteri, Eugenius & Cyriacus Diaconi, nomine „Pontificis Silvestri legationis munere fungentes, interfuerunt, & „Concilio præsederunt.„ Neque contraria argumenta ullius momenti sunt: Nam ex eo, quod Marinus in litteris Synodicis primus nominetur, deduci nequit, habuisse præsidentiam, cum & legati Pontificis non soleant in litteris relationem actorum continentibus, & ad Romanum Pontificem post Synodum missis, nominari, indeque mirum non est, quod Marinus primò nominetur: similiter responderi potest ad initium actorum, quod bræviculum est Synodicæ relationis: Ex quibus lucet debile esse fundamentum, ex nomine Marini præ aliis posito concludi illius in Synodo præsidentiam cum exclusione legatorum.

Binnius.

132. Verùm ponamus, Marinum præsedisse huic Concilio, adhuc negari potest, exclusum fuisse à præsidentia S. Silvestrum. Enimverò de Patribus Arelatensis Concilij certum est, nihil minuisse de auctoritate Romani Pontificis, cui, ut ante fusius probavimus, judicium causæ competere senserunt: *utinam frater dilectissime ad hoc tantum spectaculum interesse tanti fecisses, profectò credimus, quia in eos severior fuisset sententia prolata, & te pariter nobiscum judicante, cœtus noster maiore lætitiâ exultasset.* Quod si tantam præsentiæ Pontificiæ auctoritatem adjudicabant Arelatensis Concilij Patres, ut ab ejus suffragio judicarint severioris sententiæ judicium, & totius Concilj majorem lætitiam pependisse, signum manifestum est, jus Pontificium custodisse integrum, & in sententiâ quoque Synodali fuisse veneratos: atqui certum est ipso jure Silvestri legatis competiisse præsidentiam, tum quod in retractatorio Pontificis judicio jus ipsum Pontificium id expostulet, tum quod in Concilio Patriarchali Occidentis, quale hoc Arelatense Concilium fuit, id ei competat speciali jure Patriarchatus Occidentis, igitur cum legati Silvestri Pontificis ibidem interfuerint Româ missi numero quatuor, vel absolutè dicendum est, hos præsedisse, vel si velis Marinum præsidem fuisse, hunc quoque cum aliis quatuor Claudiano & Vito presbyteris, & Eugenio ac Syriaco Diaconis vicem Silvestri

Patres Arelatenses.

Papæ in Synodo obtinuisse. Et hoc si animadvertisset Calvinus non obiecisset authoritati Pontificiæ, quæ obiecit, & si Doctores Catholici animadvertissent, facilius à difficultate propositâ sese extricassent.

133. Licet autem Synodi Arelatensis ergà Pontificis authoritatem reverentia, & jus Pontificium præsidendi tam ratione ipsius Pontificatus, quam authoritatis Patriarchalis abundè demonstrent, Silvestrum, qui per legatos Concilio huic interfuit, per legatos quoque aut vicem gerentes præsedisse, sicque si Marinus præsederit, & ipsum quoque legatum aut vicem gerentem esse debuisse Silvestri: ulterius tamen id confirmo ex antiqua Ecclesiæ Gallicanæ consuetudine, quâ habemus Episcopos Arelatenses vicem Romanorum Pontificum etiam tempore Silvestri obtinuisse in Gallijs. Rationem cur civitatis Arelatensis præ aliarum Episcopus emineat, attingit Zozimus Papa epistolâ 5. ad Episcopos Galliæ: *Quoniam Metropolitanæ Arelatensium urbi vetus privilegium minimè derogandum est, ad quam primum ex hac sede Trophimus summus Antistes, ex cuius fonte tota Galliæ fidei rivulos acceperunt, directus est.* Latius id exponunt Episcopi Provinciæ Arelatensis in libello supplici anno 449. Leoni primo oblato, ubi ostenditur, hanc civitatem non solum fuisse matricem Galliæ in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, ut & Constantinus eam nomine proprio Constantinam vocaverit, unde & factum testantur, Arelatensem civitatem non solum primatum Metropolitanum obtinuisse, sed etiam vicariatum juris Pontificij in universas Gallias: *Cui id etiam honoris dignitatisque collatum est, ut non tantum has Provincias potestate propriâ gubernaret, verum etiam omnes Gallias, sibi Apostolicæ sedis vice mandata, sub omni Ecclesiasticâ regulâ contineret.* Illam Vicariam potestatem possumus colligere post Zozimum Papam, ex pluribus Romanorum Pontificum usque ad Gregorium primum litteris & testimoniis, quod ingenuè fatetur Parisiensium Archiepiscopus de Marca dissertatione ad Concilium Claromontanum tomo 10. Conciliorum à Philippo Labbeo insertâ, in quâ numero 49. „Romani Pontifices usu ipso edocti quantum conferret ad auctoritatem firmandam, & disciplinam conservandam in „dissitis longe Provincijs vicis Apostolicæ delegatio, in Gallicanâ „Diœcesi Episcopo Arelatensi quædam mandata dederunt. Itaque „ex Zozimi primum beneficio anno 417. Vicariam potestatem in qui„busdam capitibus accepit: quæ deindè à sequentibus Pontificibus us„que ad Gregorium primum amplificata sunt ducentorum annorum „intervallo.

Zozimus Papa.

Episcopi Provinciæ Arelatensis

De Marca.

134. A Zozimo primo Arelatensi Sedis Apostolicæ per Gallias vices fuisse collatas, scribit de Marca, quod ante Zozimum litteras aliorum non habeamus Pontificum. Antiquum morem esse scribit Gregorius lib. 4. registri, epistolâ 50. ad Virgilium Arelatensem, antiquam consuetudinem epistolâ 52. ad Episcopos Galliarum, ubi addit: necesse esse, ut ad eum, cui vices suas iniunxit, Arelatensem Episcopum debeant convenire evocati Episcopi: an hoc idem ratione Pontificiæ vicis in Gallijs habuerit Marinus Arelatensis Episcopus, quæri potest. Quidquid sit, si non vices ordinarias habuerit, extraordinarias à S. Silvestro obtinuisse nihil vetat, quinimò indicat Concilium Arelatense secundum, quod Canone 18. statuit: *Ad Arelatensis Episcopi arbitrium Synodus congreganda, ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipuè Gallicanis, sub sancti Marini tempore legimus celebratum fuisse Concilium atque conventum.* Si hæc Synodus Arelatensis secunda tempore Silvestri habita fuisset, ut tradunt cum Bailio & Ioverio vetustiores Conciliorum editiones, facilis omninò esset rei susceptæ probatio. At cum Sirmondus rectè adnotet tempora Siricij Papæ præcedere non potuisse, quod Canone 17. Bonosiacorum meminerit, quorum ante Pontificatum Siricij nulla usquam memoria reperitur, dicamus hanc Synodum ante Zozimi Pontificatum sub Siricio coactam, & sic videmus Arelatensi Episcopo ex tunc potestatem competiisse convocandi Synodum ex Gallicanæ Ecclesiæ Provincijs, quod ipsi competere non potuit, nisi ratione vicium Pontificiarum ex tunc ipsi commissarum, ad cujus confirmationem cum adducat primum Arelatense Concilium sub S. Marino tempore Silvestri Papæ coactum, signum est, & tunc Marinum Arelatensem Episcopum vices Pontificias obiisse. Id ipsum confirmat à Lucâ d'Acherio publicata tomo 10. Spicilegij adnotatio de Synodis ex antiquâ collectione ante annos 800. exaratâ in manuscripto codice Remigiano, ubi de Canonibus in Arelatensi Concilio statutis: *Quorum auctores maximè Silvester urbis Romæ Episcopus, & S. Marinus Arelatensis Episcopus.* Quæ nullatenus locum habere possent, nisi S. Silvester aut per legatos Româ missos, aut per Marinum tanquam suum in Gallijs Vicarium Synodo præsedisset.

Concil. Arelat. 2.

Codex M. S. Canonū.

§. IV.

De modo, quo causa Cæciliani in Synodo transacta est, & Patrum Arelatensium ergà S. Silvestrum reverentiâ.

135. *Cæcilianus cum adversarijs adfuere Concilio Arelatensi differenti tamen successu.*
136. *Donatum cum suis adfuisse ut reos, & fuisse damnatos ut accusatores illegitimos, deducitur ex Synodicâ Arelatensis Concilij.*
137. *Cæcilianum verò cum suis adfuisse ut judices, lucet ex subscriptionibus, & Synodicâ, idque in signum Primatus Pontificij.*
138. *Neque hic stitisse Patrum Arelatensium præstitam Sedi Apostolicæ reverentiam, colligitur ex mutilo relationis Synodicæ loco.*
139. *Elogium Cardinalis Perronij, qui locum mutilum restituit probante Francisco Rothomagensi Episcopo.*
140. *Licet Perronij restitutio ingenua sit, locus tamen mutilus aptissimè restitui videtur hoc modo: placuit etiam antequam edantur à te, qui maiores Diœceses tenes, apertè potissimum omnibus insinuari.*
141. *Illustrissimum ex hac Synodo testimonium haberi pro auctoritate Pontificiâ initio sæculi quarti recognitâ, exponunt varij.*

Constantinus Imper.

135. CÆcilianum Carthaginensem Episcopum ad hoc Concilium cum adversarijs Donatistis evocatum fuisse, lucet ex epistolâ Constantini Augusti ad Ælafium seu Ælianum Africæ Proconsulem, cui præcepit: *Cæcilianum supradictum cum aliquibus ex his quos ipse delegerit (Sed & de Byzacenæ, Tripolitanæ, Numidiarum, & Maritaniarum Provinciis, singulos quique aliquantos ex suis perducere debebunt, quos ipsi putaverint eligendos) sed etiam aliquos, qui contrà eumdem Cæcilianum dissentiunt, datâ evectione publicâ per Africam, & Mauritaniam, inde ad Hispanias brevi tractu facias navigare. Et inde nihilominus his in singulis Episcopis singulas tractatorias tribuas, ut ipsi supradictum locum intrà diem Kalendarum Augustarum possint pervenire.* Illud verò Constantini scriptum executioni mandatum, fuisse, patet ex eo, quod Cæcilianus cum suis, & adversarij ejus Synodo Arelatensi interfuerint, at alio planè modo & indifferenti successu.

136. De

136. De partis Donati Episcopis, an in ordinem & locum Episcoporum à Concilio suscepti sint, nihil loquuntur acta, nihil scribit Arelatense Concilium, sed potius ut injustos accusatores & jam pridem meritò per Melchiadem Papam repulsos, referunt Patres Arelatensis Concilij ad S. Silvestrum Romanum Pontificem. *Dilectissimo Papæ Silvestro Marinus, Agracius &c. communi copulâ charitatis, & unitate matris Ecclesiæ Catholicæ vinculo inhærentes, ad Arelatensium Civitatem piissimi Imperatoris voluntate adducti, inde te gloriosissime Papa, commeritâ reverentiâ salutamus. Ubi graves ac perniciosos Legi nostræ atque Traditioni, effrænataque mentis homines pertulimus: quos & Dei nostri præsens auctoritas, & Traditio ac regula veritatis ita respuit, ut nulla in illis aut dicendi ratio subsisteret, aut accusandi modus ullus, aut probatio conveniret. Ideo judice Deo & Matre Ecclesiâ, quæ suos novit & comprobat, aut damnati sunt, aut repulsi: & utinam frater dilectissime, ad tantum spectaculum interesse tanti fecisses. Profectò credimus quia in eos severior fuisset sententia prolata.* Quæ Patrum Arelatensium verba non solùm commeritam ergà Silvestrum ut superiorem suum innuunt, sed etiam erga Melchiadis Papæ judicium venerationem quam maximam, ut non probantes sed obmutescentes in Synodo Arelatensi contradictores Donatistas tanquam anteà damnatos repulerint, & novo Ecclesiasticæ censuræ vinculo obstrictos damnarint.

Patres Arelatenses.

137. Aliud reverà de Cæciliano & suæ partis Episcopis, quos Patres in cœtum Episcoporum admiserunt, ut patet ex subscriptionibus Episcoporum Arelatensis Concilij, inter quas: *Cæcilianus Episcopus de Civitate Carthaginensi cum ipso Sperantius Diaconus.* Et ne dubium aliquod superesset: ex Synodicâ ad Silvestrum: *Dilectissimo Papæ Silvestro, Marinus, Agracius, Natalis, Theodorus, Protherius, Vocius, Verus, Probatius, Cæcilianus.* En Cæcilianum Carthaginensem Episcopum, qui cum cæteris in ordinem Episcoporum fuit admissus, non jam à judicibus Concilij exclusus, ut contigerat in Romano sub Melchiade judicio, sed inter ipsos Concilij judices receptus: quod nimirum Arelatensis Concilij Patres venerati sunt Romani Pontificis tribunal, penes quod absolutus Cæcilianus ab ipsis erat recipiendus, sicut Athanasius à Julio primo in communionem receptus non obstante, quod impiâ Eusebianorum factio à Patribus Sardicensibus postulabat extrusionem, in Concilij communione retentus est, & sicut Theodoretus à Leone primo absolutus in consessu Patrum Chalcedonensium locum obtinuit, garrientibus licet Theodoreti adversarijs: in quibus summa Synodorum erga Romani Pontificis judicium reverentia non minus

Subscriptiones Syn.

Patres Arelatenses.

minus elucet, quam summa authoritas resplendeat, & omnium oculis conspicua emineat.

138. Neque hic stitit Patrum Arelatensium pro auctoritate Pontificiâ recognitio: convenerant pro causâ Cæciliani & occasione fratrum ex diversis Provincijs coadunatorum variæ circà res Ecclesiasticas motæ sunt difficultates, ideoque in citatâ ad Silvestrum Papam Synodicâ epistolâ pergunt: *Non tamen hæc sola nobis visa sunt tractanda, frater carissimè, ad quæ fueramus invitati. Sed & consulendum nobis ipsis censuimus, & cum diversæ sint Provinciæ, ex quibus advenimus, ita & varia contingunt, quæ nos censemus observare debere. Placuit ergo, præsente Spiritu sancto & angelis eius, ut & his qui singulos, quos . . . . movebat judicare, proferremus de quiete præsenti. Placuit etiam antequam . . . . . à te qui maiores Diœceses tenes, per te potissimum omnibus insinuari. Quid autem sit quod senserimus, scripto nostræ mediocritatis subiunximus.* Ex Petri Pithœi bibliothecâ primus hanc epistolam publicavit eminentissimus Cardinalis Baronius in suis Annalibus, & post ipsum Iacobus Sirmondus tomo primo Conciliorum Galliæ, & ex Sirmondo collectio Regia, ac demum tomo 1. collectionis maximæ Philippus Labbeus, qui omnes per interposita puncta significant, sensum esse mutilum, sicut & ipsam epistolam in alijs locis existimo mutilam esse relictam.

Relatio Synodica.

139. Persentijt hoc eminentissimus Cardinalis Perronius, ideòque ad restitutionem horum verborum, *placuit etiam antequam à te . . . . . qui maiores Diœceses tenes, per te potissimum omnibus insinuari.* Operam & industriam contulit, de quo audi Franciscum Rothomagensem Archiepiscopum & Normanniæ Primatem in libro de rebus Ecclesiæ, ubi totam hanc causam Cæciliani & Arelatensis Concilij fusè disputat: *Minimè tacenda videtur nostri coniectura Perronij, Senonensis illius Archiepiscopi celeberrimi, sanctæ Ecclesiæ Romanæ eminentissimi Cardinalis, nunquam, ut de Cornelio Tacito dicere solebat Sidonius Apollinaris, sine laude loquendi: utpote memoriæ nostræ Theologorum facilè principis, qui sub Henrico quarto tantâ cum gloriâ hæresim in Morneo debellavit, & cui, contrà quod cæteris videmus evenire, ut qui vivo concesserunt, mortuo nunc passim invideant. Invidendus certè, sed sequendus, qui sequentem Synodalis epistolæ sententiam meditans: placuit antequam &c. Sic eius clausulæ satis patentem lacunam explevit, locumque acri, quo pollebat judicio, restituit: placuit etiam hæc iuxta consuetudinem antiquam, ad te, qui maiores Diœceses tenes, & per te potissimùm omnibus insinuari.* Libuit hoc testimonium Francisci Rothomagensis in Galliâ Episcopi adferre, ut cum Perronium proferimus, agnoscat lector, quantum Gallicanæ Eccle-

Perronius.

Franciscus Rothomagensis Archiepisc.

Ecclesiæ Doctorem in confirmationem adferamus dicendorum, uti & pro dictis hucusque de Arelatensi Concilio, de quibus mentem suam exponit in replicatione contrà Angliæ Regem, capite 46. *A ce Concile composé de deux cents Evesques assisterent les Legats du Pape, comme il se voit par le catalogue des Evesques du premier Concile d'Arles, bien que confus & mal appliqué aux Canons du second, & Marinus, Rheticius, & Maternus assesseurs du premier jugement . . . . . & les Peres du Concile temoignerent au Pape par leur epistre un grand regret, qu'il n'y avoit peu assister en personne : & protesterent, que s'il y eust esté present, ils eussent proferè une bien plus rigoureuse sentence...... & envoyerent leurs decrets au Pape, afin qu'il les fit insinuer par toutes les parties du monde. Il a pleut, disent ils, selon la coustume antique, que les choses soient insinuées à toy, qui tiens les administrations majeurs, & par toy principalement à tous. Car au lieu de ces mots mutilez & corrumpus : placuit etiam . . . . . antequam ante qui maiores Diœceses tenes, per te potissimum omnibus insinuari. Il faut restituer : placuit etiam hæc juxtà consuetudinem antiquam, ad te, qui maiores Diœceses (ou maiores Diœceseos) tenes, & per te potissimum omnibus insinuari.*

Card. Perronius.

140. Ingenua est Cardinalis Perronij restitutio, & à pluribus in Gallijs recepta, ut non solum patet ex Francisco Rothomagensi Archiepiscopo, sed etiam ex Doctore & Propænitentiario Parisiensi Domino Bail, qui & tomo 2. summæ Conciliorum post hanc Arelatensem Synodum Perronij restitutionem putavit non omittendam. Verùm tot verba intermissa fuisse, vix persuadeor, & licet divinare sit, propria hujus loci verba sine antiquo exemplari restituere, videtur hæc restitutio menti Patrum conformis, qua cunctis verbis retentis hæc intermisceantur : *Placuit etiam, antequam edantur, à te, qui maiores Diœceses tenes, apertè potissimum omnibus insinuari*. Enimverò cum antiquissima sit Ecclesiæ regula ab initio ex Christi institutione observata, ut nihil Ecclesiæ universæ statuatur absque Romani Pontificis sententiâ, nemo dubitare potest, quin Arelatensis Concilij Patres hanc regulam observarint, & de omnibus illis, ad quæ legati S. Silvestri non habuere expressa mandata, ut de Canonibus fortuitò (ut indicat Synodica) statutis, sententiam Pontificis postularint, hinc enim referunt cunctos Canones, & scribunt : *Placuit antequàm à te, id est, antequam edantur, à te*, probata scilicet, illud enim *à te* in restitutione Petronij adhuc mancum est, & pro ut à nobis restituitur non solùm planum sensum reddit, sed etiam veritati & praxi conformem. pergunt Patres, *apertè potissimum omnibus insinuari*, quia non solùm anti-

minus elucet, quam summa authoritas resplendeat, & omnium oculis conspicua emineat.

138. Neque hic stitit Patrum Arelatensium pro auctoritate Pontificiâ recognitio: convenerant pro causâ Cæciliani & occasione fratrum ex diversis Provincijs coadunatorum variæ circà res Ecclesiasticas motæ sunt difficultates, ideoque in citatâ ad Silvestrum Papam Synodicâ epistolâ pergunt: *Non tamen hæc sola nobis visa sunt tractanda, frater carissimè, ad quæ fueramus invitati. Sed & consulendum nobis ipsis censuimus, & cum diversæ sint Provinciæ, ex quibus advenimus, ita & varia contingunt, quæ nos censemus observare debere. Placuit ergo, præsente Spiritu sancto & angelis eius, ut & his qui singulos, quos, ... movebat judicare, proferremus de quiete præsenti. Placuit etiam antequam ..... à te qui maiores Diœceses tenes, per te potissimum omnibus insinuari. Quid autem sit quod censerimus, scripto nostræ mediocritatis subiunximus.* Ex Petri Pithœi bibliothecâ primus hanc epistolam publicavit eminentissimus Cardinalis Baronius in suis Annalibus, & post ipsum Iacobus Sirmondus tomo primo Conciliorum Galliæ, & ex Sirmondo collectio Regia, ac demum tomo 1. collectionis maximæ Philippus Labbeus, qui omnes per interposita puncta significant, sensum esse mutilum, sicut & ipsam epistolam in alijs locis existimo mutilam esse relictam.

Relatio Synodica.

139. Persentijt hoc eminentissimus Cardinalis Perronius, ideòque ad restitutionem horum verborum, *placuit etiam antequam à te ..... qui maiores Diœceses tenes, per te potissimum omnibus insinuari.* Operam & industriam contulit, de quo audi Franciscum Rothomagensem Archiepiscopum & Normanniæ Primatem in libro de rebus Ecclesiæ, ubi totam hanc causam Cæciliani & Arelatensis Concilij fusè disputat: *Minimè tacenda videtur nostri coniectura Perronij, Senonensis illius Archiepiscopi celeberrimi, sanctæ Ecclesiæ Romanæ eminentissimi Cardinalis, nunquam, ut de Cornelio Tacito dicere solebat Sidonius Apollinaris, sine laude loquendi: utpote memoriæ nostræ Theologorum facilè principis, qui sub Henrico quarto tantâ cum gloriâ hæresim in Morneo debellavit, & cui, contrà quod cæteris videmus evenire, ut qui vivo concesserunt, mortuo nunc passim invideant. Invidendus certè, sed sequendus, qui sequentem Synodalis epistolæ sententiam meditans: placuit antequam &c. Sic eius clausulæ satis patentem lacunam explevit, locumque atri, quo pollebat judicio, restituit: placuit etiam hæc iuxta consuetudinem antiquam, ad te, qui maiores Diœceses tenes, & per te potissimùm omnibus insinuari.* Libuit hoc testimonium Francisci Rothomagensis in Galliâ Episcopi adferre, ut cum Perronium proferimus, agnoscat lector, quantum Gallicanæ Eccle-

Perronius.

Franciscus Rothomagensis Archiepisc.

Ecclesiæ Doctorem in confirmationem adferamus dicendorum, uti & pro dictis hucusque de Arelatensi Concilio, de quibus mentem suam exponit in replicatione contrà Angliæ Regem, capite 46. *A ce Concile composé de deux cents Evesques assisterent les Legats du Pape, comme il se voit par le catalogue des Evesques du premier Concile d'Arles, bien que confus & mal appliqué aux Canons du second, & Marinus, Rheticius, & Maternus assesseurs du premier jugement . . . . . & les Peres du Concile temoignerent au Pape par leur epistre un grand regret, qu'il n'y avoit peu assister en personne: & protesterent, que s'il y eust esté present, ils eussent proferè une bien plus rigoureuse sentence..... & envoyerent leurs decrets au Pape, afin qu'il les fit insinuer par toutes les parties du monde. Il a pleut, disent ils, selon la coustume antique, que les choses soient insinuées à toy, qui tiens les administrations majeurs, & par toy principalement à tous. Car au lieu de ces mots mutilez & corrumpus: placuit etiam . . . . . antequam ante qui maiores Diœceses tenes, per te potissimum omnibus insinuari. Il faut restituer: placuit etiam hæc juxtà consuetudinem antiquam, ad te, qui maiores Diœceses (ou maiores Diœceseos) tenes, & per te potissimum omnibus insinuari.*

Card. Peronius.

140. Ingenua est Cardinalis Perronij restitutio, & à pluribus in Gallijs recepta, ut non solum patet ex Francisco Rothomagensi Archiepiscopo, sed etiam ex Doctore & Propænitentiario Parisiensi Domino Bail, qui & tomo 2. summæ Conciliorum post hanc Arelatensem Synodum Perronij restitutionem putavit non omittendam. Verùm tot verba intermissa fuisse, vix persuadeor, & licet divinare sit, propria hujus loci verba sine antiquo exemplari restituere, videtur hæc restitutio menti Patrum conformis, qua cunctis verbis retentis hæc intermisceantur: *Placuit etiam, antequam edantur, à te, qui maiores Diœceses tenes, apertè potissimum omnibus insinuari.* Enimverò cum antiquissima sit Ecclesiæ regula ab initio ex Christi institutione observata, ut nihil Ecclesiæ universæ statuatur absque Romani Pontificis sententiâ, nemo dubitare potest, quin Arelatensis Concilij Patres hanc regulam observarint, & de omnibus illis, ad quæ legati S. Silvestri non habuere expressa mandata, ut de Canonibus fortuitò (ut indicat Synodica) statutis, sententiam Pontificis postularint, hinc enim referunt cunctos Canones, & scribunt: *Placuit antequam à te, id est, antequam edantur, à te*, probata scilicet, illud enim *à te* in restitutione Petronij adhuc mancum est, & pro ut à nobis restituitur non solùm planum sensum reddit, sed etiam veritati & praxi conformem. pergunt Patres, *apertè potissimum omnibus insinuari,* quia non solùm anti-

qua Ecclesiæ consuetudo requirebat sententiam Pontificis, sed ut rectè animadvertit Perronius in laudatâ restitutione, etiam Romano Pontifici statutorum synodalium divulgationem imponebat, ut ipse Pontifex, qui majores Diœceses, seu majorem administrationem, ut interpretatur Perronius ibidem, tenebat, auctoritate suâ interpositâ toti Ecclesiæ acta observanda proponeret.

141. Nec illustriori antiquitatis exemplo indigemus pro expositione mentis hujus Synodi, quam ipsius Synodi Canone primo, hoc modo ad Silvestrum relato: *Primo loco de observatione Paschæ Dominici, ut uno die, & uno tempore per omnem Orbem à nobis observetur, & juxtà consuetudinem literas ad omnes tu dirigas.* Ex quibus manifestior fit antiqua Romani Pontificis toto Orbe authoritas, quam ut nostra expositione indigeat; sufficit Cardinalis Baronij annotationem circà verba Patrum Arelatensium adjungere: „ Antiquum fuisse Catholicæ Ecclesiæ morem, „ ut leges Ecclesiæ in frequenti Patrum concessu sancitæ cum essent, „ eas ad Romanum Pontificem mitterent, cujus auctoritate probatæ „ ab eodem in universas Ecclesias promulgarentur. „ Et D. Davidis in libello contrà Launoium Parisijs edito anno 1671. quod hi Canones statuti sint, „ non solùm pro Ecclesia Occidentali, sed etiam universali, postquam Sedes Apostolica suam authoritatem interposuisset ad reddendam observationem inviolabilem in totâ Ecclesiâ. „ Et Henrici Valesij in dissertatione de schismate Donatistarum post Eusebium latinitate à se donatum, capite 9. „ Eos Canones una cum „ gestis Concilij ad Silvestrum Papam transmiserunt, ut per eum, „ quippè qui Apostolicæ Sedis Principatum obtinebat, reliquis Ec„ clesijs innotesceret. „ demum Bailij Doctoris Parisiensis tomo 2. ad hoc Concilium: „ Quinimò ipsa Synodus Arelatensis subditam se ag„ novit Pontificis jurisdictioni, ut testata est per epistolam synodicam „ ad Silvestrum Melchiadis successorem missam eo fine, ut que statuis„ set, ea authoritate Pontificiâ confirmaret. „

Canon. 1. Arelat.

Baronius.

Dom. David.

Henr. Valesius.

Dom. Bail.

ARTI-

ARTICULUS IV.

Prosecutio Schismatis Donatistarum post hoc Arelatense Concilium.

142. *Post Concilium Arelatense Donatistas appellasse ad Imperatorem, ad quod extat Constantini rescriptum rabidam furoris audaciam vocans Donatistarum insaniam.*

143. *Constantini Imperatoris sententia refertur, Donatistas reos capitis pronuncians.*

144. *Constantino in mitigandâ sententia auctor Osius Cordubensis Imperatori ex tunc familiaris.*

145. *Inter alias Donatistarum insanias præcipua fuit, quæ Montensium schisma pepererunt, erigendo altare contra altare, & Romæ schismaticum suæ partis statuentes Episcopum, contrà quod adferuntur duo insignia S. Optati, & Magni Augustini testimonia.*

142. Victis iterum damnatisque in Synodo Arelatensi Donatistis „ (inquit Jacobus Sirmondus in notis posthumis) multi eo„ rum schismate relicto cum Cæciliano in gratiam redierunt, alij ob„ firmatâ pertinaciâ Synodi judicium respuentes ad Imperatorem ap„ pellarunt epistolâ 68. *Unde ille* (inquit) *alterum Episcopale judicium de*„ *dit habendum in Arelatensi Galliæ civitate, ubi multi vestri, variâ & diabo*„ *licâ dissensione damnatâ, cum Cæciliano in concordiam redierunt: alij pertina*„ *cissimi & litigiosissimi ad eundem Imperatorem appellarunt.* Quâ de re cum „ relationem Episcopi ad Constantinum misissent, exspectarentque, „ quid iis auditis fieri juberet: rescribit Imperator, ut ad proprias „ sedes redeant, sibi curæ futurum, ut cætera exequatur. „ Rescriptum hoc extat in tomis novissimis Conciliorum tam Iacobi Sirmondi, quam collectionis Regiæ & Labbeianæ cum hocce titulo: *Constantini Augusti post Synodum ad Episcopos, qui interfuerant, ut ad suas Provincias revertantur:* Philippus vero Labbeus in margine hunc titulum sic refert: *Epistola Imperatoris Constantini, ubi dixit, quia pars Donati, quomodò forenses sic litigant, ut denuncient & appellent Imperatorem, & desiderent audiri post Episcoporum judicata ex appendice ad Optatum, paginâ* 283. *edit. Parisiens.* Enimverò hæc est ipsissima Constantini epistola, qua exclamat ad

Sirmondus. Augustin. Rescript. Constantini. Labbeus.

ad Donatistarum appellationem *rabidam furoris audaciam*: at operæ pretium est, verba ipsa adducere. Scribit ad Episcopos Arelatenses, se gaudere de iis, qui ex Donatistis ad meliorem spem fortunamque revocati sunt, & idem se sperasse futurum etiam in iis, quibus ingenita est maxima animi durities, at non profuisse apud eos rectam dijudicationem: *Quia* (inquit) *in ipsis tanta vesania perseverat, cum incredibili arrogantiâ persuadeant sibi, quæ nec dici nec audiri fas est, desciscentes à recto judicio dato, quo cælesti provisione meum judicium eos comperi postulare. Quæ vis malignitatis in eorumdem pectoribus perseverat. Quotiens à me iam ipso improbissimis aditionibus suis sunt condignâ responsione oppressi? qui utique, si hoc ante oculos habere voluissent, minimè hoc ipsum interposuissent. Meum judicium postulant, qui ipse judicium Christi exspecto. Dico enim, ut se veritas habet, Sacerdotum iudicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens judicet. Nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud judicare, nisi quod Christi magisterio sunt edocti. Quid igitur sentiunt maligni homines, officia, ut verè* * *dixit, diaboli? perquirunt sæcularia relinquentes cælestia. O rabida furoris audacia! sicut in caussis gentium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Hæc sunt ipsissima verba à S. Optato libro primo citata, quæ ipse etiam ad judicium Melchiadis refert, licet hic ad Concilium Arelatense respiciant.

Rescriptũ Constantini.

* Dixi.

143. Ut autem pateat, qualiter Constantinus Imperator non solùm execratione dignam exclamarit appellationem interpositam, sed etiam quid egerit aut hic faciendum judicarit, audi sequentia epistolæ Constantini verba: *Equidem fratres carissimi, licet hæc in ipsis videantur deprehensa, nihilominus vos, qui Domini Salvatoris sequimini viam, patientiam adhibete, data his adhuc optione, quid putent deligendum. Ac si eos in hisdem videritis perseverare, protinus cum his, quos Dominus dignos cultu suo judicavit, proficiscimini, & redite ad proprias sedes. Meique mementote, ut mei Salvator noster semper misereatur. Cæterum direxi meos homines, qui eosdem infandos deceptores religionis protinus ad comitatum meum perducant, ut ibi degant, ibi sibi mortem pervideant. Dedi quoque litteras competentes ad eum, qui Vicariam Præfecturam per Africam tuetur, ut quotquot huius insaniæ similes inveneris, statim eos ad comitatum meum dirigat.* Hoc erat ad Donatistarum appellationem religiosissimi Imperatoris rescriptum, qui tantum abest, quod ad appellationem aliud judicium concedendum crediderit, ut tanquam insaniam, gentilitatem, & infandam religionis deceptionem habuerit, & jam non novo Ecclesiæ judicio, sed brachij sæcularis punitione dignum: scio ad improbissimæ factionis instantiam posteà Constantinum partes in Comitatu Mediolani audisse, at causâ

Rescriptũ Constant.

cognitâ

cognitâ Cæcilianum innocentissimum, Donatistas improbissimos confirmavit, & inquit Sirmondus, „ primus in eos legem constituit, ut „ illorum loca fisco vindicarentur, ut est apud S. Augustinum epi„ stolâ 68. 164. & alijs locis.

Sirmondus

144. Constantino hanc sententiam in Donatistas ferenti adfuit Osius Cordubensis in Hispania Episcopus tunc Imperatori familiaris, cujus Consilio sententia lata est, de quâ conqueritur Parmenianus Donatista apud Augustinum lib. 1. contrà Parmenian. cap. 8. *Victi apud Ecclesiasticos judices, ne apud ipsum, quæ dicebant, probare potuissent, ad campum, hoc est ad supplicium ducerentur: hos enim eum tanquam immaniter jussisse, Hispano Osio suggerente criminabatur, suspicionibus videlicet suis, sicut semper damnando inauditos.* Ex quo concludit Ferdinandus Mendoza de confirmando Concilio Illiberitano libro 1. cap. 2. apud Constantinum tempore sententiæ prolatæ fuisse Osium, nec cum eo tantum, seb ab ejus Consilio, sine quo nullam Ecclesiæ causam decernebat Imperator: quare ab eodem Osio persuasum, quam mererentur, sententiam tulisse in Donatistas, Augustinus his verbis commemorat: *quasi verò non humanius, ac probabilius alius crediderit, Osio tanquam Episcopo suggerente potius factum, ut in leniorem coërtionem, quamvis immanissimi sceleris, id est sacrilegi schismatis, sententiam flecteret Imperator.* Enimverò sententiâ mortis in leniorem mutatâ Donatistas Orbi reliquit, utinàm expulisset; nec enim tantâ cum fidelium strage sævisset factionis successio, quantam contrà Parmenianum dolet S. Optatus Milevitanus in Africâ Episcopus, & contrà Donatistas Circumcelliones deplorare coactus fuit Magnus Augustinus.

Parmenianus, Ferdinan. Mendoza, Augustin.

145. Inter varias Donatistarum insanias, quas laudati Ecclesiæ Patres debellarunt, præcipua quædam fuit, quâ Donatus Maiorini in Sede Carthaginensi Schismaticus successor à communione suâ seclusit Sedem Apostolicam & universam toto Orbe diffusam Ecclesiam blaterando cum suis sequacibus, exceptis Donatistarum Ecclesijs reliquas Christianitate exutas ob defensionem Cæciliani. Post causam cum Cæciliano dictam, scribit D. Augustinus de hæresibus, cap. 69. *Falsitatis rei deprehensi, pertinaci dissensione Firmatâ, in hæresim schisma verterunt, tanquam Ecclesiæ Christi propter crimina Cæciliani seu vera, seu quod magis judicibus apparuit, falsa, de toto terrarum Orbe perierit, ubi futura promissa est, atque in Africa Donati parte remanserit, in alijs terrarum partibus quasi contagione communionis extincta.* Quia tamen sciebant, caput & centrum communionis ecclesiasticæ consistere in Apostolicâ Petri Cathedrâ,

Augustin.

ut simiarum more veram Ecclesiam effingerent Apostolicæ Sedis communione unitam, ex suo numero creatum Episcopum, Victorem nomine, Romam miserunt, post quem vita functum alios deinceps quatuor usque ad suum tempus misisse testatur S. Optatus Milevitanus Episcopus libro 2. contrà Parmenianum; & hos, quia in monte aut nescio quâ rupe latitabant, ementitum Romanæ Ecclesiæ Principatum taliter erubescentes, vocatos fuisse Montenses, testis est

Augustin.

Augustinus libro de hæresibus cap.69. *Isti hæretici*(scilicet Donatistæ) *in urbe Româ Montenses vocantur, quibus hinc ex Africâ solent Episcopum mittere: aut hinc illuc Aphri Episcopi eorum pergere, si fortè ibi eum ordinare placuisset.* Et contrà hanc Montensium insaniam est insigne illud S. Optati testi-

S. Optatus.

monium libro 2. adversus Parmenianum Donatistam: *Negare non potes, scire te, in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in quâ sederit omnium Apostolorum caput Petrus, in qua unâ Cathedrâ unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus & peccator esset, qui contrà singularem Cathedram alteram collocaret.* Sic Donatistarum confundit audaciam, qua Romæ alteram Cathedram contra Petrum erigere ausi essent, quod ipsum D. Augustinus

Augustinus Fortunatus, & Alipius epist.165.

urget epistolâ 165. cum Fortunato & Alipio ad Generosum: *Si enim ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim successit Linus &c.* usque ad Anastasium. Quibus enumeratis pergit: *In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur, sed ex transverso ex Aphricâ ordinatum miserunt, qui paucis præsidens Aphris in urbe Româ Montensium vel Rupitarum vocabulum propagaret.* Hæc Augustinus, qui his aliisque tum scriptis, tum collationibus Donatistas tandem devicit, de iis feliciter triumphans, ut latius videri potest ex eius scriptis, & Possidonio Calamensi in Africa Episcopo de vitâ Augustini sibi coëtanei.

DISSER-

DISSERTATIO II.

De Canonibus Conciliorum, & de collectionibus Canonum.

CAPUT I.

De prima Canonum collectione, quæ Apostolorum intitulatur.

146. *Canones Apostolorum omnium primi in unum collecti non tamen ab Apostolis conscripti sunt, neque per Clementem editi, sed teste Hincmaro Remensi studio devotorum fidelium ante tempora Nicenæ Synodi in lucem prodierunt.*

147. *Indagatur tempus huius collectionis, & statuitur cum de Marca, post Stephani Papæ obitum à fidelibus Orientis pro Firmiliano collectos.*

148. *Illos Canones Apostolicos à tempore Constantini Imperatoris fuisse cognitos, neque à Gelasio Papa penitus improbatos, latius pertractatur.*

149. *Gelasium non penitus improbasse illos Canones, conficitur ex Dionisio Exiguo, Cresconio, Isidoro Mercatore, Hadriano I. Anastasio Bibliothecario, Stephano 4. in Concilio Romano, Humberto, & Antonio Augustino quinquaginta Canones Apostolorum receptos in Occidente testantibus*

150. *Confirmatur subinde ex Orientis Ecclesiâ, quam plusquam 50. recepisse ostendunt Ioannes Scholasticus, Synodus Trullana, Damascenus, Synodus 7. Aristinus, Symeon Logotheta, Arsenius Monachus, & Photius.*

151. *Ratio cur Orientalis Ecclesia plures Canones receperit, quam Occidentis paucis exhibetur, & simul ostenditur, hos Canones nunquam in Ecclesiâ ita receptos fuisse, quin peritiores de eorum Authore vel authoritate saltem quorumdam dubitarint, idque meritò, cum duos Canones olim in Ecclesia damnatos includant.*

146. PRima omnium collectionum circumfertur sub nomine Clementis, qui Apostolorum Canones numero 84. in unum corpus collectos fidelibus proposuisse perhibetur: extant Gentiano Herveto interprete apud Surium, Nicolinum, Binnium, Collectionem Regiam, & Philippum Labbeum

Labbeum initio suorum Conciliorum: verum de his ante 8. sæcula rectè judicium suum protulit Hincmarus Metropolita Remensis in opusculo 55. capitum contrà Hincmarum Laudunensem, capite 24. *Non ab Apostolis conscripti esse creduntur.* Adeoque non à Clemente Apostolorum Discipulo & 3. post Petrum Romanorum Pontifice collecti, ut Canon 84. Apocryphus insinuat: *Ordinationes vobis Episcopis per me Clementem in octo libris editæ,* Sunt nimirum venerandæ: qui Canon, quod libros Apocryphos constitutiones scilicet Clementis Canoni scripturarum addat, Apocryphus & subreptitius est, ut rectè animadvertit Binnius. Cum autem ex hoc solo Canone constet de Canonum collectore Clemente, & ille Canon Apocryphus sit, sequitur non haberi authenticè Clementem horum Canonum fuisse collectorem: certè eorum in Clemente Romano non meminit Hieronymus, & cum plura suppositia contineant, à Clemente collecti & fidelibus propositi esse non possunt, unde alium collectorem inquirere necesse est, de quo hæc sensit Hincmarus Remensis loco citato: *Canones, qui vocantur Apostolorum, antequam Episcopi Concilia liberè inciperent celebrare, à devotis quibusque collecti, in quibus quædam receptibilia, quædam verò non servanda.*

Hincmarus Remensis. Canon 14. Apost. Binnius. Hincmar. Remensis.

147. Accuratè hanc quæstionem pertractavit Illustrissimus D. de Marca Parisiensium Archiepiscopus libro 3. capite 2. n. 5. cujus prolixiorem discursum Baluzius in hoc compendium redegit: „ Indagatur „ tempus hujus collectionis, quæ anterior Synodo Nicena, sed po„ sterior videtur anno 258. Firmilianus Cæsareæ Episcopus iis usu „ non est ad probandam consuetudinem, quæ vigebat in Oriente re„ pudiandi hæreticorum Baptismi. „ Enimverò Firmilianus in epistolâ ad Cyprianum contrà hæreticorum Baptisma militans, consuetudinem à Stephano laudatam Stylo acriori, quam oportebat Catholicum Episcopum, excepit: *Infamans Petrum & Paulum beatos Apostolo[s] quasi hoc ipsi tradiderint; qui in epistolis suis hæreticos execrati sunt, & ut eos evi[tem]temus, monuerunt:* unde & postmodum: *Consuetudini Romanorum consue[tu]tudinem sed veritatis opponimus: ab initio hoc tenentes, quod à Christo & Ap[o]stolo traditum est.* Ubi solummodò respicit, quæ jam retulimus, ab A[-]postolo nimirum Paulo execratos fuisse hæreticos, tanquam ab omn[i]bus Catholicis evitandos, quæ sanè multò fortius urgere non dub[i]tasset Firmilianus, si Canones Apostolorum tunc extitissent, int[er] quos 46. *Episcopus vel Presbyter eum, qui verè habet Baptismum, si de inte[gro] baptizaverit, vel si eum, qui ab impiis pollutus est, non baptizaverit, deponat[ur]*

De Marca. Firmilian. Can. 46. Apost.

ut qui irrideat mortem & Crucem Domini, & non discernat Sacerdotes à falsis Sacerdotibus. Et Canon 45. præcedens: *Episcopum vel Presbyterum, qui hæreticorum Baptismum vel Sacrificium admiserit, deponi jubemus. Quæ est enim conventio Christi cum Belial? vel quæ pars est fideli cum infideli?* Hos Canones Apostolorum apertè Firmiliano faventes, si, cum anno 256. aut 257. epistolam ad Cyprianum misit, extitissent, locus erat allegandi suprà: quod cum factum non sit, è silentio Firmiliani, inquit de Marca, licet colligere, „ incognitos ea ætate Orientalibus fuisse Canones A- „ postolicos. „ Quinimò divinat Parisiensis Archiepiscopus, tunc fuisse pro parte Firmiliani collectos, ut contrà Stephanum ad Traditionem Apostolicam Petri & Pauli recurrentem Orientalibus persuaderetur ex his Canonibus, aliam fuisse Apostolorum constitutionem: unde Baluzius Domini de Marca epitomator: „Coniicitur, post Synodum Ico- „ nij eâ de re habitam initum fuisse consilium edendæ hujus colle- „ ctionis sub nomine Clementis Romani & Apostolorum, ut Ste- „ phano Pontifici opponeretur Petri Apostoli authoritas.„

Can. 45. Apost.

De Marca.

Baluzius.

148. Hos Canones ante Synodum Nicenam fuisse cognitos, lucet ex Constantino Imperatore, qui epistolâ 2. ad Eusebium & Antiochenos Episcopos citat Canonem 13. item ex alijs plurimis, qui his Canonibus usi videntur, post quorum tempora tam in Oriente quam Occidente apud quosdam Catholicos prævaluisse, (variâ tamen de eorum numero fortunâ) licet colligere ex antiquissimâ Canonum collectione, quæ primum in Oriente à Græcis fuit confecta, & ante tempora Dionysij exigui extitit, ut infra ex eodem Dionysio patebit: unde quod Gelasius Papa in Romanâ septuaginta Episcoporum Synodo anno Christi 494. posuit: *Liber Canonum Apostolorum Apocryphus.* Commodo sensu venit intelligendum: præterquam enim, quod hæc verba non habeantur in codice Iustelli, ut notat in margine Philippus Labbeus, dici potest, id à Papa Gelasio dictum, quia hi Canones non sunt ab Apostolis sed ab alijs collecti, unde & annotat D. de Marca libro 3. capite 2. §.7. „ Variæ sunt classes Apocryphorum in notitiâ Gelasij, „ ut observarunt viri eruditi; cum non tantum figmenta hæretico- „ rum veniant in hunc censum, sed etiam opuscula tractatorum, in „ quibus sunt nevi quidam. „ Nec alio hic exemplo indigemus, quàm Eusebij Pamphili historiâ, quam Apocryphis accenset Gelasius, cum tamen parum anteà illam recipiendam statuisset, quod nimirum velit hosce historiarum libros nevis quibusdam permixtos, licet, inquit, *propter rerum notitiam singularem, quæ ad instructionem pertinent, usquequaque*

Romana Synodus sub Gelasio Papa.

De Marca.

Gelasius.

non dicimus renuendos. Idem dici debet de Canonibus Apostolorum singulari quâdam primitivæ Ecclesiæ Doctrinâ refertis, licet & aliunde ob certos nevos inter Apocrypha à Gelasio recensitis.

149. Quod autem hi Canones nec ab antiquis tam Græcis quam Latinis tractatoribus fuerint rejecti, lucet in primis ex 50. Canonibus ubique olim receptis, ut confirmat post Gelasium collectio Dionysij Exigui, qui Canones Apostolorum quinquaginta eidem inseruit, & in præfatione ad Stephanum Episcopum de eis scriptum reliquit: *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apostolorum, de Græco transtulimus: quibus quia plurimi consensum non præbuere facilem, hoc ipsum vestram noluimus ignorare sanctitatem: quamvis posteà quædam constituta Pontificum ex ipsis Canonibus adsumpta esse videantur.* Post Dionysium Cresconius nescio cujus civitatis in Africâ Episcopus, qui in sua collectione usque ad 50. Canones Apostolorum enumerat & ad titulos suos comprobandos adducit. Post Cresconium Isidorus Mercator, qui in præfatione suæ collectionis hæc habet de his 50. Canonibus: *Propter eorum authoritatem cæteris Concilijs præposuimus canones, qui dicuntur Apostolorum (licet à quibusdam Apocryphi dicantur) quoniam plures eos recipiunt, & sancti Patres eorum sententias Synodali auctoritate roboraverunt, & inter Canonicas posuerunt constitutiones.* Post Isidorum aut eodem circiter tempore Hadrianus Papa I. in veteri Canonum codice Carolo Magno Romæ oblato, in quo quinquaginta Canones reperiuntur, de quibus Anastasius Bibliothecarius in præfatione ipsius Synodi Generalis 7. ad Ioannem Octavum: *Sanè notandum est, quædam in hac Synodo ex Apostolorum & sextæ universalis Synodi Canonibus & sententijs inveniri, quæ penes nos interpretata nec habentur, nec admittuntur. Et certè de Apostolorum Canonibus liquidò novimus, quoniam his quidam facile non præbuere consensum. Sed & prædecessor vester Beatissimus Papa Stephanus non ex his plusquam quinquaginta recipiendos Synodicè promulgavit; licet quædam constituta Pontificum ex ipsis Canonibus assumpta esse videantur.* Meminit Anastasius Stephani Papæ 4. qui in Synodo Lateranensi anno 769. statuit actione 4. *Non amplius suscipiantur Apostolorum Canonum prolata per S. Clementem, nisi quinquaginta capita, quæ suscipit sancta Dei Catholica Romana Ecclesia.* Publicavit hoc Concilium Lucas Holstenius in Romanâ Historiâ bipartitâ, & laudatam ex eo decisionem confirmat Humbertus Leonis 9. legatus in responsione ad libellum Nicetæ Presbyteri & Monachi contra Latinos editum: *Clementis librum, id est, Petri Apostoli itinerarium & Apostolorum Canones numerant Patres inter Apocrypha, exceptis 50. capitulis, quæ decreverunt orthodoxæ fidei adiungenda.*

Dionysius Exiguus.

Cresconius.

Isidorus.

Hadrian. I.

Anastasius Bibliothecarius.

Concilium Rom. sub Stephano 4.

Humbert. Leonis 9. Legatus.

jungenda. Et hoc Humberti testimonium probans Antonius Augustinus Tarraconensis Episcopus in priori libro dialogorum de emendatione Gratiani per Stephanum Baluzium reexcuso,concludit: „Mediâ „ via inter eos, qui probent, & eos qui improbent, placet. Cujusmodi „ est Humberti Silvæ Candidæ Episcopi Cardinalis Leonis 9. legati, „ cujus esse existimo verba Leoni 9. adscripta, quæ Gratianus refert „ capite 3. illius distinct. 16. *Clementis librum &c.* .... sic in corpore Ca- „ nonum ex Dionysij Exigui interpretatione, & in Isidori Mercatoris „ collectione tantum hos quinquaginta Canones invenies. Hoc Gra- „ tianus & veteres collectores referunt. Item Rabanus in libro pœni- „ tentium, & Ansegisus lib. 1. Capitularium Caroli.„ Et hæc quidem de Ecclesiâ Occidentali, quinquaginta Canones Apostolorum non improbante sed demum synodaliter approbante & ubique fere recipiente.

Antonius Augustin. Dialogo 6.

150. At Latius sese extendit Orientis Ecclesia in recipiendis Apostolorum Canonibus, quos omnium primus suæ 50. titulorum collectioni inseruit octoginta quinque Ioannes Scholasticus, ut notat Christophorus Iustellus in præfatione ad tomum 2. Bibliothecæ juris Canonici, & ipse Ioannes Antiochenæ Ecclesiæ presbyter ex ordine Scholasticorum in præfatione aiens: *Sancti Domini Discipuli & Apostoli octoginta quinque Canones Clementis operâ ediderunt.* Eos post hanc Ioannis collectionem recepit & probavit Synodus Trullana Canone 2. *Hoc quoque huic sanctæ Synodo pulcherrimè & honestissimè placuit, ut ab hoc nunc tempore deinceps ad animarum medelam, & perturbationum curationem firmi, stabilesque maneant, qui à sanctis Patribus, qui nos præcesserunt, suscepti ac confirmati sunt, atque adeò nobis etiam traditi sunt sanctorum & gloriosorum Apostolorum nomine octoginta quinque Canones.* Eosque amplexos fuisse etiam à sanctissimis Orientis Episcopis, lucet ex D. Ioanne Damasceno libro 4. de fide orthodoxâ cap. 18. ubi illos sacris Scripturis adnumerare videtur, & post ipsum Synodus Generalis 7. quæ actione 1. consentijt ex Bibliotheca venerabilis Patriarchij Constantinopoleos tam Canonum SS. Apostolorum, quam SS. Synodorum libros in medium afferri, post quæ *Tharasius sanctissimus Patriarcha dixit: legatur in primis liber Canonicarum institutionum: Sancta Synodus dixit: legatur. Et accipiens idem Constantinus Deo amabilis Diaconus, & Notarius venerabilis Patriarchij legit: Canon sanctorum Apostolorum * quinquagesimus tertius: si quis Presbyter eum, qui convertitur à peccato, non susceperit, sed abjecerit, deponatur &c.* Ex quo manifestum est, ultra 50. Canones alios quoque receptos fuisse à Synodo

Ioannes Scholasticus.

Synodus Trullana.

Ioannes Damascen.

Synodus 7.

*Nunc 52.

Aristinus. Synodo Generali 7: usque ad 77. recenset Alexius Aristinus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus in epitome Canonum, quam nunc primo publicarunt in tomo 2. Bibliothecæ juris Canonici Guilielmus Voellus & Henricus Iustellus, qui post Aristinum ibidem subnectunt epitomen Canonum Symeonis Magistri & Logothetæ, in quâ exhibentur Canones Apostolorum octoginta duo: & synopsim Canonum Arsenij Monachi, qui ad caput 4. subdit: *Sanctorum Apostolorum Canon* 85. alios Apostolorum Canones passim exhibet, ut octoginta quinque Canones admisisse constet, quos & diu ante illos collectores admisit Photius in nomocanone, ad quem editâ præfatione scribit: *Canones, qui Sanctorum Apostolorum dicuntur Clementis opera collecti* 85. Ex quibus videre licet, Orientales passim omnes 85. Canones admisisse, qui de facto post decretum Gratiani, jussu Gregorij 13. editum, inveniuntur, uti & passim in omnibus Conciliorum editionibus.

Symeon Logotheta.

Arsenius Monach.

Photius.

151. At quæri posset de ratione hujus diversitatis, nisi constaret à fidelibus primum 50. Canones circà tempus Firmiliani fuisse sub nomine Apostolorum collectos, eosque dumtaxat recepisse Occidentis Ecclesias, post hos vero alios in Oriente additos fuisse usque ad 35. ut jam 85. Joannes Scholasticus primum produxerit, & Orientales posteà amplexi sint, non sic tamen, quin semper aliquod dubium inter eruditiores, præcipuè Occidentis, remanserit vel de suppositione aliquorum Canonum, vel de auctoribus Apostolis. Hinc enim Dionysius Exiguus licet 50. tantum Canones Apostolorum adducat, simulare non potuit: *Plures consensum non præbuere facilem.* Et Isidorus quoque in eâ præfatione Conciliorum, quam Gratianus refert capite 1. distinct. 16. *Canones, qui dicuntur Apostolorum, seu quia easdem nec Sedes Apostolica recepit, nec sancti Patres illis assensum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur, quamvis in eis utilia inveniantur, tamen ab auctoritate Canonum atque Apostolica eorum gesta constat esse remota atque inter Apocrypha deputata.* „Hæc verba (subdit Antonius „Augustinus Dialogo 6.) in omnibus veteribus libris Hispaniæ Con„ciliorum inveniuntur, non illa, quæ Isidorus Mercator in præfa„tione Conciliorum scripsit, quæ etiam Gratianus capite 4. ejusdem „distinctionis posuit; neque distinxit varietatem horum Scriptorum, „ut debuit, cum contraria dicerent. „ Hucusque Antonius Augustinus Tarraconensis Episcopus, qui addit, se „exemplum illius Hispani„cæ præfationis Romam ad Michaëlem Thomasium & Petrum Cia„conem misisse, & hanc varietatem notasse, illosque & cæteros viros valde

Dionysius Exiguus.

Isidorus.

Antonius Augustin.

,, valde fuisse eo munere delectatos, propterea quod fontes ignora-
,, rent illius capitis Isidori. ,, Ex quibus apparet, hunc à Gratiano citatum Isidorum alium fuisse existimatum à vulgato Isidore Mercatore, quod & correctores decreti à Gregorio 13. adhibiti notarunt ad citatum caput: ,, caput hoc est in præfatione Isidori ad collectionem Conciliorū,quæ ex Bibliothecâ Ecclesiæ Toletanæ descripta Romam missa est. Nam in illa, quæ vulgatæ Isidori collectioni, de quâ initio dictum est,præponitur,contrarium potius videtur dici.,, Hæc correctores Romani, qui quantumvis annotent, Canones Apostolorum ab Isidoro Mercatore in vulgatâ Conciliorum præfatione admitti, hoc tamen nec ibi dissimulare potuit, quin scriberet in suâ præfatione: *à quibusdam Apocrypha dicuntur.* Et post Isidorum Photius Patriarcha Constantinopolitanus in præfatione ad nomocanonem nunc primum tomo 2. Bibliothecæ juris Canonici editâ. *Etiam eos Canones, qui Sanctorum Apostolorum esse dicuntur, eodem opere complexus sum, quamvis nonnulli quibusdam causis moti pro dubijs eos habuerint.* Post quem Anastasius Bibliothecarius in præfatione ad Synodum 7. *Quidam facilè non prabuere consensum.* Hincmarus Metropolita Remensis: *In quibus quædam recepibilia, quadam verò non servanda.* Et ad Gratiani decretum distinctione 32. can præter: *Sciendum verò, quod Canones Apostolorum (quorum auctoritate Orientalis, & ex parte Romana utitur Ecclesia) & insignis Cyprianus martyr & 80. Episcopi cum eodem, Baptisma hareticorum lavacrum diaboli appellant:* ad *Canones* notatur in margine: *Canon 45. 46. & 47.* & addit Glossa ad *verba Apostolorum*; id est, *qui sub nomine Apostolorum facti sunt, sed sunt Apocryphi 15. distinctione, Can. sancta Romana, dist. 16. c. Canones.* Quæ apertè coincidunt cum iis,quę diximus ex Parisiensium Archiepiscopo de Marca. Enimverò sub nomine Apostolorum non ab Apostolis collecti sunt, ideoque apocryphi à Gelasio cum 70. Episcoporum Romana Synodo fuere habiti, uti & ob Canones quosdam intermixtos, quos licet quidam Pontifices certo sensu explicandos receperint, in sano tamen sensu à collectoribus intento fuere veritati difformes, uti Canon 46. & 47. de rebaptizandis hæreticis, quos Orientales alijs ex Traditione ab Apostolorum tempore observatis inseruerunt, ut quæ Firmilianus de consuetudine rebaptizandi per Cappadociam ex Apostolorum Traditione promulgaverat, jam paterent inter ipsos Apostolorum Canones olim fuisse constituta. Undè mirari lubet quorumdam modernorum diligentiam in promovendis cunctis Apostolorum Canonibus, inter quos fatemur & quædam

Correctores Romani.

Isidorus Mercator.

Photius.

Anastasius Bibliot.

Hincmarus Rem.

Gratiani correctores.

Glossa.

utilia & ex Apostolicâ Traditione promanata, sed insuper & quædam inutilia, quinimò, si rigido sensu sumas, erronea & olim damnata.

CAPUT II.

De Constitutionibus Apostolorum per Clementem Papam.

152. *Regulas quasdam ab Apostolis relictas Ecclesiis, supponitur ut indubitatum.*

153. *Regulas illas sub Clementis nomine in libro Constitutionum exhibitas esse à Conciliorum collectoribus.*

154. *Verum octo libros constitutionum Apostolicarum non esse opus Clementis, firmatur tam veterum quam modernorum testimoniis.*

155. *Illas tamen non penitus abiiciendas esse, cum antiquitus collectæ plura contineant antiquitatis documenta, ut etiamsi quadam in iis adulteratio facta sit, multa tamen excellentissima contineant veteris Disciplinæ vestigia.*

152. CErtum est, non alienum fuisse à fundatoribus Ecclesiarum, per universum Orbem fidelibus regulas & statuta proponere, quibus ordinata Christi in terris servaretur Ecclesia, ut nullus stupere debeat ad nomen Apostolicorum Canonum aut constitutionum, „ " Nisi (inquit propœnitentiarius Parisiensis Bail tomo 1. fol. 134.) „ quis dicat, quod Apostoli Ecclesiam voluissent relinquere sine legi- „ bus, sine regulis, sine ordine, ut ad illa tempora revocaretur, de „ quibus scriptum est judicum 17. *In illis diebus non erat Rex in Israël, sed* „ *unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* „ Aliter profectò de Ecclesiâ & eorum institutoribus Apostolis cum sentiendum sit, fatendum quoque, Apostolos pro Ecclesiæ conservatione statuisse & posteris reliquisse quamplurima statuta & dogmata, quorum aliqua S. Lucas actorum 16. attingit scribens de S. Paulo, Silâ, & Timotheo: *Cum pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus qui erant Ierosolymis.* Et licet ex illis tantum habeantur decreta in Ierosolymitano Concilio, tamen plura statuisse, & Ecclesijs reliquisse, nemini dubium esse debet, qui SS. Patres & antiqua Ecclesiasticæ historiæ monumenta Traditionum Apostolorum meminisci perpendit.

Bailius.

S. Lucas.

153. Priscas

153. Priscas illas Apostolorum constitutiones, cum mirum esset, à nullo antiquorum posterioribus relictas, inquisitus est à viris superiori & hoc nostro sæculo eruditis codex harum constitutionum, de quibus Canon 84. Apostolorum, *ordinationes vobis Episcopis per me Clementem in octo libris editæ.* Petrus Crabbe Ordinis S. Francisci Theologus, in alterâ, quam anno 1551. molitus est, Conciliorum omnium editione, cum integrum opus nancisci non potuisset, brevissimam dumtaxat epitomen ex libris octo in Cretâ insulâ repertis exhibuit lectori, cujus vestigia secutus Laurentius Surius anno 1567. easdem constitutiones integras ex interpretatione Caroli Bovij Ostunensis Episcopi, ejusdem scholijs adjunctis, repræsentavit. Idem posteà Nicolinus in Venetianâ collectione anno 1585. executus est adhibitâ versione Francisci Turriani Societatis Jesu in Hispaniâ Theologi, qui plures observationes apologeticas, & præfationem prolixam in eorum probationem ediderat, & Cardinali Guilielmo Sirletto dedicarat. Eas constitutiones abscissis Turriani annotationibus & proemio Severinus Binnius anno quidem 1606. in collectione latinâ Coloniensi adduxerat, sed anno 1608. in Romana Græcolatinâ Conciliorum editione:,, constitutiones illas Apostolicas (inquit Philippus ,, Labbeus tomo primo Conciliorum) cum Turrianico omni illo ap- ,, paratu, penitus rejecit, levi dumtaxat ac nullius propè momenti ,, apud eruditos lectores tam insolentis facti allatâ excusatione. Non- ,, dum sanè prodierat, quæ eodem anno primum apparuit, editio ,, Græcolatina earumdem constitutionum, quam R. P. Fronto Du- ,, cæus, Burdegalensis S.I. à se magno studio elaboratam Ioannis Zo- ,, naræ commentarijs, & Constantinopolitano sub Menna Concilio, ,, aliisque antiquitatis Canonicæ momentis subjecit.,, Hæc Philippus Labbeus in novissimâ Conciliorum editione, ubi & tomo 1. easdem *Constitutiones Sanctorum Apostolorum auctore Clemente Episcopo & cive Romano*, Francisco Turriano interprete inseruit, ac libros 8. adjuncto textu græco, exhibuit.

Can. 84. Apost. P. Crabbe. Surius. Nicolinus. Turrianus. Binnius. Labbeus.

154. Verùm hoc opus non magis esse Clementis Papæ, quam Canones Apostolorum, primum colligitur ex eo, quod græcam originem prodat, cum tamen Romanus fuit Pontifex, & ideò verisimilius linguâ latinâ eas constitutiones scriptas habuissemus in Occidente. Secundò quod nec Eusebius nec D. Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in Clemente harum memineant, uti nec plures Ecclesiæ Patres. 3. Ex Synodo Trullana Canone 2. ubi Canonem ultimum

D Hieronymus.

Apo-

Apostolorum, in quo Clemens Apostolorum constitutiones 8. libris à se conscriptas Episcopis proponit, sic exagitat: *Quoniam autem in his Canonibus praceptum est, ut earundem sanctorum Apostolorum per Clementem constitutiones susciperemus, quibus iam olim ab iis, qui à fide alieni sentiunt, ad labem Ecclesiæ aspergendam adulterina quadam, & à pietate aliena introducta sunt, quæ Divinorum nobis decretorum elegantem ac decoram speciem obscurarunt, has constitutiones ad Christianissimi gregis ædificationem ac securitatem conducibiliter rejecimus, hæretica falsitatis fœtus nequaquam admittentes, & germanæ ac integræ Apostolorum doctrinæ inserentes.* Ad quæ Photius in Bibliothecâ Cod. 113. *Constitutiones ex tribus capitibus reprehensioni videntur obnoxiæ. Ex malâ fictione, quam depellere non est admodum difficile. Deindè quod contrà Deuteronomium criminationes quasdam adducant, quæ & ipsæ dilui facillimè possunt. Denique ex Arianismo, quem item accuratius paulò instando refellere queas.* Et non minus parte 2. ad Can. 2. Trullanum Christianus Lupus, ubi ad Nicetæ Pectorati ex his constitutionibus adducta testimonia, reponit Cardinalis Humberti, Leonis 9. apud Constantinopolim legati, dictum, se dedignari *apocryphorum fabulosas Traditiones.* Ac pergit Doctor Lovaniensis: „ Pariter Marco Ephesio apud Xistum „ Senensem respondet Bessarion Metropolita Nicenus. Earum in „ Clemente Romano non meminit scriptus à S. Hieronimo catalo- „ gus virorum illustrium, quinimò ut apocryphas abiicit in Romanâ „ suâ Synodo sanctus Gelasius, ejusque judicium omnis semper la- „ tina Ecclesia est secuta, nostris nominatim temporibus. D. Cardi- „ nalis Baronius, D. Cardinalis Bellarminus, D. Cardinalis Perro- „ nius, & Gabriel Albaspineus doctissimus Episcopus Ecclesiæ Aure- „ lianensis, quare bonas horas, quam illis vindicandis, melius locare „ potuerant Carolus Bovius, & Franciscus Turrianus. Eas spiritu „ Apostolico plenissimas ac in sacrarum litterarum Canonem referri „ aptas malè dixit Thomas Stapletonus. Hauserit forsam ab Abyssi- „ nis seu Æthiopibus, de quibus: *Habens librum in octo partes divisum, „ quem ab universis Apostolis Ierosolymæ congregatis scriptum ferunt, quemque „ ipsi vulgo Manda & Abetilis vocant.* Fuit opus editum à nescio quo „ quarti sæculi homine Ariano, variè & in dogmate & in ritu ma- „ culosum, uti facilè possit ostendi. „ Hæc omnia Christianus Lupus, qui imitatus Severinum Binnium constitutiones Clementis omninò abjudicavit.

Synodus Trullana. Photius. Lupus. Cardinalis Humbert. Bessarion. Gelasius. Baronius. Bellarmin. Perronius. G Albaspineus. Abyssini.

155. Attamen ne rigorosè nimis de hisce constitutionibus sub nomine Apostolorum jam diu in Ecclesia circumlatis judicemus, fateor quidem

quidem cum omnibus ferè peritis, has constitutiones nec ab Apostolis processisse omnes, nec à Clemente primo Romanorum Pontifice in octo libros fuisse digestas, sed postmodum ab aliquo fideli fuisse collectas, quæ tempore S. Epiphanij extiterunt sanæ ac immaculatæ, sed posteà ab hæreticis alijsque adulteratæ, ut animadvertit Synodus Trullana Canone 2. de quo Theodorus Balsamon: *Secundus sextæ Synodi Canon earum lectionem prohibuit, quod in eis adulteratio facta est.* Idem liberè admittit Philippus Labbeus in observatione prævià ad tomum 1. Conciliorum: „ Licet in eo nævos quam plurimos reperiri, & ab „ hæreticis græculisque multa perperam inculcata, nonnulla adulte- „ rata atque corrupta, nemo paulò eruditior sit, qui non ultrò fatea- „ tur cum Baronio, Bellarmino, Perronio, Sirmondo, Petavio aliis- „ que Catholicis Tractatoribus, post Zonaram, Balzamonem, aliosque etiam Græcos.... „ Addit tamen statim posteà :„ Gabriel Al- „ baspineus libro 1. observationum capite 13. docet antiquissimas esse, „ multaque in illis excellentissima, & magni ponderis contineri: nec „ dubitare se, quin olim græcæ Ecclesiæ pro legibus, manuali, Pon- „ tificali, seu Rituali, ut vocant, codice fuerint, satisque constare, „ nihil in iis reperiri, quod Ecclesiasticæ quatuor primorum sæculo- „ rum disciplinæ consentaneum non sit; nemini quoque dubium esse „ debere, quin probus & antiquus liber sit; quique eas attentius le- „ gerit, eadem de illis, quæ de Canonibus Apostolorum judicaturum; „ additas videlicet decursu temporum primis novas, quemadmodum „ & novæ leges ac constitutiones in regimine Ecclesiæ novis occasio- „ nibus enatis factæ sunt. „ Hæc omnia ex Albaspineo Philippus Labbeus, qui & constitutiones S. Clementi affictas, non tamen disciplinæ ecclesiasticæ adversas ob antiquitatem operis exhibuit correctiores, tum clarissimorum virorum consilio, tum præcipuè illustrissimi ac Reverendissimi Petri de Marca Archiepiscopi Tolosani à Christianissimo Rege ad Archiepiscopatum Parisiensem anno 1662. 26. Februarij nominati, cujus hoc de constitutionibus judicium extat libro 3. de concordiâ, cap. 2. „ Sane Clementis Romani fœtum non esse, ita et- „ iam erudito scriptori, qui tertio saltem sæculo floruerit, vindican- „ dum omnibus hodiè persuasum esse video, cum in illo commenta- „ rio antiquæ disciplinæ satis expressa vestigia supersint. An verò eæ- „ dem sint cum iis, quarum Epiphanius meminit adversus hæresim „ Audianorum, uberius alias disputabitur. „ Hæc de Marca, post quæ finiendum duco cum iis quæ Ferdinandus Mendoza de confirmando

S. Epiphan.

Theodor. Balsamon.

Phil. Labbeus.

Gab. Albaspineus.

De Marca.

Concilio Illiberitano cap. 8. post laudata Clementis opera adjungit: „ " Constitutionibus Apostolicis ejusdem Clementis quædam à pietate Christianâ maximè aliena inserta fuisse ab hæreticis, sexta Synodus refert (act. 2.) de illis etiam quosdam suo tempore dubitasse recenset S. Epiphanius (lib. 3. contra Audianos) in apocrypha anteà retulit Eusebius. „

Ferd Mendoza.

CAPUT III.

De Canonibus, Conciliorum Illiberitani & Arelatensis primi, aliorumque Provincialium in Oriente celebratorum.

156. *Primis sæculis non scriptos Canones sed Traditiones fuisse in usu apud Ecclesias, & primos Ecclesiæ Patres hæreticos ad illas remittere consuevisse firmatur ex D. Ireneo, & Tertulliano.*

157. *Subsequentia sæcula expostulasse, ut Apostolica decreta ex Traditione in Canones redigerentur, quod primo Concilium Illiberitanum executioni mandavit, improbantibus ejus Canonibus Bellarmino, Baronio, & alijs.*

158. *Propugnatur Illiberitani Concilij authoritas ex summâ ejus antiquitate & maximâ Episcoporum eruditione & totius Hispaniæ consensu, quibus addit Concilium Suessionense legatos Romani Pontificis.*

159. *Canones quoque licet à Dionysio Exiguo, Ferrando, & Cresconio neglectos, non modo à posterioribus Canonum Collectoribus, sed ab initio fuisse receptos & per Osium Cordubensem in Arelatensi 1. Niceno, & Sardicensi Concilijs renovatos, uti & post Adrianum 1. ubique per Occidentem citatos, fusius ostenditur.*

160. *Canones certis peccatoribus communionem in fine denegantes non obesse authoritati huius Concilij, ostenditur ex Innocentio 1. ob cuius testimonium sententiam suam retractavit Baronius, neque illos Canones consentire Novatianis, ex S. Ambrosio de Novatianorum erroribus testante repetitur.*

161. *Neque ob Canonem, qui vetat picturas in Ecclesiâ, qui & latius exponitur à Mendozâ, & Gabriele Albaspineo.*

162. *Arelatense Concilium sub Silvestro Canones quoque edidisse, & illos ab Ecclesiâ receptos esse, paucis pertractatur.*

163. *Ecclesijs pietate Constantini à persecutione liberatis, etiam Orientales Episcopos*

topos in unum coadunatos cœpisse collapsæ disciplinæ editis Canonibus occurrere, patet ex Concilio Ancyrano, Neocæsareensi, Laodiceno, & Gangrensi, quorum Canones semper recepit Ecclesia.

156. EX duobus præcedentibus capitibus abundè constat, neque ab Apostolis, neque à Sancto Clemente Papâ conscriptos Canones Ecclesiæ relictos, utpotè qui ante medium tertij sæculi essent fidelibus ignoti, & solum à tempore Firmiliani per fideles collecti, quod tribus ferè sæculis Traditiones Apostolicæ oretenus receptæ custodiebantur à singulis Ecclesijs, ad quorum, non conscriptos Canones, sed Traditiones remittere solebant Catholici hæreticos, ut S. Ireneus Lugdunensis in Galliâ Episcopus libro 3. contrà Valentinianum, cap. 3. ubi cum ostenderet hæreticos à priscâ Apostolorum fide esse alienos. *Ad eam iterum Traditionem* (inquit) *quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesijs custoditur, provocamus eos, quoniam vero valde longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis Traditionem, & annuntiatam hominibus fidem & successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes confundimus omnes eos, qui quoquomodo vel sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt.* Ubi manifestum est videre, hæreticos eo tempore non convictos fuisse scriptis Apostolorum Canonibus, sed annuntiatis Apostolorum dogmatibus, quæ per Traditionem à succedentibus sibi præsulibus ad illud usque tempus custodiebantur in Apostolicis, præsertim Romanâ Petri, Ecclesijs. Unde & ad finem sæculi 2. Tertullianus Presbyter Carthaginensis libro de præscriptionibus hæreticorum, capite 36. *Age iam* (inquit) *qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ: percurrere Ecclesias Catholicas, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & representantes faciem uniuscuiusque. Proximè est tibi Achaia, habes Corinthum, si non longè à Macedoniâ, habes Philippos, habes Thessalonicenses, si potes in Asiam tendere, habes Ephesum, si autem Italiæ adiaces, habes Romam, statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* Ubi & vides præter epistolas ab Apostolis conscriptas, in Ecclesijs Apostolicis solam Apostolorum Doctrinam voce traditam, non Canonibus signatam contrà hæreticos urgeri à Catholicis, ut dicere possimus de disciplinâ Ecclesiæ ab Apostolis receptâ, quod D. Augustinus in materiâ

S. Ireneus.

Tertullian.

teriâ de non rebaptizandis hæreticis olim ingenuè testatus est, mutato solo consuetudinis nomine: Traditione *tenebatur Orbis terrarum.*

Augustin.

157. At sicut miseranda hominis conditio, quæ recenter excepit, memoriâ tenet, & facto exequitur, quæ autem diu tradita sunt, nisi scriptis mandet, & decretis renovet, vetustate corrumpantur, & corrupta vilescant: circa finem sæculi tertij refrigescente Christianorum charitate, & in deteriora labente circà disciplinam & dogmata ex priscâ Ecclesiæ consuetudine & Apostolorum Traditione observata, cœperunt variarum Provinciarum Episcopi, quæ ab antiquis receperant, congregati in unum decreto Synodico renovare, & ne hominum memoriæ excidant, sed impressa remaneant, in Canones redigere. Inter hos primum locum sibi meritò vendicare possunt Hispani Episcopi, qui in Concilio Illiberitano magno studio antiquas Ecclesiæ Hispanicæ Traditiones circà Cleri & fidelium disciplinam editis 81. Canonibus comprehenderunt, quos cum non solum Bellarminus, sed etiam complures Hispani Doctores tanquam erroneos à Dionysio Exiguo, Fulgentio Ferrando, Cresconio alijsque antiquis Canonum collectoribus neglectos fuisse docuissent, subsecutus eminentissimus Cardinalis Baronius tum ob Canones 1. 2. 3. aliosque communionem in fine quibusdam peccatoribus negantes (ac si Novatianorum erroribus accederent) tum ob Canonem 37. cultum imaginum minuentem, (ac si Iconoclastis faveret) Concilium Illiberitanum nullius authoritatis edixit. „ Porrò (inquit tomo 1. annal. ad annum 57.) „ Concilium illud in multis esse irritum, multa sunt, quæ manifestè „ declarant: pleraque enim in eo sunt, quæ sinceris Ecclesiæ Catho- „ licæ dogmatibus adversari videntur. „ Et post Baronium Bozius de signis Ecclesiæ tom.2. lib.15. cap.5. repetitis supradictis fundamentis concludens; „ nulla igitur illius fides. „

Baronius.

Bozius.

158. At movit horum auctorum de tam vetusto Ecclesiæ Hispanicæ Concilio (quod, ut habet cum Binnio & Bailio, Philippus Labbeus, anno 305. durante persecutione celebratum est) tam parum honorifica æstimatio Ferdinandum Mendozam virum ex Hispanis in antiquitate versatissimum, nec hoc sacrum antiquitatis monumentum sine Ecclesiæ injuriâ reiici aut improbari ratus, commentarium tribus libris distinctum de confirmando Illiberitano maximo omnium peritorum applausu, & approbatione Complutensis Academiæ anno 1594. edidit, ac Clementi 8. Romano Pontifici dedicavit. In quo auctor libro 1. capite 2. ostendit, ante persecutionem ortam Diocletiano 8.

Ferd. Mendoza.

&

& Maximiano 8. qui Consulatus in annum 303. incidit, hoc Concilium celebratum fuisse, adeoque esse omnium Conciliorum, quæ Canones ediderunt, antiquissimum, ut habet capite 3. nec verò ex solâ antiquitate venerationem mereri, sed ut ostendit capite 4. sequenti, etiam authoritatem summam haurire ex Episcoporum, qui adfuerunt, celeberrimâ eruditione & eximiâ apud veteres gravitate, quorum unus omnium tunc sanctorum Patrum & Synodorum ore celebratus Osius Cordubensis Episcopus, alius D. Valerius Cæsaraugustanus Episcopus & confessor, cujus vitæ sanctitas, & mirabilis in perferendo martyrio constantia illum & fastis Martyrum cælestiumque numero inseruit, & cum ipso (ut est verisimile) D. Vincentius martyr eximius ob religionis & sacrarum litterarum cognitionem perpetuus Valerij Comes, & ob ejusdem linguæ impedimentum interpres fidissimus. Insuper ex emendatione ejusdem Mendozæ, Felix Episcopus Accitanus, Sabinus episcopus Hispalensis, Synagius episcopus Agabrensis, Pardus episcopus Mentesanus, Cantonius episcopus Virgitanus, Melanthius episcopus Toletanus, Vincentius episcopus Ossonobensis, Succesus episcopus Eliocrotensis, Patricius episcopus Malacitanus, Camerinus episcopus Tuccitanus, Secundinus episcopus Castulonensis, Flavius episcopus Illiberitanus, Liberius episcopus Emeritanus, Decentius episcopus Legionensis, Ianuarius episcopus Salariensis, Quintianus episcopus Eborensis, & Eutichianus episcopus Bastitanus, cum quibus, ut habent acta, *residentibus etiam triginta sex Presbyteris, astantibus Diaconibus.* Quos ex omni Hispaniæ Provinciâ adfuisse scribit hujus libri 1, capite x1. Ferdinandus Mendoza, ut hoc Concilium exhibeat totius Hispaniæ judicium, cum nulla sit Regni Provincia, ex quâ aut Presbyter aut Episcopus non adventarit: quæ antiquissimorum 19. Episcoporum, 36. Presbyterorum, & plurium Diaconorum, uno verbo totius Hispaniæ authoritas licet vel sola sufficiat ad tutandam hujus Concilij Provincialis venerationem, in cumulum venit Concilium Suessionense tempore Hincmari Remensis in Galliâ celebratum, quod ad finem Canonis ultimi testatur, quæstionem inter Hincmarum & alios ibidem terminatam *Secundum Concilium Eliberitanum, quod actum est tempore Constantini cum missis Apostolicæ Sedis.*

Acta Illiberit.

Conciliũ Suession.

159. Ad objectionem 1. ex antiquis Canonum collectoribus petitam, reponit Mendoza lib. 1. cap. 4. & Gratianum, & Anselmum, & Ioannem Gallensem, & Ivonem Carnotensem & Burchardum Wor-

matiensem EpiscopumCanones Illiberitanos in authoritatem recipere, subditque: „ Dionysium verò cognomento Exiguum, Ferrandum „ Diaconum, & Cresconium, hæc omisisse non urget, quod magis „ ad Græcorum, quam Latinorum Conciliorum compilationem illi „ aspiraverint: & si aliquandò de Latinis meminerint, omiserunt alia „ multa, quæ fortasse ad eorum manus non potuerunt pervenire: „ quod mirum esse non debet in tantâ, quanta olim erat, codicum „ & librorum inopiâ.„ Ne verò de authoritate Canonum Illiberitanorum dubitetur, producit Osium ipsum, qui in Concilio Sardicensi Canone 14. intonat: *Memini autem, superiore Concilio fratres nostros constituisse, ut si quis laicus, in eâ, in quâ commoratur civitate, tres Dominicas dies, id est per tres septimanas, non celebrasset conventum, communione privaretur; si ergo hæc circà laicos statuta sunt, multò magis Episcopo nec licet, nec decet.* Hic autem per superius Concilium intellexisse Illiberitanum, & per fratres suos Hispanos Coëpiscopos, dicit Mendoza vel constare ex Canone 21. Illiberitano: *Si quis in civitate positus, tres Dominicas Ecclesiam non accesserit, tanto tempore abstineat, ut correptus esse videatur.* Nec hunc solum Canonem, sed & plures alios ab Illiberitano Concilio mutuavit Osius Cordubensis Episcopus, ac Concilio Arelatensi 1, Niceno, & Sardicensi inseruit, ut pluribus probat Mendoza ibidem. Post Osium non solum Canones suspectos ab Innocentio primo fuisse justificatos, ut infrà videbimus, sed & ab Adriano 1. inter capitula Metensi Episcopo collatum fuisse Canonem 52. Illiberitanum, *hi qui inventi fuerint, libellos famosos in Ecclesia ponere, anathematizentur.* Sub capite 63. his verbis: *Si qui inventi fuerint libros famosos legere vel cantare, excommunicentur.* Et Canonem 75. Illiberitanum de falsis Episcoporum, Presbyterorum, aut Diaconorum criminatoribus sub capite 62. iisdem Concilij Illiberitani verbis exhibuit: *Si quis Episcopum aut Presbyterum, aut Diaconum falsis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei esse communionem.* Idem imitatum est Concilium Wormatiense in Germania anno 868. quod Canonem suum 39. ab Illiberitano de verbo ad verbum mutuavit, Concilium Suessionense in Galliâ, quod Concilium hoc magnificè laudavit, & juxtà ipsius Canonem quæstiones composuit, ut vidimus suprà. Concilium Moguntinum sub Rabano Archiepiscopo anno 857. Canone 2. *Item in Concilio Elíberitano cap. 63. scriptum est de his, quæ filios ex adulterio necant &c.* Aliud Concilium Moguntinum sub Arnulpho Rege celebratum anno 888. quod pariter Canone 26. Concilium Illiberitanum innovat,

Mendoza.

Osius in Sardicensi Concilio.

Can. 21. Illiber.

Adrianus 1

Concilium Wormatiense.

Concilium Suessionense.

Concilium Moguntinum anno 857.

Aliud Moguntinum anno 888.

De virginibus (inquit) *si mœchatæ fuerint, statuimus, sicut in Concilio Illiberitano cap.13. scriptum est.* Quid producam Concilium Coloniense 3. sub Carolo 3. Imperatore canone 6. Burchardum Wormatiensem Episcopum, Ivonem Carnotensem, aliosque complures ad hæc usque tempora canonum collectores, qui abundè Dionysij Exigui, Fulgentij, & Cresconij defectum supplevere.

Concilium Colon. 3. Burchard. Wormat. Ivo Carnotensis,

160. Ad secundam objectionem ex canone 1. aliisque communionem in fine ob certa delicta denegantibus, respondet Gabriel Albaspineus Aurelianensis Episcopus, ab hoc Concilio nihil simpliciter statui de lapsis, quorum causâ tempore D. Cypriani fuit soluta, sed de lapsis apostatis, de quibus nihil fuerat antecedenter statutum, sicque habere locum, quod post D. Cornelium Papam hoc Illiberitanum Concilium de alijs quam simpliciter lapsis statuerit, negandam in fine communionem, uti & Arelatense primum cap.23. *De his qui apostatant, & antequam se ad Ecclesiam repræsentent, ne quidem Pœnitentiam agere quærunt, & posteà in infirmitate correpti petunt, eis non dandam communionem.* Idem renovavit Sardicense Concilium canone 2. de iis, qui ut ex proprijs Ecclesijs ad alias ascenderent, simulatum earum officium & literas invitantes confingunt, *ita ut nec laicam in fine communionem talis accipiat.* Idem de aliis delictis statutum, posset ostendi ex varijs post Sardicense Concilijs, at succedentibus temporibus rigorem Ecclesiasticum in iis potius mitigatum, hâc ratione excusat Innocentius primus epistolâ ad Exuperium Episcopum Tolosanum: *Et hoc quæsitum est, quid de his observari oporteat, qui post Baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ Pœnitentiam simul, & reconciliationem communionis exposcunt. De his observatio durior, posterior interveniente misericordiâ inclinatior est: nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur iis Pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas, homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu, negata meritò communio est, concessa Pœnitentia, ne totum penitus negaretur: & duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesijs suis reddidit, iam depulso errore communionem dari obeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam, quasi viaticum profecturis, ne Novatiani hæretici negantis veniam, asperitatem, & duritiam subsequi videamur.* Quæ verba Innocentij primi adeò perspicua sunt in defensionem Illiberitani Concilij tempore persecutionis celebrati, ut approbante D. Bailio tomo 2. Conciliorum ipse Baronius priori retractatâ opinione senserit: „ Hanc Synodum legitimam fuisse, atque ab omni erro-

Canon 23. Arelatens.

Canon 2. Sardicensis.

Innocent. I

Baronius.

„ erroris culpâ liberam. „ Et reverà Baronium ex laudatis verbis Innocentij tomo 2. ad annum 305. n. 42. mutasse sententiam, lucet ex his testimonio Innocentij subjunctis à Baronio verbis: „ Cum, quæ „ ab illis (Patribus Illiberitanis) eâ de re sunt statuta, ab Innocentio „ Romano Pontifice excusentur, nemo sit, qui accusare præsumat. „ Additque, hos canones de solâ communionis negatione statuentes, non coincidere cum dogmate Novatiano, quod & ipsam Pænitentiam vel absolutionem lapsis negabat, quam retractationem mirè in Baronio extollit Ferdinandus Mendoza, ac contrà Bellarminum exinde hos canones ab errore Novatianorum meritò vindicavit, qui magis vindicari possunt non solum, quod illi veniam negabant, ut testatur Innocentius, sed etiam claves Ecclesiæ ad horum peccatorum remissionem abjudicabant, ut habet divus Ambrosius libro 1. contrà Novatianos, capite 6. *Claves Regni cælorum non suscipiunt.* Undè Baptismum non Pænitentiam admittentes refellit capite 7. *Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? in Baptismo utique remissio peccatorum omnium est. Quid interest, utrum per Pænitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum vendicent Sacerdotes?*

Baronius.

Ambrosius

Can. 37. Illiberit.

161. Demum ad canonem 37. *Placuit picturas in Ecclesiâ esse non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur:* ac si Iconoclastis faveat, multis respondet Ferdinandus Mendoza libro 3. cap. 5. qui rectè observat, nondum exortis hæreticis sanctarum imaginum cultum impugnantibus, contrà gentiles, qui Deos suos corporeos fingebant, & varijs formis ac figuris exprimebant, statuisse de picturis solius Dei, ut colligitur ex his canonis verbis, *ne quod colitur, & adoratur.* Quæ cultum latriæ soli Divinitati competentem insinuant, hoc autem tunc temporis statuere potuisse: „ Ne (inquit Mendoza) vesano ethnicorum errore putarent vel ipsæ gentes, vel Catholici simpliciores, „ Deum nostrum verum, æternum, & invisibilem, ut quid corporeum idolorum stultâ imitatione pingi debere aut posse, ideo imagines invisibilis Dei in Ecclesijs pingi Hispani Episcopi interdixerunt. „ Subscribit Albaspineus Aurelianensis Episcopus in notatione ad canonem 36. „ De picturis & tabulis, non verò de signis aut „ statuis hic agitur: & de picturis quidem, non quibus sancti & Martyres, sed quibus Deus ipse ipsaque Trinitas repræsentaretur: illi „ siquidem non adorantur. Vetant igitur Deum in parietibus depingi, ne scilicet quem gentilibus ac cathecumenis immensum, omnipotentem, invisibilem, æternum, incomprehensibilem, spiritualem, corpo-

Mendoza.

Albaspineus.

„ corporis & coloribus circumscriptum & comprehensum cernerent. „ Ne igitur Divini Numinis Majestas minueretur, & aliud de Deo „ depingeretur, quam prædicarent, & quem suprà homines extolle- „ rent, humanâ specie depictum oculis obiicerent; vetant ne in Ec- „ clesijs Dei imagines suspendantur: hæc ad sanctorum imagines nul- „ latenus pertinent. „ Huc usque Albaspineus, qui & in plures Synodi Illiberitanæ canones commentarios edidit, sed præcipuè Ferdinandus Mendoza, qui omnes 80. & unum canones hujus Concilij adeò feliciter illustravit, ut & illos tanquam antiquitatis & priscæ Ecclesiæ ac Apostolicæ Traditionis monumentum apud peritos omnes confirmarit.

162. Facilius me expediam à canonibus Concilij Arelatensis primi utpote à Synodo editis, quam in superioribus fusè illustravimus, & cujus Patres ex toto Occidente adunati post decisam Donátistarum causam, ad quam unicè à Constantino convocati erant, collapsæ quodammodo Ecclesiæ disciplinæ editis canonibus 22. subveniendum duxerunt. *Non tamen hæc sola* (de Donatistis nimirum scribunt ad S. Silvestrum in Synodicâ hujus Concilij) *nobis visa sunt tractanda, Frater carissime, ad quæ fueramus invitati. Sed & consulendum nobis ipsis censuimus: & cum diversæ sint Provinciæ, ex quibus advenimus, ita & varia contingunt, quæ nos censemus observare debere.* Quod nimirum durante Imperatorum tyrannide fieri non poterat, hoc donante Constantini pietate cum Episcopi ex toto Occidente obtinuissent, ut anno 314. in unum coacti de rebus Ecclesiæ statuendi tempus haberent, occasionem hanc nacti Patres, singularum Provinciarum mores & Traditiones indagare cœperunt, ac quorumdam abusus aut hominum nequitiâ, aut temporum vetustate irrepsisse animadvertentes, communes regulas judicio S. Silvestri Papæ probatas, non solum Occidenti sed per Orbem ab eodem promulgandas constituerunt. Horum primus, ut uno die & tempore Pascha celebretur, renovatus est in Concilio primo Nicæno, ut testis est Eusebius in vitâ Constantini, alij plures in alijs Synodis, quorum authoritatem non solum admisisse videtur Concilium Arelatense 2. circa tempus Siricij Papæ coactum, sed etiam sæpius contra Donatistas urget Augustinus, tam eos refellens ex judicio contrà Donatum lato, quam sub nomine Transmarini Concilij ex eorum de rebaptizatione hæreticorum in canone 8. damnato errore, ut meritò posteriores canonum collectores hosce in angulo latitantes pristino nitori restituerint, & authoritatem eorum post Ivonem Carnoten-

Patres Arelatenses.

Arelat. 2.

Augustin.

Ivo Carnotensis.

„ erroris culpâ liberam. „ Et reverà Baronium ex laudatis verbis Innocentij tomo 2. ad annum 305. n. 42. mutasse sententiam, lucet ex his testimonio Innocentij subjunctis à Baronio verbis: „ Cum, quæ „ ab illis (Patribus Illiberitanis) eâ de re sunt statuta, ab Innocentio „ Romano Pontifice excusentur, nemo sit, qui accusare præsumat. „ Additque, hos canones de solâ communionis negatione statuentes, non coincidere cum dogmate Novatiano, quod & ipsam Pænitentiam vel absolutionem lapsis negabat, quam retractationem mirè in Baronio extollit Ferdinandus Mendoza, ac contrà Bellarminum exinde hos canones ab errore Novatianorum meritò vindicavit, qui magis vindicari possunt non solum, quod illi veniam negabant, ut testatur Innocentius, sed etiam claves Ecclesiæ ad horum peccatorum remissionem abjudicabant, ut habet divus Ambrosius libro 1. contrà Novatianos, capite 6. *Claves Regni cælorum non suscipiunt.* Undè Baptismum non Pænitentiam admittentes refellit capite 7. *Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? in Baptismo utique remissio peccatorum omnium est. Quid interest, utrum per Pænitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum vendicent Sacerdotes?*

Baronius.

Ambrosius

Can. 37. Illiberit.

161. Demum ad canonem 37. *Placuit picturas in Ecclesiâ esse non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur:* ac si Iconoclastis faveat, multis respondet Ferdinandus Mendoza libro 3. cap. 5. qui rectè observat, nondum exortis hæreticis sanctarum imaginum cultum impugnantibus, contrà gentiles, qui Deos suos corporeos fingebant, & varijs formis ac figuris exprimebant, statuisse de picturis solius Dei, ut colligitur ex his canonis verbis, *ne quod colitur, & adoratur.* Quæ cultum latriæ soli Divinitati competentem insinuant, hoc autem tunc temporis statuere potuisse: „ Ne (inquit Mendoza) vesano eth„ nicorum errore putarent vel ipsæ gentes, vel Catholici simpliciores, „ Deum nostrum verum, æternum, & invisibilem, ut quid corpo„ reum idolorum stultâ imitatione pingi debere aut posse, ideo ima„ gines invisibilis Dei in Ecclesijs pingi Hispani Episcopi interdixe„ runt. „ Subscribit Albaspineus Aurelianensis Episcopus in notatione ad canonem 36. „ De picturis & tabulis, non verò de signis aut „ statuis hic agitur: & de picturis quidem, non quibus sancti & Mar„ tyres, sed quibus Deus ipse ipsaque Trinitas repræsentaretur: illi „ siquidem non adorantur. Vetant igitur Deum in parietibus depin„ gi, ne scilicet quem gentilibus ac cathecumenis immensum, omni„ potentem, invisibilem, æternum, incomprehensibilem, spiritualem,

Mendoza.

Albaspineus.

corpo-

„ corporis & coloribus circumscriptum & comprehensum cernerent.
„ Ne igitur Divini Numinis Majestas minueretur, & aliud de Deo
„ depingeretur, quam prædicarent, & quem suprà homines extolle-
„ rent, humanâ specie depictum oculis obiicerent; vetant ne in Ec-
„ clesijs Dei imagines suspendantur: hæc ad sanctorum imagines nul-
„ latenus pertinent. „ Huc usque Albaspineus, qui & in plures Synodi Illiberitanæ canones commentarios edidit, sed præcipuè Ferdinandus Mendoza, qui omnes 80. & unum canones hujus Concilij adeò feliciter illustravit, ut & illos tanquam antiquitatis & priscæ Ecclesiæ ac Apostolicæ Traditionis monumentum apud peritos omnes confirmarit.

162. Facilius me expediam à canonibus Concilij Arelatensis primi utpote à Synodo editis, quam in superioribus fusè illustravimus, & cujus Patres ex toto Occidente adunati post decisam Donátistarum causam, ad quam unicè à Constantino convocati erant, collapsæ quodammodo Ecclesiæ disciplinæ editis canonibus 22. subveniendum duxerunt. *Non tamen hæc sola* (de Donatistis nimirum scribunt ad S. Silvestrum in Synodicâ hujus Concilij) *nobis visa sunt tractanda, Frater carissime, ad quæ fueramus invitati. Sed & consulendum nobis ipsis censuimus: & cum diversæ sint Provinciæ, ex quibus advenimus, ita & varia contingunt, quæ nos censemus observare debere.* Quod nimirum durante Imperatorum tyrannide fieri non poterat, hoc donante Constantini pietate cum Episcopi ex toto Occidente obtinuissent, ut anno 314. in unum coacti de rebus Ecclesiæ statuendi tempus haberent, occasionem hanc nacti Patres, singularum Provinciarum mores & Traditiones indagare cœperunt, ac quorumdam abusus aut hominum nequitiâ, aut temporum vetustate irrepsisse animadvertentes, communes regulas judicio S. Silvestri Papæ probatas, non solum Occidenti sed per Orbem ab eodem promulgandas constituerunt. Horum primus, ut uno die & tempore Pascha celebretur, renovatus est in Concilio primo Nicæno, ut testis est Eusebius in vitâ Constantini, alij plures in alijs Synodis, quorum authoritatem non solum admisisse videtur Concilium Arelatense 2. circa tempus Siricij Papæ coactum, sed etiam sæpius contra Donatistas urget Augustinus, tam eos refellens ex judicio contrà Donatum lato, quam sub nomine Transmarini Concilij ex eorum de rebaptizatione hæreticorum in canone 8. damnato errore, ut meritò posteriores canonum collectores hosce in angulo latitantes pristino nitori restituerint, & authoritatem eorum post Ivonem Carnoten-

Patres Arelatenses.

Arelat. 2.

Augustin.

Ivo Carnotensis.

notensem Episcopum aliosque in memoriâ posteritatis renovarint; quam olim in Ecclesia habuerunt, utpotè ab iis Patribus editos, & ab illo sancto Pontifice probatos, de quibus Constantinus in epistolâ ad Patres ipsos Arelatenses post Synodum: *Dico enim, ut se veritas habet, Sacerdotum judicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens judicet. Nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud judicare, nisi quod Christi magisterio sunt edocti.*

Constantinus.

163. Constantini itaque in Christianos benevolentiâ, cùm post persecutiones gentilium & novissimam Maximini tyrannidem, Christi in terris Ecclesia pace gauderet, non solùm in Occidente, sed & partibus Orientis Catholici Episcopi in unum convenientes hoc eodem anno 314. in Galatiæ Provinciâ civitate Ancyrâ Concilium celebrarunt; cui cum Vitali Antiocheno Episcopo interfuere alij septemdecim Episcopi Orientis ex Palestinâ, Ciliciâ, Cappadociâ, Ponto, Armeniâ, alijsque Provincijs, qui 24. canones ediderunt, præcipuè de lapsis recipiendis ad Pœnitentiam & ad Sacramenta, uti & de alijs ad disciplinam spectantibu, quos Canones Ecclesia semper recepit, uti & Canones 14. Neocæsareenses sub eodem Vitali Antiocheno cum pluribus Asiæ Episcopis, ut quidam volunt hoc eodem anno 314, post Ancyranum ad ulteriorem disciplinæ Ecclesiasticæ reformationem statutos. De quibus Synodis in Concilio Florentino sessione 7. Rhodiensis Episcopus: *Ante primam Synodum multa aliæ Synodi celebratæ sunt; Antiochiæ adversus Paulum Samosatenum; Ancyræ contrà eos, qui non suscipiebant accedentes ad fidem, quod prius Christum abnegassent propter tormenta, & Neocæsareæ tertia: quas omnes Synodos recepit Synodus Nicena; licet quædam à Neocæsareensi sancita visa fuerint minimè suscipienda, quæ scilicet de septem Diaconis statuta erant.* Non meminit Rhodiensis Episcopus canonum Laodiceni Concilij, quod incertum sit, an ante tempora Concilij Nicæni fuerit celebratum. Binnius quidem in annotationibus illud tempore medium statuit inter Neocæsareensem & Nicænam Synodum universalem, quando Silvester Pontificatum Ecclesiæ Catholicæ administraret, at Philippus Labbeus in notis marginalibus: „" Alij quippe rectius sub Liberio circà annum 364. aut 357. alij denique sub Damaso 367. collocant. „ Quidquid sit, hoc Concilium Laodiceæ in Phrygia celebratum sub Nunechio Phrygiæ Metropolitâ cum 32. Episcopis Canones 59. constituit, quos Ecclesia Catholica omnimodè approbavit. Uti & Gangrensis Synodi Canones 20. à 16. Episcopis circà annum 324. constitutos.

Canones Ancyrani.

Canones Neocæsareens.

Episcopus Rhodiensis

Binnius.

Labbeus.

CAPUT

CAPUT IV.

De Canonibus Sacrosancti Concilij Nicæni, & quid de Arabicâ versione?

164. *Status quæstionis de numero Canonum Synodi Nicænæ olim mota inter Africanos Episcopos & Romanos Pontifices, nunc renovata occasione Canonum Arabicorum.*

165. *Plures quam 20. Canones editos fuisse, ex epistola Athanasii ad Marcum & Marci ad Athanasium plures voluere eruditi, inter quos Turrianus adductos ex Oriente Canones Arabicos edi procuravit, & recexcusit Abrahamus Ecchelensis numero 84.*

166. *Solum 20. Canones fuisse à Patribus Nicænis statutos, indubitatum manet ex iis, quæ Concilia Africana cum Apostolicæ Sedis Præsulibus hac de re egerunt, ac confirmant Ruffinus, Theodoretus, Gelasius Cyzicenus, Ioannes Scholasticus, Isidorus Mercator, & Hincmarus Remensis ex priscâ Ecclesiæ sententiâ.*

167. *Ex dictis apparet falsò 84. Arabicos Canones sub nomine Nicænorum circumferri, idque ulterius firmatur ex eo, quod Canones Arabici habeant aliqua Canonibus & statutis Nicænis contraria.*

168. *Non omnes tamen hos Canones auctoritate destitutos esse, evincunt eorum antiquissima exemplaria, tam in Oriente quàm Occidente extantia, & ab Abrahamo Ecchelensi producta.*

169. *Displicet tamen hanc Canonum Nicænorum collectionem attribui Iacobo Nisibensi Episcopo, qui Concilio Nicæno interfuit, cum ex statutis supposititijs colligatur circà tempus Iustiniani Imperatoris fuisse elucubratam.*

170. *Elucubratam fuisse hanc collectionem non solùm ex Canonibus 20. Nicænis, sed etiam ex actis ipsius Synodi, facilè colligitur ex iis, quorum Patres meminerunt de statutis Nicænis in Canonibus Arabicis extantibus.*

171. *Non continent tamen cuncta, quorum veteres meminere, unde & ex Isidoro Mercatore, & Gelasio Cyziceno de ingenti actorum multitudine testantibus, acta Nicæna deperdita deplorantur.*

164. DE omni Orbe per Constantinum Imperatorem convocatis Episcopis, ut duas potissimum Ecclesiasticas controversias sopirent, quorum prima per Arium excitata de Christi Divinitate, secunda olim inter Polycratem Ephesinum & Victorem Pontificem

agitata quæstio nunc renovata discordiam Ecclesiarum excitabat de observando paschatis die. Comparuere citati ex omni Orbe Episcopi in Nicænâ Bythiniæ civitate anno Christi 325. & sopitis duabus hisce controversijs, in novissimâ sessione Synodicâ canones ediderunt, de quorum numero antiquissima est inter Ecclesiam Africanam & Romanos Pontifices contestatio, nunc occasione canonum ex Arabicâ versione resuscitata. Enimverò cum videamus apud plerosque sanctos Patres constitutionum Nicænarum fieri mentionem, quæ non reperiuntur in vulgatis 20. canonibus, dubitatum fuit à peritis, num Patres Nicæni alios ediderint, qui temporis injuriâ naufragium passi ad nos non pervenerunt?

165. Plures quam 20. editos fuisse canones extat in epistolâ sub nomine Athanasij & Ægyptiorum Episcoporum ad Marcum Pontificem conscriptâ, in qua Alexandrinus Episcopus: *Præsentibus nobis octoginta capitula in memoratâ tractatâ sunt Synodo, scilicet 40. à Græcis, Græcâ edita linguâ, & quadraginta à Latinis, similiter Latinâ edita linguâ.* Addit posteà decreto 318. Patrum Nicæna hæc capitula in 70. canones redacta, à se Alexandriam allata, sed Arianorum invidiâ fuisse combusta, ideoque supplicatur hisce litteris, ut ea ex scrinio Pontificio desumpta ad se transmitteret, cui reponit Marci epistola: *Diligenter requirentes, in sancto nostræ & Apostolicæ Sedis scrinio, eadem, quæ sanctæ recordationis Prædecessori meo Silvestro sunt directa, septuaginta (sicus significastis) capitula illæsa invenimus. Ipsa enim vobis propter auctoritatem & subscriptionem tantorum Patrum, & eius magni Concilij misimus, sed pro eijdem coram Apocrisarijs vestris alia similia, eundem numerum, eademque verba, & ipsam subscriptionem continentia vobis rescribere, & sub certa stipulatione, & confirmatione mittere curavimus.* 70. hosce canones ex 80. capitulis collectos à Patribus Nicænis legerat Franciscus Turrianus, & à Ioanne Baptista Romano Societatis Jesu Presbytero, Socio Roderici Hispani, qui à Pio 4. Alexandriam missus erat, allatos ex antiquo exemplari Arabico Bibliothecæ Patriarchæ Alexandrini 80. canones Nicænos cum accepisset, putavit sese invenisse canones illos Nicænos, quos viri eruditi tam anxiè quærebant, & D. Athanasij epistola ad Marcum aliquando 80. extitisse testata erat. Hinc egit pro versione, & ab Alphonso Pisano edi permisit inter illa, quæ de actis Concilij Nicæni typis mandavit. Huic primæ editioni post accuratiorem canonum versionem & ad exemplar Arabicum in Bibliothecâ Marcelli inventum recognitionem successit secunda editio ipsius Turriani cum præfatione

D. Athanasius.

Marcus Papa.

Turrianus.

Canones Arabici.

&

& notis in canonum confirmationem, quæ tomis Conciliorum inseruerunt Nicolinus, Binnius, & Collector Regius. Demum accessit alia versio Abrahami Ecchelensis natione Maronitæ longè amplior, in qua 84. canones Nicæni cum multis ejusdem Synodi statutis ex pluribus tam Orientis, quam Occidentis Arabicis, Syriacis, Æthiopicis, & Chaldaicis exhibentur codicibus, ut videre est in eiusdem Abrahami Ecchelensis subiunctâ dissertatione, quam cum reliquis statutis & canonibus 84. nunc primum publicavit Philippus Labbeus Societatis JESU Theologus tomo 2. collectionis maximæ Conciliorum.

Abrahamus Ecchelensis.

166. Huic contraria sententia, quæ solum 20. canones admittit, est longe antiquior, & veritati conformior: quod enim de Athanasio & Marco Pontifice refertur, est suppositītium, & ab antiquitatis monumentis alienum. Enimverò cum tempore D. Augustini inter Africanos controversia exorta esset de numero canonum Nicænorum ob aliquos citatos de appellationibus, qui inter 20. non extabant, dixit omne Concilium Carthaginense 6. ad Aurelium Carthaginensem Primatem: *Exemplaria fidei & statuta Nicana Synodi, qua ad nostrum Concilium per beata recordationis olim Pradecessorem tua Sanctitatis, qui interfuit, Cacilianum Episcopum allata sunt.* Post quæ notarius citavit ex illo Codice professionem fidei à Nicæno editam, & subdit codex Ecclesiæ Africanæ: *Statuta quoque Nicani Concilij in* 20. *capitulis similiter recitata sunt.* Ubi manifestum est, exemplar Cæciliani Carthaginensis Episcopi, qui Concilio Nicæno adfuerat, tantum habuisse 20. canones. Etiam missa legatio ad archiva Ecclesiæ Alexandrinæ, Antiochenæ, atque Constantinopolitanæ, sanctusque Cyrillus Alexandrinus, ac Atticus Constantinopolitanus Episcopus solum viginti ex authenticis Synodi Nicænæ actis miserunt, unde Concilium Africanum ad Papam Cælestinum: *Illud, quod pridem per eundem Coëpiscopum nostrum Faustinum, tanquam ex parte Nicani Concilij exinde transmisistis: in Concilijs verioribus, qua accipiuntur Nicana, à S. Cyrillo Coëpiscopo nostro Alexandrina Ecclesia & à venerabili Attico Constantinopolitano Antistite, ex authentico missis, qua etiam ante hoc per Innocentium Presbyterum & Marcellum subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, venerabilis memoria Bonifacio Episcopo Pradecessori vestro, à nobis transmissa sunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire.* Et reverà ultrà 20. canones citatos alios per Sedis Apostolicæ legatos, etiam Zozymus, Bonifacius, & Cælestinus Romani Pontifices ab Afris instantissimè rogati alios non leguntur protulisse. Ruffinus Presbyter Aqui-

Conc. Carthag. 6.

Codex Ecclesiæ Africanæ.

Concilium Africanum

S. Cyrillus Alexand. AtticusCōstant.

Zozymus. Bonifacius Cælestinus

Ruffinus. Aquileiensis libro 1. cap. 22. allegat 22. Canones, sed duos bipartitur, ut solos 20. vulgares exhibeat. Omnium clarissimè testimonia reddunt Theodoretus libro 1. cap. 8. *Episcopi rursus in Concilium convenientes de administratione Ecclesiastica Canones viginti conscripserunt.* Gelasius Cyzicenus anno 477. qui librum Dalmatij Cyzicenorum Metropolitæ olim de actis huius Synodi conscriptum perlegerat, libro 2. cap. 30. in fine: *Ediderunt autem & Ecclesiasticos canones 20. in Nicena Synodo.* Dionysius Exiguus ex antiquo Canonum Græcorum Codice, ubi tantum 20. extabant, & solos 20. latinitate donavit. Idem planè Ioannes Scholasticus in collectione Canonum dicens in præfatione, Nicænum statuisse 20. *Canones.* Post quem non solùm Isidorus Mercator, sed & Latina Ecclesia tantum 20. canones agnovit, ut contrà Hincmarum Laudunensem probat Hincmarus Metropolita Remensis, argumento etiam desumpto ex Canonum codice, quem, inquit Lupus, passim dicimus Ecclesiæ universæ, ex quo in Synodo Chalcedonensi Actione XI. citantur Canones nonagesimus quintus & nonagesimus sextus, id est 16. ac 17. Antiocheni, qui istius numeri locum obtinere non poterant, si plures Nicæni fuissent, quam 20. unde rectè Hincmarus: *Veterum auctoritas veraci attestatione confirmat, non plura fuisse Nicæni Concilij Capitula, quam illa, quæ ex antiqua consuetudine Catholica tenet, & veneratur Ecclesia.*

Theodoret. Gelasius Cyzicenus. Dionysius Exiguus. Ioannes Scholastic. Isidorus Mercator. Codex antiquus græcorum Canonum. Hincmarus Remensis.

167. Ex his abundè apparet; falsò Canones Arabicos 80. aut 84. sub nomine Canonum Nicænorum circumferri, unde & D. Bail Doctor Parisiensis tomo 1. summæ Conciliorum post citatos 20. Canones Nicænos hæc addit „ De 80. Arabicis: illos præterimus ut supposititios. Quod nobis magis persuadet lectio 36. Canonis, qui plus „ statuit de Patriarchâ Alexandrino, quàm statutum fuisse narratur „ in epistolâ Concilij ad Ecclesias Ægypti. „ Enimverò Canone 36. constituitur Episcopus Æthiopicus sub Alexandrino, ut & Alexandrino Patriarchæ in Æthiopiâ jus ordinandi videatur attribuere, sed de causa Meletij dumtaxat in re ad Ecclesiam Alexandrinam spectante à Concilio Nicæno statutum fuisse, habet epistola Synodica ad Ecclesiam Alexandrinam conscripta: postquam enim Patres ibidem tumultus à Meletio excitatos & datam desuper Synodi sententiam exposuissent, addunt continuò: *Hæc sunt, quæ ad Ægyptum & sanctissimam Ecclesiam Alexandrinam propriè & separatim pertinent.* Clariùs infirmantur hi Canones Arabici ex 37. subsequenti, ubi de electione Archiepiscopi Cypri ut Patriarchæ Antiocheno subjecti statuitur: enimverò in

Bailius. Synodica Nicæni.

sacro-

sacrosancto Ephesino Concilio anno 431. sub S. Cælestino Pontifice & D. Cyrillo Alexandrino Patriarchâ mota est quæstio inter Patriarcham Antiochenum & Constantiensem Cypri Metropolitam, contendente Patriarchâ Antiocheno sibi jus ordinationum competere, negante verò Constantiensi Metropolitâ Rhegino, qui cum alijs Cypri Episcopis in libello Synodo Ephesinæ oblato reponunt, id esse contrà Apostolicos Canones, & Definitiones sanctissimæ Nicænæ Synodi, vel ut infrà: *Præter Ecclesiasticos Canones & Constitutiones expositas à sanctissimis Patribus in Nicæâ congregatis.* Constitutum autem Nicænum non particulare, sed Generale illud Canonis sexti (*suis privilegia serventur Ecclesijs.*) Hic solum intellexisse, rectè animadvertis Christianus Lupus parte 1. ad Canonem Ephesini Concilij hac de re editum, & manifestè insinuat ipsum Ephesinum Concilium, quod reposuit: *Memor sit sancta Synodus Canonis sanctorum Patrum in Nicæâ congregatorum, qui conservat unicuique Ecclesiæ priscam dignitatem.* En ipsum Concilium, quod verba Canonis sexti jam citata clarissimè assumit, & ex iis dumtaxat controversiam Ecclesiarum Cypri & Antiochiæ decidendam existimat, quod nullatenus sensisset Concilium, si specialis Canon de Ecclesia Cypri, qui de facto inter Arabicos reperitur 37, extitisset. Ut vero planum fiat, Concilium Ephesinum non agnovisse hunc Canonem Arabicum, vel exinde lucet clarissimè, quod hic Canon Arabicus statuat Cypri Archiepiscopum à Patriarcha Antiocheno ordinandum, Concilium vero Ephesinum abjudicet Patriarchæ Antiocheno jus ordinandi Cypri Metropolitam, illud adjudicans ipsis suffraganeis *secundum canones sanctorum Patrum & veterem consuetudinem, per se ipsos ordinationes religiosissimorum Episcoporum facientes.* Non hic disputo an Episcopi Cypri obrepserint Synodo, allegando antiquam ab Apostolorum temporibus consuetudinem, ut Salaminensis seu Constantiensis Metropolita à Cypri suffraganeis ordinaretur, sed sufficit, quod Patres Ephesini & Cyrillus Patriarcha Alexandrinus non agnoverint Nicænum Canonem aut statutum inter Arabicos canones exhibitum ordine 37. Neque solum ex hoc capite improbari possunt Canones Arabici, accedit enim can. 33. qui juxtà antiquam Turriani versionem sic intonat: *Patriarcha sit in Civitate Regia, ut sit honori ipsi & Regi, & alijs simul Presbyteris. Honoretur etiam Episcopus Æliæ plusquam alij Episcopi, quia ipse residet in sancta Civitate unde Crux Domini Dei nostri cœpit & ubi est locus judicij. Honoretur quoque similiter Sedes Seleuciæ &c.* Hæc verò ita se habent in nova versione Canonum Abrahami Ecchelensis: Canone 38. *Transferatur Patriarchatus*

Rheginus. | Canon 6. Nicen. | Concilium Ephesin. | Concilium Ephesin. | Can. 33. Arab. | 33. Canon novæ versionis.

chatus Ephesi ad urbem regiam, ut honor sit regno, & sacerdotio simul, & honoretur Episcopus eius nempe Ephesi, nec parvipendatur propter translationem Patriarchatus eius, honoreturque nomine Primatis, scilicet Catholici, neque etiam subiiciatur Episcopus Ierosolymorum alijs Episcopis, sed honoretur, & in veneratione habeatur, quia praeest sanctæ civitati, & in potestate eius Crux Christi est, & locus illius resurrectionis. Honoretur quoque Dominus Sedis Seleutiæ &c. Hæc illi canones, sed quantum à mente & vetustate Synodi Nicænæ alieni, produnt nomen Patriarchatus, quod tunc nondum innotuerat, & Episcopatus Ierosolymitanus, quem, tantum abest, per Concilium Nicænum ab omni aliorum Episcoporum subjectione fuisse exemptum, ut canon septimus Nicænus salvam velit Metropolitano propriam authoritatem, quod D. Hieronymus ita interpretatur, ut Ierosolymitanus Episcopus subsit Episcopo Cæsareensi Palestinæ tanquam proprio Metropolitæ: demum Patriarchatus Ephesinus in Regiæ civitatis Episcopatum transcriptus, quod ne quidem in Concilio Constantinopolitano integro post Nicænum sæculo statutum fuit, vel si incepta fuerit talis translatio, hoc contrà canones Nicænos omninò statutum est, ut Sedes Apostolica toties exclamavit contrà Sedis Constantinopolitanæ ambitum. Quid addam de canone 37. inter illos, quos vertit Abrahamus Ecchelensis. *Et sicut Patriarchæ in universo mundo quatuor tantum, quemadmodum sunt Scriptores Evangelij quatuor, & flumina quatuor, & elementa mundi quatuor, & anguli quatuor, & venti quatuor, & compositio hominis quatuor, quoniam hisce quatuor universus constituitur orbis. Et sit princeps ac præpositus ipsis Dominus Sedis Divi Petri Romæ, sicut praeceperunt. Post illum vero Dominus magnæ Alexandriæ & est Sedes Marci, Tertius verò Dominus Ephesi, & est Sedes Ioannis Theologi Divina eloquentis, quartus tandem Dominus Antiochiæ, & est Sedes Petri quoque. Et dividantur omnes Episcopi sub manibus horum quatuor Patriarcharum.* Quis non videt, hunc canonem contrà Nicænum Concilium & omnem antiquitatem, utpote qui tribuit secundum locum Ephesino Episcopo, qui nunquam ipsi competijt, sed semper Episcopo Alexandrino adjudicatus fuit. Cætera omitto, cum ex his abundè constet, hos canones non esse Nicænos sed Nicænis contrarios.

Hieronym.

Canon. 37. Arab.

168. Scio ab Eruditis passim existimari, non obstante quod hos canones Nicæno abjudicent, opus esse antiquissimum, pro quo pugnat Francisci Turriani exemplar ex Bibliothecâ Patriarchæ Alexandrini allatum, quod primo latinitate Donatum ediderat Alphonsus Pisanus, & postmodum correctius prælo mandarat ipse Turrianus testando

in

in sua præfatione accessisse *aliud exemplar Arabicum vetustum ex Bibliotheca Pontificis Marcelli 2. quod ita cum Alexandrino conveniebat, ut planè videretur utrumque ex eodem exemplari descriptum, licet in exemplari Marcelli aliquot paginas anteriores vetustas consumpsisset.* Hæc enim vetustas exemplaris Marcelli Papæ 2. & mira cum exemplari Patriarchæ Alexandrini concordia alicujus ponderis credit, & operis antiquitatem redolere videtur, quæ confirmat Abrahamus Ecchelensis natione Maronita, in dissertatione, quam novæ horum Canonum versioni à se elucubratæ subnexuit: „ Sciendum est (inquit) hos Canones & constitutiones varijs „ apud varias Orientis gentes circumferri linguis, ex quibus sex nobis „ hic Romæ extant editiones. „ Enumerat consequenter omnes illas Canonum editiones, quarum prima est Arabica & à Melchitis usitata, cujus duo exemplaria extant Romæ, alia Nestorianorum Chaldaicis exarata characteribus & linguâ, cujus unum Codicem continet Bibliotheca Vaticana. Tertia est Cophtitarum, seu Christianorum Ægyptiorum, qui Dioscori sequuntur dogmata, & est Arabicis conscripta characteribus & linguâ, & Cophticis seu Ægyptiacis notata numeris, cujus bina Romæ inveniuntur exemplaria, & in præfatione collectionis Canonum & Constitutionum Ecclesiæ Alexandrinæ Cophtitarum ita de his Canonibus scribit Abnalchassabus Ægyptius: „ *Et posuerunt* (Nicæni Patres) *de judicijs Canones complures, ex quibus duæ in hoc libro sunt partes, quarum una viginti Canones continet, quam constitutiones sequuntur innumeræ, in quibus convenitur, quarum nota est Nican. altera verò multiplicis utilitatis est, cujus versionem procurarunt Melchitæ, & Nestoriani, & rata habetur apud Iacobitas Syros, & illius Canonum numerus in Melchitarum editionibus est 84. quos complures subsequuntur etiam constitutiones. In editione, quæ est in Melchitarum manu, sunt additamenta quædam ad eos pertinentia.* Et has versiones à longinquâ vetustate processisse, ex eo colligit Abrahamus Ecchelensis, quod harum gentium antiquissimi Scriptores hos Canones, hasque laudaverint constitutiones. Aliæ sunt versiones, Iacobitarum nimirum Arabicè conscriptæ, Æthiopicorum charactere & linguâ eorum exaratæ, demum Maronitarum, quæ duplex est, una Arabicis conscripta characteribus & linguâ, aliâ Syriacâ. „ Primam Arabicam publici juris fecit David Archiepiscopus „ Maronita anno ab Alexandro 1370. qui est Christi Domini 1059. „ plus minus, rogantibus Abbate Josepho ejusque Monachis, ut ex „ ejus præfatione constat. „ Syriaca tamen editio, licet quo tempore & quo interprete facta sit non satis constet: „ constat tamen eam antiquis-

Tursianus.

Ecchelens.

Abnalchassabus.

Abr. Ecchelensis.

Ecchelens.

„ tiquissimam esse, quandoquidem Ioannes Maro, qui sæculo 6. ad 7.
„ vergente scribebat, in libro de Sacerdotio integrum citat ex ea ca-
„ nonem 44. ex quo quidem existimant, illum auctorem habuisse D.
„ Iacobum Nisibensem Episcopum, qui eidem interfuit Concilio. „
Hæc omnia laudatus Abrahamus Ecchelensis natione Maronita, quæ publici juris fecit in novissimæ & maximæ Conciliorum collectionis tomo 2. Philippus Labbeus, & sufficienter ostendunt, hanc canonum collectionem esse antiquissimam, & diu in Oriente apud ipsos schismaticos receptam.

169. Displicet tamen quod Abrahamus Ecchelensis existimet, hos canones auctorem habuisse Iacobum Nisibensem in Mesopotamiâ Episcopum à catalogo subscriptionum Nicæni Concilij exhibitum, enimverò unum ex sanctis Nicænis Patribus acta Synodi vel potius canones collegisse, qui adversantur menti ipsius Concilij, nemo peritorum admittet. Eos post Synodum Constantinopolitanam primam fuisse collectos, fidem faciunt ea, quæ constituuntur in illis de primatu Ephesino in jus Patriarchatus Constantinopolitani transcripto, quod post annum 381. inchoatum fuit: etiam post Ephesinum Concilium collectos fuisse, ostendunt acta ibidem de contentione Patriarchæ Antiocheni cum Cypri Episcopis, quos anno 430. non agnovisse hos canones tanquam Nicænos, abundè constat ex dictis: quin imò post Concilium Chalcedonense fuisse collectos, ostendunt usurpatum toties Patriarchatus nomen, quod tunc primò audiri cœpit, & Patriarchatus Sedis Constantinopolitanæ, qui ibi stabilitus fuit, licet ad contradictionem Legatorum Leonis primi, & factum desuper magni illius Pontificis rescriptum Canon ille de Patriarchatu novæ Romæ fuerit cassatus, & nonnisi ab Imperatoribus post tempora Marciani Augusti invaluerit, illum canonem divali constitutione iterum firmante Justiniano, ut post hujus Imperatoris tempus, id est post annum 527. collecti esse potuerint, forsan prius ex actis Nicænæ Synodi sincerius & purius, & postmodum à schismaticis Græcis varijs imposturis maculati depravatius: facilè enim mihi persuaderem, plerosque Arabicos canones ex actis Nicæni Concilij circà sæculum sextum fuisse collectos, & vel tunc vel postea falsis canonibus & statutis maculatos. Enimverò si collectores potuerint omnes 20. canones Nicænos his canonibus Arabicis immiscere, quid vetat credere acta pleraque Nicæni Concilij interseruisse, præcipuè cum videamus illa, quæ à Patribus citata sunt sub nomine statutorum Nicænæ Sy-

nodi

nodi, inveniantur in hisce canonibus Arabicâ linguâ conscriptis.

170. Meminit Iulius Papa primus in epistolâ ad Orientales allatâ per D. Athanasium apologiâ 2. consuetudinis à patribus Nicænis receptæ de prioris Synodi actis in alia Synodo examinandis, volens ex illo probare, legitimè susceptam à Sede Apostolicâ Athanasij causam post Concilij Tyrij judicium in Romana Synodo retractandam, aitque se processisse juxtà consuetudinem antiquam, cujus *memoria renovata est & scripto prodita in magnâ Synodo.* Et huic plane concordat canon 71. de Appellationibus Episcoporum in nova versione Abrahami Ecchelensis, ubi ad querimoniam Episcoporum super dato Synodali judicio firmatur Romano Episcopo potestas aliud concedendi retractatorium judicium, de quo videndus Leo Magnus loco statim citando. Post Julium D. Hieronymus dialogo contrà Luciferianos agens de rebaptizatione hæreticorum scriptum reliquit: *Nicæna Synodus omnes hæreticos suscepit exceptis Pauli Samozateni Discipulis.* Paulianistas quidem rebaptizandos habet canon 19. Nicænus, reliquos autem hæreticos à Nicæna Synodo susceptos, non habent canones vulgati, sed canon 31. agens de Arianis, & 32. agens de ijs, qui Baptismum & leges Ecclesiæ retinuerant, qui iterum baptizari vetantur. Idem continet versio Abrahami Ecchelensis canone 34. 35. & 36. Post D. Hieronymum magnus Augustinus epistola 100. *Adhuc* (inquit) *in corpore posito B. Memoria Patre, & Episcopo meo sene Valerio Episcopus ordinatus sum, & Sedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam.* Hocque Nicæni statutum à D. Augustino laudatum, licet nullibi extet inter 20. canones, extat tamen in versione Turriani canone 48. *Vt nullus Episcopus dum vivit, alterum eligat, qui post mortem loco suo succedat.* Et ex versione Abrahami Ecchelensis canone 52. *Ne eligat vel designet Episcopus, dum vivit, alium, qui sibi succedat post obitum.* Et canone 54. *Ne uni civitati duo constituantur Episcopi.* Post magnum Ecclesiæ Doctorem Augustinum Leo Papa primus epistolâ 24. ad Theodosium Augustum ad appellationem Flaviani expostulans retractatorium concedi Concilium, *quam autem post appellationem interpositum hoc necessario expostuletur* (inquit) *canonum Nicææ habitorum decreta testantur, quæ à totius mundi sunt Sacerdotibus constituta.* Canonem autem, quem laudat Leo Pontifex, ex actis Nicænis desumptus extat in Arabicis ordine 71. de quo suprà ex Julio I: huc quoque respicere potuerunt Zozimus, Innocentius, & Cælestinus summi Pontifices in contentione cum Ecclesiâ Africanâ. Post Leonem Gelasius Cyzicenus libro 2. cap. 30. inter 9.

Iulius I. Can. 71. Arab.

D. Hieron.

Can. 31. & 32.

D. August.

Can. 48. Arab.

Canon 52. versionis novæ.

Canon 54.

Leo I.

Can. 71.

Gelasius Cyzicen.

statuta Nicæni Concilij, quæ in Canonibus non reperiuntur, refert illud de Clericis sacri ordinis: *Clerici sacri ordinis cælestium typi & imagines esse debent. Episcopus quidem debet obtinere locum Domini, tanquam caput post illum Ecclesiæ, quam recepit: Presbyter tenere debet sedem & locum Seraphicum; Diaconus autem Cherubicum: minister verò his ministrare debet.* Hoc autem describi præceptum fuisse, exhibet Canon 64. Arabicus: *Describantur, & dignoscantur singuli Clerici secundùm suos ordines, ne accidat in hoc inter illos dissentio &c.* post Gelasium, Gregorius 7. apud Gratianum 16.q.7.cap. pervenit: *sicut Nicæna Synodus de Simoniacis censuit, & qui dat Episcopus, & qui recipiunt ab eo laici, sive pretio, sive beneficio, æterni incendij ignibus deputentur.* Huic autem non Canones 20. sed Canon 49. correspondet ex Arabicis: *Vt nullus audeat ordinare Episcopum, aut Sacerdotem, aut Diaconum, pro quavis re data, sive ante ordinationem sive post, & quicumque contradixerit, Synodus eum excommunicat.* Hæc omnia statuta cum ab antiquis recitentur haberi in Synodo Nicænâ, facilè, ut ante insinuavi, admiserim ex actis Nicæni Concilij desumpta, uti & plerique Canones Arabici desumpti sunt ex Canonibus Nicænis, & licet quandoque bipartiti, eamdem tamen cum Canonibus Nicænis doctrinam & legem continent, ut vel soli legenti constabit.

Statutum Nicænum.

Can. 64. Arabicus.

Gregor. 7.

Can. 49. Arabicus.

171. Attamen hæc omnia facere non possunt, ut quæ sub nomine Arabicæ versionis continentur, sint cuncta ipsius Concilij acta: enimverò præcipuum Nicæni statutum de observatione Paschatis in ijs non invenitur, uti nec quæ D. Hieronymus in prologo ad librum Iudith scribit de Catalogo librorum Canonicorum in Nicænâ Synodo statuta, nec quæ D. Ambrosius in epistolâ ad Vercellensem Ecclesiam conscripsit: *Patres in Concilio Nicæno tractatus addiderunt, neque Clericum quemquam debere esse, qui secunda conjugia sortitus est.* Nec quæ Innocentius primus epistolâ 23. ad Synodum Tolosanam ex restitutione Iacobi Sirmondi refert ex regulis Nicęnis de ordinationibus. *Ne quispiam, qui post Baptismum militaverit, ad ordinem debeat Clericatus admitti: neque qui causas post acceptum Baptismum egerint &c.* Nec quæ Gelasius Cyzicenus habet lib. 2. cap. 30. *Quod oporteat Christianos laborare, quod non oporteat laicos in suggestum ascendere*, & similia plura, quæ in Arabicis Canonibus non inveniuntur: & tamen certò constant, in Nicæno Concilio fuisse statuta, ut adhuc plorare necesse sit injuriam temporum, quâ genuina hujus Concilij acta pleraque sint deperdita, quæ accuratè descripta fuisse, testatur D. Athanasius in epistola de Synodis Ariminensi & Seleucensi, & de quibus Isidorus Mercator ante 900. annos scribit

D. Hieron.

D. Ambros.

Innocentius I.

Gelasius Cyzicen.

in præfatione suæ collectionis. *Nobis autem quidam è consortio fratrum nostrorum Orientales testati sunt, se vidisse Concilium Nicænum, habens potiorem quatuor Evangeliorum magnitudinem, continens in se sessiones Episcoporum & introductiones, judiciaque querimoniarum, atque definitiones & constitutiones, nec non & subscriptiones eorum.* Et ante duodecim ferè sæcula anno 477. Gelasius Cyzicenus in præfatione Historiæ Nicæni Concilij: *Quæ in præclarâ illâ & sanctâ Synodo dicta, facta, & constituta fuerant, jam pridem cum adhuc in paternâ domo vitam degerem, legi, cum illa invenissem in antiquissimo libro in membraneis planè integris descripta, qui fuit Divini & celebris Dalmatij in illustri Cyzicenorum Metropoli sanctæ atque Catholicæ Ecclesiæ Archiepiscopi, qui tandem ad familiæ nostræ Dominum devenit, patrem dico meum secundùm carnem, dignum habitum, qui in ordinem Presbyterorum ejusdem Ecclesiæ cooptaretur, in quem sacrum librum cum incidissem, multumque in eo posuissem study, nec potuissem memoriâ omnia retinere (nemò enim hominum immensum illud mare omnium, quæ in eo recondebantur, memoriter in ore habere poterit) plurima annotavi sanctorum nostrorum Patrum sanæ doctrinæ Episcoporum dogmata, quæque iidem adversus Ariomanitas objecerunt.* Hæc Gelasius, qui solum se acta adversus Arianos exscripsisse enarrat, quæ posteà libris suis de Nicæna Synodo inseruit, de quibus Photius in Bibliothecâ, cap. 15. *Lecta sunt primæ Synodi acta tribus comprehensa libris, Gelasij titulum opus præfert: nec tam acta sunt, quam historia.* Historiam esse, inquit Photius, & rectè, nam Gelasius Cyzicenus, dum hosce libros de actis Nicænis conscripsit, ad manum amplius non habebat antiquum illum Codicem, quem immensum mare appellat præ actorum numero, & statutorum multitudine; hinc ex Eusebio Pamphilio aliisque historicis coactus fuit mutuare fragmenta actuum, unde & libro 2. cap. 30. præter Canones 20. adducit dumtaxat 9. statuta, & addit: *Has ex elaboratis à sanctis nostris Patribus constitutionibus Ecclesiasticis, paucas ex multis hoc commentario descripsimus:* multò ergò plura, quam exhibuit, desiderantur, nec mirum, cum ut in præfatione testatus erat, se legisse in codice Dalmatij Cyziceni Metropolitæ, *etiam omnem omninò tractationem illic habitam de Apostolicis Ecclesiæ constitutionibus.* Id est ex sacri Nicæni Concilij actis constare, illic discussos fuisse omnes Apostolicos, omnes anteriores Ecclesiæ Canones, discussas orbis Ecclesiastici consuetudines, & de illis plenè fuisse statutum à Patribus, ac in actis redactum. Hoc nimirum, quod tot Provinciales Ecclesiæ Synodi necessarium judicarant, ad proprias consuetudines & Traditiones scripto mandandas, in totius Ecclesiæ bonum approbarunt

Isidorus Mercator.

Gelasius Cyzicen.

Photius.

Gelasius Cyzicen.

Patres Nicæni, & exemplo suo subsecuti sunt, quorum acta licet habeamus partim ex 20. vulgatis Canonibus, partim ex Historijs Eusebij, Socratis, Zozomeni, Thodoreti, Ruffini, Gelasij Cyziceni, partim demum ex quibusdam Arabicis Canonibus, manet tamen, plura deperdita esse, incertum an unquam è latebris in lucem emersura.

CAPUT V.

De Concilio Antiocheno, ubi tota hujus Concilij historia pertractatur, & quantum ab omnibus peritis hucusque erratum sit, exponitur.

172. *Occasio Synodi ex D. Athanasij causâ desumitur, licet Encænia Ecclesiæ Antiochenæ præ se ferebant Episcopi, quo titulo Romanum Concilium evitare studuerunt anno* 341.

173. *Episcopi ad minimum* 90. *fuerunt, qui Canones Antiochenos magna ex parte sumpserunt ex actis & Canonibus Nicænis, eorumque Canones selecti in Chalcedonensi Concilio approbari meruerunt, uti & à Dionysio Exiguo per totum Occidentem dispergi.*

174. *Hinc perplexa difficultas, quomodò Ecclesia post Concilium Chalcedonense admiserit Canones Antiochenos, quos anteà reprobarant ut hæreticorum Canones Iulius I. Athanasius, Chrysostomus, Socrates, Zozomenus, Palladius, & Innocentius primus?*

175. *Varias solutiones excogitant Baronius, Perronius, de Marca, & Dominus cognomento David, quæ adferuntur in hoc convenientes, quod Canones Antiocheni non fuerint recepti ab Ecclesia.*

176. *At refelluntur peritorum solutiones, nam Canones admisit Concilium Chalcedonense non ignorans esse Antiochenos, & semper illos venerata est omnis orthodoxa Ecclesia, ut patet ex Episcopis Pisidiæ, Synodo Romanâ Gelasij, antiquissimâ Græcorum Canonum collectione, Dionysio Exiguo, Martino Braccarensi, Cresconio, Synodo Trullanâ, Ioanne Scholastico, Adriano* 1. *Capitulari Aquisgranensi, Leone* 4. *in Concilio Romano, Gratiano, & Antonio Augustino.*

177. *Licet cum de Marca probetur, hos Canones in Ecclesia receptos, non tamen probatur error de inappellabilitate Conciliorum Orientalium, quem malè aliqui attribuunt Canoni* 12. *cum tamen hoc non contineat, probatusque reperiatur in*

Conci-

Concilio Lucensi tempore Martini Braccarensis, in Concilio Aquisgranensi sub Ludovico Pio, in Concilio Romano sub Leone 4. nec modo in antiquis collectionibus, sed etiam à Burchardo, Ivone, Anselmo, & Gratiano.

178. *Neque errorem de suprema Orientalium Synodorum authoritate haberi ex Canone 15. Antiocheno, clarius deducitur, ut cum hi Canones Antiocheni constituti sunt, nondum error excogitatus fuerit de suprema Synodorum auctoritate.*

179. *Hisce tamen positis, redit difficultas de Canonibus improbatis à Iulio Papa, D. Chrysostomo, Innocentio I. alysque, cuius difficultatis solutionem ingenuè professus est, se nescire Antonius Augustinus, affertur tamen nunc primò solutio, & negatur Canonem Antiochenum ab antiquis reprobatum extare inter 25. ubique receptos, adduciturque Canon ille ex palladio & Georgio Patriarcha Alexandrino, & ponitur juxtà Canones 25. inter quos non comparet.*

180. *Hinc jam sopitur difficultas hactenus insoluta, graviter aberrasse Socratem aliosque in tradenda huius Synodi historia ostenditur, cum primo editum sit fidei Symbolum, postea Canones, & demum Eusebiani Episcopi larvâ detractâ coeperint agere de persona Athanasij contradicentibus Catholicis Episcopis, ut primum eruitur ex epistola Synodica, deindè ex Zozomeno firmatur, demum ex Palladio & Iulio I.*

181. *Iulij primi testimonio de Canonibus à solis Eusebianis statutis per Baronium adducto opponit se Valesius, & ex eo, quod testimonium illud aliter interpretandum sit, Baronij errorem ex annalibus deleri volunt: at errorem non esse, quod errorem putavit Valesius, Latius ostenditur, & alio Iulij testimonio firmatur, à solis Eusebianis contra Athanasium fuisse actum, idque repetitis Palladij & Georgij testimonijs evincitur.*

172. DUm Athanasius in Conciliabulo Tyrio dura patiens depositus fuisset anno 335 summâ Eusebianorum impudentiâ, ac Imperatorum opem & Iulij Romani Pontificis authoritatem advocasset in suam innocentiam, ob idque jam Romæ moraretur exspectans adversariorum adventum, qui evocati erant in Synodo Romanâ causam dicturi, judicium suâ absentiâ eludere conati sunt Ariani, & èo tempore quo Romam accedere deberent à Constantio impetrarunt dedicationem magnifici illius templi à Constantino Imperatore inchoati, tunc verò perfecti: *Fuere autem numero* (inquit D. Athanasius libro de Synodis) *qui Antiochiam tempore encaniorum convenerunt, nonaginta, Consulibus Marcellino & Probino, indictione 14. præsente ibidem impiissimo Constantio Imperatore.* Addit Socrates lib. 2. cap. 5. *Quintus* jam

D. Athanasius.

Socrates.

jam agebatur annus à morte Constantini. Ex quibus apparet, tempus hujus Concilij incidere in annum Christi 341. qui cum indictione 14. & Consulatu Marcellini & Probini incidit, uti & cum anno 5. Constantij & Constantis post mortem patris Constantini.

173. Episcoporum, quos D. Athanasius 90. cui consentit vita Pauli Constantinopolitani apud Photium c. 257. Bibliothecæ D. Hilarius libro de Synodis 97. Socrates lib. 2. cap. 8. 90. Zozomenus libro 3. cap. 5. 99. convenisse scribunt, 36. aut paulò plures fuere Ariani, reliqui Catholici Episcopi, qui omnes & formulas fidei & 25. Canones ediderunt, prout præ sese ferebant, sacrosancto Nicæno Concilio conformes, ex cuius actis complura statuta in Canones redegisse, & ex cuius Canonibus complures renovasse, patet in primis ex Canone 23. *Episcopo non licere pro se alterum successorem sibi constituere, licet ad exitum vitæ perveniat.* Quod ipsum in actis Nicænis contentum fuisse, ostendimus suprà, & testis est D. Augustinus, qui ait sese ignoranter contra hoc Nicæni statutum cum Episcopo suo Valerio peccasse. Patet proindè manifestius ex Canone 1. *Omnes, qui ausi fuerint dissolvere diffinitionem sancti & magni Concilij, quod apud Nicæam congregatum est sub præsentia piissimi & venerandi Principis Constantini de salutifera solemnitate sacratissimi Paschæ, excommunicandos, & de Ecclesia pellendos esse censemus, &c.* Ex quo patet, statutum Nicænum de Paschate ab hoc Antiocheno non solùm in Canonem redactum, sed & ipsum Nicænum ut sanctum fuisse amplexum, cuius Canon 16. de non suscipiendis alterius Ecclesiæ Clericis renovatus est per Canonem 3. Antiochenum: Canon 4. Nicenus de Metropolitani in Provinciâ authoritate per Canones 9. & 10. Antiochenos clarius expressus: Canon 8. ubi aliqua habentur de Chore-episcopis per Canonem 10. Antiochenum: Nicænus 5. de Concilijs bis in anno celebrandis per Antiochenum 20. alijque per alia Concilia approbati sunt, ut patet ex Synodo Chalcedonensi actione 4. ubi Aetius Archidiaconus Constantinopolitanus ex codice legit Canonem quintum Concilij Antiocheni de Clericis & Monachis, qui seipsos à communione suspendunt, & contra Episcoporum schismaticos conventus erigunt, damnandis & comprimendis. Quo lecto *omnes reverendissimi Episcopi clamaverunt,* (inquiunt acta Concilij Chalcedonensis) *hæc justa regula Patrum.* Post hæc idem Aetius ad instantiam Concilij legit ex codice Canonem octogesimum tertium, id est quartum Antiochenum, & 84. id est 5. jam antea relatum, quos acta Chalcedonensia vocant divinas & sacras regulas. Actione insuper XI. Leontius

Canon 23. Antioch.

Canon 1. Antioch.

Aetius act. 4. Synodi Chalced.

Concilium Chalced.

tius Magnesiæ Episcopus ex eodem codice legit regulam 95. id est canonem 16. & regulam 96. id est canonem 17. Antiochenos, quæ omnia manifestum reddunt, canones Antiochenos à sacro Concilio Chalcedonensi in authoritatem fuisse receptos, nec id solum in Oriente, sed etiam in Occidente obtinuisse, patet ex Dionysio Exiguo, qui canones Græcos latinitate donavit, & inter hos, canones Antiochenos 25. novâ versione per Occidentem dispersit cum ipsius Occidentalis Ecclesiæ applausu, ut suo loco videbimus.

Dionysius Exiguus.

174. At hic jam quæstio exurgit, quæ peritorum hucusque animos non parum perplexos reddidit, qualiter nimirum hujus Concilij canones potuerit probare Ecclesia ad sæculi 5. medium, quos ante illa tempora execrari videbantur Apostolicæ Sedis Pontifices, & sanctissimi Ecclesiæ Patres? Enimverò in hoc Concilio Antiocheno depositum fuisse Athanasium, constans est omnium sententia: statutum quoque, ut Synodi cuiusque authoritas retractari non possit, reprehendit Iulius Papa primus epistola 3. ad Patres Antiochiæ congregatos, additque, contrarium in Nicæno Concilio ex antiqua consuetudine firmatum: *Quod si istiusmodi consuetudo olim fuit, eiusque memoria renovata est, & scripto prodita in magna Synodo, eamque apud vos valere non sinitis, rem profectò indecoram facitis. Morem enim, qui semel in Ecclesiâ obtinuit, & à Synodo confirmatus est, iniquum est à paucis abrogari*: addit contrà eorum in Athanasium judicium: *Non est istud piè factum, non ex iure, non Ecclesiasticè.* & infrà: *ea, quæ à vobis acta sunt, non esse pacis, sed schismatis occasiones.* Neque hoc solus Iulius Romanus Episcopus cum numeroso Italiæ Concilio, sed & ipse quoque Athanasius epistolâ de Synodis Ariminensi & Seleucensi latiùs prosequitur, manifestè exclamans, Concilium Antiochenum ab Arianis celebratum fuisse in præsentiâ Imperatoris, & directoribus præcipuis Eusebio Nicomediensi & Acacio Cæsareensi Palestinæ Episcopis, quos Orbis universus Arianorum agnoscit defensores. Clariùs sese exposuerunt Innocentius primus & D. Chrysostomus cum orthodoxis suæ partis Episcopis: constituerant Antiochenæ Synodi Antistites, neminem sive justè, sive injustè depositum ex seipso absque Synodi alterius judicio posse sedem propriam recuperare: hoc autem, quia dicebatur non observatum à D. Ioanne Chrysostomo in Sedis Constantinopolitanæ recuperatione, à qua per Theophilum Patriarcham Alexandrinum fuerat expulsus, opponebant adversarij laudatum Canonem D. Chrysostomo. Reposuit verò S. Constantinopolitanæ Sedis Episcopus, hunc Cano-

Iulius I.

Athanasius

Chrysost.

nem non esse Catholicæ Ecclesiæ, sed ad Ecclesiam Arianorum pertinere. Contendebat Chrysostomus (inquit lib. 6. cap. 18. versionis Valesianæ Socrates Historicus) *non Ecclesiæ Catholicæ sed Arianorum Canonem illum esse: Episcopi enim olim Antiochiæ congregati ad evertendam consubstantialis fidem præ odio, quo adversus Athanasium flagrabant, eum Canonem condiderunt.* Et Zozomenus libro 8. cap. 20. de eodem Chrysostomo: *Eum deposuerunt constanter asseverantem, esse Canonem hæreticorum*, sumpsisse verò hæc videntur hi historici ex Palladio Helenopolitano Episcopo & D. Chrysostomi Discipulo, qui ait Chrysostomum depositum fuisse vigore canonum Antiochensium, *quos Theophilus miserat à quadraginta complicibus Arij editos, atque ita continentes: si quis Episcopus aut Presbyter, sive justè, sive injustè depositus, ex seipso absque Synodo in Ecclesiam redierit, hic jam excusationis non habeat locum, sed omninò expellatur. Et ista quidem regula ut nequam & à nequissimis edita in Sardicensi Concilio à Romanis & Italis, Illyricis, & Macedonibus, & Græcis eliminata est, quando Liberius aut Iulius sub Constantis Imperio Athanasium & Marcellum Galatham admisit ad communionem, quorum gratiâ etiam Canon iste fuerat editus.* Et conformiter ad hoc Palladij dictum interrogatus à Clero Constantinopolitano de Canone Antiochensium rescripsit in favorem D. Chrysostomi Innocentius primus: *Canonibus obsequendum esse scribimus, qui Nicææ sunt decreti: quos solos consectari deces Ecclesiam Catholicam, & juxtà eos judicare. Si in alijs à quopiam proferuntur à Nicænis Canonibus dissonantes, & hæreticos auctores referentes, ii à Catholicis Episcopis reiiciuntur. Hæreticorum namque inventa Catholicis Canonibus non sunt adnectenda. Semper enim illi per contraria nefaria decreta Patrum Nicænorum Concilium minuere intendunt. Quapropter non solùm hoc dicimus, istos sequendum non esse, verum etiam cum hæreticis & schismaticis, seu dissidiosis dogmatibus condemnandum: quemadmodum anteà in Sardicensi Concilio ab Episcopis, qui nos præcesserunt, factum est.*

Socrates. Zozomen. Palladius. Innocent. I

175. Peritorum oculos perculsit hoc Iulij primi, D. Athanasij, Sardicensis Concilij, D. Ioannis Chrysostomi, Palladij Helenopolitani Episcopi, & S. Innocentij primi, de Concilio Antiocheno judicium, & comprehendere nequeuntes, quomodo illo stante Canones Antiocheni per Concilium Chalcedonense fuerint recepti, varia excogitarunt. Secutus Cardinalem Baronium Severinus Binnius in notis ad hoc Concilium, accusat Gratianum quod „ hanc Eusebianorum Synodum in numerum orthodoxorum Conciliorum retulerit.„ Post Baronium & Binnium Eminentissimus Cardinalis Perronius in Replic. libro 1. cap. 53. sustinet, codicem, ex quo in Concilio Chalcedonensi

Binnius. Perronius.

donensi citati fuerunt Canones Antiocheni, fuisse falcificatum per tunc temporis Chalcedonensem Episcopum, qui adhærens Theophilo eumdem olim fabricarat contra Chrysostomum, & post illud tempus remanserat in Bibliothecâ Chalcedonensis Episcopatus, ex qua fuit in Concilio Chalcedonensi productus. Illustrissimus D. de Marca parum aliter exponit, dicens: Concilium Antiochenum tanquam Provinciale non obligasse Occidentales, & Thracicos sive Constantinopolitanos Episcopos, ideòque ab eis potuisse reiici usque ad sententiam & admissionem universalis Ecclesiæ, quæ solum subsecuta est in Concilio Chalcedonensi paulò pòst mortem Innocentij coacto. Demum hasce interpretationes reiiciens D. cognomento David libro 1. de iudicio Canonico Episcoporum capite 2. articulo 6. plura observat, supponitque primò, ante Concilium Chalcedonense Synodum Antiochenam à pluribus Orientis Ecclesijs fuisse receptam, tum quia formula fidei omnium Ariomanitarum formularum erat Romanæ & Catholicæ fidei conformior, tum quod solus Canon 12. reddere poterat Synodum suspectam, cum alij Canones nihil continerent adversus disciplinam Ecclesiæ. Supponit 2. ex Canonibus Antiochenis fuisse quatuor lectos in Chalcedonensi, non tamen sub nomine Antiochenorum, nec fuisse approbatos ut tales, sed quia nihil continebant rectæ disciplinæ contrarium, adeoque hos Canones approbatos non fuisse ab universâ Ecclesiâ, quòd ulterius confirmat ex quodam subsequenti responso Hilari Papæ ad interrogationem Episcoporum Hispaniæ, quod tamen ad rem non facit, ut statim probabimus.

De Marca.

Dom. David.

176. Hic vides variantia variorum responsa in quæstione planè nodosa, cujus solutionem an hactenus aliquis inoffenso pede conceperit, ignoro: enimverò, sacri Chalcedonensis Concilij non solum legentis, sed ut regulas antecedentium Patrum rectissimas probantis judicium reprobant, ubi venerari deberent: nec enim in animum inducere possum, quin Patres Chalcedonenses optimè sciverint, regulas à se probatas, esse Antiocheni Concilij: quod si ita est, uti esse certissimum existimo, miror, quosdam nostri sæculi peritos abjudicasse illos Canones, & tanquam nullius auctoritatis liberè rejecisse. At error est longè gravissimus, quo imbutus est nostro sæculo Orbis Catholicus: Antiochenos Canones semper venerata est omnis sub cælo Ecclesia usque ad Eminentissimum Cardinalem Baronium, cujus opinione alij fuere decepti. Enimverò post Chalcedonense Concilium, cujus vel sola authoritas sufficeret, usi sunt Canone 4. Antiocheno Episcopi

Patr. Chalcedonens.

 Pisidiæ

Episcopi Pisidiæ. Pisidiæ in epistola ad Imperatorem. Gelasius Pontifex anno 494. in Concilio 70. Episcoporum Romæ coacto ubi catalogum accuratum librorum apocryphorum texens non meminit canonum Antiochenorum; quinimò in Oriente canonum collectio omnium antiquissima, & quæ ex Græco latinitate donata post Chalcedonense Concilium in Occidente erat recepta, nunc primum anno 1660. Parisijs, tomo 1. Bibliothecæ Juris Canonici edita, continebat canones Antiochenos, & illius collectionis circà tempus Justiniani Imperatoris meminit Dionysius Exiguus, & canones Antiochenos inter regulas Ecclesiasticas per totam Ecclesiam divulgavit. Martinus Braccarensis Episcopus in capitulari Græcorum canonum, quod anno 572. confecit, & in Synodo Lucensi ab Hispaniæ Episcopis probatum est, adeò canones Antiochenos veneratus est, ut 84. suis capitulis ferè omnes canones Antiochenos inseruerit. Similiter Cresconius Africæ Episcopus in suo canonum Breviario expressè ad capitula probanda Antiochenos canones posuit. Idem licet hac in re aliquando fallatur, canone 2. fecit Synodus Trullana, uti & sub Justiniano Ioannes Scholasticus Patriarcha Constantinopolitanus, cujus 50. capitula publicavit Bibliotheca Juris Canonici tomo 2. Sæculo 8. idem imitatus est Adrianus 1. in codice canonum, quem Romæ Carolo Magno obtulit anno 783. in quo canones 25. Antiochenos complexus est. Epitome illius Codicis extat apud Labbeum tomo 6. Conciliorum, & ut videatur quantæ authoritatis illi canones apud Carolum Magnum extiterint, capitulari suo Aquisgranensi anno 789. pro reformando Clero edito, nominatim ex Concilio Antiocheno plùres canones inseruit, eosque pro regulis habendos duxit. Quid ulterius proferam Ivonem Carnotensem Episcopum aliosque recentiores canonum collectores, cum Concilium Romanum sub Hlotario ac Ludovico Imperatoribus à Leone 4. cum 67. Episcopis celebratum habeat in actis depositionis Anastasij Presbyteri: *Quid aliud arbitrari aut proferre valemus, nisi ut Sancti Patres, qui Antiocheno Concilio residentes tertio capitulo promulgarunt, & inviolabiliter statuerunt.* Publicavit hanc Leonis 4. Synodum Lucas Holstenius parte 2. & si hoc non sufficiat? Leo 4. interrogatus ab Angliæ Episcopis, respondet ea, quibus in omnibus Ecclesiasticis judicijs tunc utebatur Sedes Apostolica, esse *Canones . . . . Antiochensium.* Extat responsum dist. 20. cap. de libellis apud Gratianum, qui dist. 16. cap. xi. enumerans Catholicorum Concilia per Ecclesiam probata, addit: *Synodus 5. Antiochena, in qua Patres 29. statuerunt canones 25.* Et consentit

Margin notes: Concilium Rom. sub Gelasio. — Græca Canonum collectio. — Dionysius Exiguus. — Martinus Braccar. — Cresconius — Synodus Trullana. — Ioan. Scholasticus. — Adrianus I — Capitulare Aquisgran. — Ivo Carnotensis. — Concilium Rom. sub Leone 4. — Leo 4. — Gratian. s.

Antonius Augustinus de emendatione Gratiani libro primo dialogo 11. de canonibus Antiochenis: *Receptos esse constat, & in corpore Canonum positos ante Concilium Chalcedonense.* Id probat authoritate laudatæ Synodi Leonis 4. *Et ex alys multorum testimonijs præsertim Paschalis in Concilio Romano.* Ut immeritò D. David accusarit Marcam, quod hos canones Antiochenos in authoritatem receperit.

177. Quamvis ex dictis appareat, rectè D. de Marca in authoritatem recepisse canones Antiochenos, hinc tamen nemo somniet, me probare supremam Synodorum Provincialium sententiam, licet Canon 12. habeat: damnatum à Synodo Episcopum, si ad judicium Imperatoris provocet & non ad majus Concilium, quod *nullam restitutionis futuræ spem exspectet.* Hoc enim in pœnam delicti dumtaxat statutum est. Neque Eusebianorum hoc figmentum est in solius D. Athanasij odium excogitatum: nam Athanasius ad Imperatorem confugerat, ut Concilium ab eo impetraret. *Ad religiosissimum Imperatorem ascenderat* (inquit epistola Synodica Alexandrinorum ad annum Christi 339.) *deprecans & iniquitatem hominis & adversariorum calumnias, postulansque, ut legitima Episcoporum Synodus indiceretur.* Canon igitur 12. non fuit merè constitutus ob causam D. Athanasij, quæ alia fuit, quam à canone pœnâ mulctatur de nulla restitutionis spe exspectanda, unde & Eminentissimus Cardinalis Baronius, & Binnius, & Antonius Augustinus, & omnes hucusque periti decepti sunt putantes, hunc canonem 12. inter vigintiquinque Antiochenos esse reiiciendum, cum tamen orthodoxo sensu statutus sit & in Ecclesia receptus, ut lucet ex Martino Braccarensi Episcopo, qui de verbo ad verbum hunc canonem duodecimum collectioni suæ insertum ab Hispaniæ Præsulibus anno 572. in Concilio Lucensi probari fecit, & ex Concilio Aquisgranensi in Gallia anno 816. sub Ludovico Pio, ubi inter cæteras institutionis canonicæ regulas positus legitur capite 74. & ex Leone 4. in Concilio Romano, qui canones Antiochenos suscipiens, nullum penitus excepit, adeoque & 12. admisit: post quæ decreto Gratiani insertus est causa 21. quæst. 5. unde & Antonius Augustinus lib. 1. dialogo XI. disertè scribit hunc canonem 12. Antiochenum „ referunt „ Concilium Aquisgranense cap. 74. & Burchardus lib. 2. cap. 180. „ & Ivo parte 6. cap. 225. Decret. & Anselmus lib. 5. c. 74 ex Dionysij „ interpretatione. „ Omisi omnes planè antiquorum collectiones, quæ absque ullo discrimine 25. canones admittunt & exhibent, ut vidimus suprà, & videndum est suo loco infrà.

Can. 12. Antioch.

Synodica Alexand.

Antonius Augustin.

178. Aliud est de canone 15. Antiocheno, ex quo Parisiensium Archiepiscopus de Marca deducit supremum Synodorum Provincialium judicium: verum nihil aliud expostularetur ad illum abjudicandum, si talem contineret errorem: cum autem & hic Canon editus sit ab iisdem Episcopis, qui canone 12. ab uno Concilio ad aliud majus convolari posse statuerunt, nec sibi canone 15. contradixisse putandi sunt, statuendo cujusque Synodi judicium esse supremum & irretractabile, aliter enim intellexisse, facilè colligitur ex canone 14. ubi cum statuissent, si comprovinciales Episcopi in judicio causæ Episcopalis dissideant, *ut Metropolitanus Episcopus à Vicaria Provincia judices alios convocet, qui controversiam tollant.* Pergunt canone 15. juxtà versionem Dionysij Exigui: *Si quis Episcopus de certis criminibus accusatus condemnetur, ab omnibus Episcopis eiusdem Provinciæ, cunctique consonanter eamdem contrà eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullomodo judicari, sed firmam concordantium Episcoporum Provinciæ manere sententiam.* Quæ verba, ut rectè observavit D. David, important, apud alios Provinciæ Episcopos non debere judicari, non verò, quod non possint judicari apud summum Ecclesiæ Præsulem. Quinimò cum canone 12. declaraverant à Synodo damnatum Episcopum oportere *ad maius converti Concilium*, sufficienter ostenderunt, tempore, quo canones Antiocheni conditi sunt, nondum excogitatum fuisse ab Eusebianis fundamentum, quod in epistola sua refellit Iulius Papa: *Inconcussam habet auctoritatem qualibet Synodus & contumeliosè agitur cum iudice, cuius judicium ab alijs examinatur.*

Can. 14. Antioch.

Can. 15. Antioch.

Iulius Pap.

179. At redit difficultas, cum ipse Iulius primus epistola ad Eusebianos Antiochiæ coadunatos hunc errorem ipsis adscribat; subindè & D. Ioannes Chrysostomus, & Innocentius primus reprobantes canonem Antiochiæ ab hac Synodo statutum, quem Antonius Augustinus Tarraconensis Episcopus, Cardinalis Baronius Annalium Parens, & omnes hucusque, quod sciam, periti dixerunt, esse canonem inter Antiochenos duodecimum, quem, licet cæteros Antiochenos suscipiant, unicè excipiendum statuunt. Scribebat olim Antonius Augustinus ad locum Gratiani causa 21. q. 5. cap. 2. de canone 12. Antiocheno: „ Hoc esse caput arbitror contrà B. Athanasium scriptum, quod reprehendit Iulius in epistolâ ad hos eosdem Episcopos „ Antiochiæ congregatos, idem contrà Ioannem Chrysostomum dum „ obiiceretur, ab eo responsum est, hæreticorum canonem fuisse. „ Hæc vir ille eruditus, qui dum intereà videbat canones Antiochenos olim

Antonius Augustin.

olim in Ecclesia receptos, sibi dubium movet :,, Cur igitur canones ,, Antiocheni recepti sunt, cum Arianos illos Episcopos auctores ha- ,, beant? ,, Neque aliter respondere habuit magnus Tarraconensis Episcopus, quam,, non possum causam dicere.,, Verum mirari lubet causam viros eruditos latuisse, & peritiores nostri sæculi ita potuisse hallucinari: Canon enim à D. Innocentio & Magno Chrysostomo reprobatus, etiam reiicitur à Palladio Helenopolitano Episcopo ipsius Ioannis Chrysostomi Discipulo, qui illum in vita Chrysostomi hisce verbis exhibet : *Si quis Episcopus aut Presbyter sive justè, sive iniustè depositus ex se ipso absque Synodo in Ecclesiam redierit, hic iam excusationis non habeat locum, sed omninò expellatur.* Eumdem illum Canonem ut à D. Chrysostomo reprobatum adfert Georgius Patriarcha Alexandrinus in vita his verbis : *Sive Episcopus, sive Presbyter iustè aut iniustè depositus, si privatâ auctoritate citrà decretum Synodi invaserit Ecclesiam, talem deinceps noluimus locum obtinere sui expurgandi, sed expellatur & demum in exilium relegetur.* Hic jam oculos eruditiorum appello, ut videant ubi Canon ille reperiatur inter 25. Antiochenos ab Ecclesiâ probatos. Habemus canones illos in codice per Iustellum edito, & à temporibus Concilij Chalcedonensis in Oriente usitato. Habemus canones 25. Antiochenos in Prisca canonum collectione Latina, quæ nunc primum edita est tomo 1. Bibliothecæ Iuris Canonici. Habemus omnes ferè canones compendiosè relatos, & inter illos 11. 12. 15. de quibus posset esse maxima suspicio, apud Ferrandum Diaconum. Habemus illos integrè citatos apud Cresconium Episcopum Africæ à cap. 142. usque ad 145. Habemus illorum plurimos apud Martinum Braccarensem, Ioannem Scholasticum, Photium, aliosque Græcos collectores tomo 2. Bibliothecæ Iuris Canonici; habemus demum omnes canones ex versione Dionysij Exigui, Isidori Mercatoris, & Gentiani Herveti in tomis Conciliorum signanter apud Labbeum tomo 2. At ubinam citatus à Palladio & Georgio Canon? nullibi inter Antiochenos. Canon 12. agit de his, qui degradati ad Imperatorem concurrunt, de his non agit Canon à Palladio citatus: nec similiter de modo adeundi Imperatorem, ut agit Canon 11. Maior apparentia esset de canone 4. Antiocheno : *Si quis Episcopus à Synodo depositus, vel Presbyter aut Diaconus à proprio Episcopo, ausus fuerit aliquid de ministerio agere, sive Episcopus, secundum præcedentem consuetudinem, sive Presbyter, sive Diaconus, nullam amplius in alia Synodo spem restitutionis, neque defensionis locum ei habere liceat.* Hic est, qui ubi maximè accedere videtur canoni à Palladio reprobato, ab eodem tamen

Canon Antiochenus apud Palladium.

Idem apud Georgium Alexand.

Can. 4. Antiochen.

tamen distinguitur in multis, & inter orthodoxos canones relectus fuit in Concilij Chalcedonensis actione 4. per Ætium Archidiaconum.

180. Iam videre incipis, ni fallor, quantum aberrarint periti existimantes canonem olim in Ecclesiâ reprobatum ab Innocentio 1. D. Chrysostomo alijsque esse canonem 12. Antiochenum? neque enim 12. est, nec alius ex 25. extantibus, sed unus ex iis, quos soli Eusebiani in fine Synodi à Catholicis separati constituerunt in odium magni Athanasij. Hæc quia omiserunt distinguere, qui ante nos extiterunt, coacti sunt tam graviter aberrare, ut hæreticorum canones nunc ab Ecclesiâ receptos edixerint, quos olim Ecclesia reiecerat. At appage cum tali errore; quos Ecclesia olim reprobavit canones, etiamnum reprobat, & quos nunc admisit, olim quoque recepit. Pro cuius majori elucidatione, in memoriam revoco illud Athanasij libro de Synodis: *Fuerunt autem numero, qui Antiochiam tempore encæniorum convenerunt, nonaginta.* Idem planè Socrates lib. 2. cap. 8. D. Hilarius libro de Synodis ait adfuisse 97. & Zozomenus libro 3. cap. 5. convenisse scribit 99. Episcopos. Hi autem omnes simul convenientes juxta consuetum Ecclesiæ morem fidem in primis tractarunt, tum canones constituerunt 25. in quibus magna ex parte renovata sunt sacrosancti Nicæni statuta, quod & canone 1. professi sunt omnes, venenum suum simulantibus Eusebianis, ut quo magis zelum pro bono Ecclesiæ initio ementiti essent, eo minus in fine causam Athanasij contrà bonum Ecclesiæ retractare viderentur. Quod verò omnes 90. Episcopi aut 99. convenerint in hisce 25. canonibus, fidem facit ipsorum epistola Synodica, quæ reperitur in antiquissimâ canonum collectione latinâ post Chalcedonense Concilium in Occidente usitata: *Sancta & Pacifsima Synodus,* * *qui à Deo congregata est Antiochiæ, his, qui secundum Provincias unanimes, sanctis & comministris in Domino. Gratiâ & veritas Domini Salvatoris nostri* JESU CHRISTI, *visitans sanctam Antiochensem Ecclesiam & in unum nos congregans communi & uno sensu in spiritu pacis multa corrigenda: in omnibus autem & corrigit, ex præcepto sanctis Patribus bene haberi placuit, cum multo tractatu, & iudicio simul omnium nostrum in hoc ipso congregatis Episcopis apud Antiochenam civitatem ex diversis Provinciis ad notitiam vestram suggerimus.* Scio post enumeratos canones 25. tantum haberi subscriptos 22. Episcopos, at catalogum subscriptionum mutilum esse, certum est. Habet Adrianus primus in epitome canonum Carolo Magno Romæ traditâ, *& subscripserunt* 30. *Episcopi*, at & plures subscripsisse certum, & patet ex numero

Athanasius

Prisca collec.

* Quæ

Adrianus I

numero Episcoporum à D. Athanasio allato & ex ipsâ epistolâ Synodicâ, quæ omnes planè Episcopos consensisse testatur, quod ipsum confirmat omnium sæculorum Traditio de horum canonum ut orthodoxorum receptione fidem faciens. Et ex his jam corrigendi sunt Socrates & Zozomenus totam hujus Synodi historiam confundentes. Aiunt initio Concilij Athanasij causam tractatam accusantibus eum graviter Episcopis, at fallitur hoc Historiæ monimentum. Concordes fuêre initio Episcopi simulantibus Eusebianis, & firmâta iam fide Nicænâ, & disciplinâ canonibus 25. stabilitâ, juxtà antiquam Conciliorum consuetudinem cœperunt de personis agere, causâ D. Athanasij in medium allatâ per solos Eusebianos repugnantibus Catholicis Episcopis, qui ubi iniquitas Arianorum apparuit, Concilium relinquentes, Eusebianis & Synodo valedixere Antiocheno. *Cum ergo universi Episcopi convenissent* (inquit Zozomenus libro 3. cap. 5.) *& Imperator ipse Constantius adesset, complures eorum indignari cœperunt, & Athanasium graviter accusare, quod Sacerdotalem legem, quam ipsi tulerant, contempsisset, & Alexandrinam Ecclesiam prius recepisset, quam id ipsi permissum fuisset à Synodo. Vnde & civibus causam necis illum fuisse dicebant, propterea quod illo in urbem ingrediente mota esset seditio: & multi quidem interfecti: non pauci verò ad iudicum tribunalia perducti fuissent. Hujusmodi sermonibus cum gravissimâ adversus Athanasium conflata esset calumnia, decreverunt, ut Gregorius Alexandrinæ Ecclesiæ præsideret.* Hæc ex versione Valesij, & notanda sunt verba Zozomeni: *cum universi* (inquit) *convenissent* (id est septem & nonaginta Episcopi, ut paulò ante eodem capite dixerat) *complures eorum indignari cœperunt*: non dicit Zozomenus, omnes indignatos, sed *complures* utique Arianos, qui, licet contradicerent Catholici, regulam finxerunt postmodum à D. Chrysostomo, Innocentio primo, Palladio, & Georgio Alexand. improbatam, *& cœperunt*, subdit Zozomenus, *Athanasium graviter accusare, quod Sacerdotalem legem, quam ipsi tulerant, contempsisset, & Alexandrinam Ecclesiam prius recepisset, quam id ipsi permissum fuisset à Synodo. Ipsi tulerant*, inquit Zozomenus de Eusebianis, & si quæras quotnã ex istis? en Palladium Helenopolitanum Episcopum in vitâ mæcenatis sui Chrysostomi: erant inquit canones, *quos Theophilus miserat à quadraginta complicibus Arij editos.* Quadraginta illi complices Eusebiani, sunt ipsissimi complures Episcopi à Zozomeno laudati, quibuscum fidem simulantibus anteà coniuncti alij 50. aut paulò plures Catholici Episcopi statuerant canones 25. sed à quibus nunc separati erant, dum in Athanasium insanire cœperant Eusebiani, qui quadraginta numero re-

Zozomen.

Palladius.

probatum à Palladio & Georgio canonem ediderunt, & impiam illam de suprema Synodorum Provincialium auctoritate ad Iulium Papam miserunt sententiam, ac demum *cum gravissima adversus Athanasium conflata esset calumnia, decreverunt, ut Gregorius Alexandrinæ Ecclesiæ præsideret*: de quibus Iulius primus in rescripto ad Antiochenos apud Athanasium apologiâ 2. *Qui solum ad 36. suffragia eorum, qui Antiochiæ fuerunt, externum hominem Episcopum salutarunt.* Sic innuens Eusebianos à Catholicis divisos fuisse auctores damnationis Athanasij & statutorum ad hoc effictorum, quæ partim ibidem refellit.

Iulius I.

181. Ex dictis iam patet, facillimam esse difficultatis enodationem, & admissos ab Ecclesia 25. canones initio Antiocheni Concilij legitimè à Catholicis & Catholicam fidem simulantibus editos, rejectos verò alios in fine Concilij à solis Eusebianis excogitatos, & contrà disciplinam Ecclesiastici regiminis editos hocque sufficienter colligeretur ex laudato Iulij Papæ testimonio, si indubitatum existeret: at opponit sese novissimè Henricus Valesius libro 2. Observationum in Socratem & Zozomenum capite 8. qui tuetur, Iulium primum Græcè ad Eusebianos scripsisse, & Græcâ linguâ ab Athanasio productam fuisse Julij epistolam, ac in Græco aliter esse, quàm citavimus: „ verba (inquit) Julij Papæ ad Orientales sunt: *qui sunt igitur, qui „ contrà Canones agunt? nosne, qui cum tantis rerum documentis virum recepi- „ mus? an qui à triginta sex mansionibus Antiochiæ quemdam velut Episcopum „ externum hominem salutarunt, eumque militari manu stipatum Alexandriam „ miserunt?* Reprehendit Julius Papa ordinationem Gregorij, eumque „ contrà canones Ecclesiasticos Alexandriæ Episcopum factum esse „ asserit, quippè qui non in urbe Alexandrinâ ordinatus fuisset suffra- „ gante clero & populo, sed in urbe Antiochiâ, quæ triginta sex „ mansionibus, id est triginta sex dierum itinere distat ab urbe Alex- „ andriâ. „ Hucusque Valesius, qui hisce Baronium refellere conatur asserentem juxtà Iulij testimonium non 90. aut plures Episcopos, sed solùm 36. Eusebianos Gregorium in locum Athanasij substituisse, cum Iulius non dicat ad 36. suffragia, sed à 36. mansionibus. „ Deleatur „ ergo hic error (inquit Valesius) ex Annalibus Ecclesiasticis, ut ex „ animis eorum, qui Baronij authoritate inducti, id pro certo & in- „ dubitato hactenus tenuerunt, sex & triginta Arianæ factionis & „ communionis Episcopos in Antiochena Synodo consedisse. „ At pace Valesij dictum sit, error non est, quem errorem reputat, nisi forsan de numero quatuor Arianorum. Enimverò (quidquid sit de loco

Iulius I.

Valesius.

Valesius.

Iulij

Iulij primi, qui si Latinè scripsit, ex Latino non Græco restituendus esset,) certum est, ipsum Iulium non existimasse omnes Antiochiæ congregatos Episcopos subscripsisse depositioni Athanasij: scribit enim ad illos: *Audio paucos esse istorum malorum auctores.* Ergo non omnes Antiochiæ congregatos accusat, quod utique separatos à Catholicis Eusebianos talia effecisse noverat, hosque à sese improbatos canones separatim constituisse, quos, inquit Palladius in vita Chrysostomi, *Theophilus miserat à quadraginta complicibus Arij editos.* Et Georgius Patriarcha Alexandrinus in vita Chrysostomi: *observari insussent quadraginta Arianæ hæresis.* Erant ergo quadraginta tantum Ariani, qui hæc peragebant, quod si Valesius rectè perpendisset, aliter profectò scripsisset, & de impijs canonibus à 40. Arij complicibus editis intellige Innocentium primum: *Hæreticorum inventa Catholicis canonibus non sunt annectenda.*

Iulius I.

Palladius.

Georgius Alexand.

Innocent. I

CAPUT VI.

De Canonibus Sardicensis Concilij.

182. *Occasio Sardicensium Canonum ex figmentis Eusebianorum, quorum præposteris Canonibus oppositi sunt ab Osio & Gaudentio Canones 3. 4. & 7. inter 21. Sardicenses.*

183. *Mens Domini de Marca contrà horum Canonum primævam receptionem, hos enim nonnisi post tempora Innocentij primi receptos statuit.*

184. *Refellitur error hactenus inauditus, & ab omnibus ferè orbis Catholici Episcopis hos Canones fuisse statutos aut receptos, statuitur ex epistolâ Synodicâ & Athanasio.*

185. *Canones itaque Sardicenses ab initio fuisse receptos, ex Apologia Athanasij & causâ D. Chrysostomi per Palladium & Georgium Alexandrinum defensâ ostenditur.*

186. *Firmatur ex ipso Innocentio I. subscribente Hincmaro Remensi.*

187. *Post Innocentium receptos fuisse, omnium generum testimonijs efficitur.*

182. SOli Eusebiani in D. Athanasium rabidi temeritatem suam extendere ausi erant ad novas Ecclesiæ Regulas Sedis Apostolicæ authoritati longè injuriosas, nec falsitatis à Iulio primo convicti erubescere visi sunt, sed quia frontem meretriciam induerant,

 contrà

contrà Sardicensis Concilij Patres semel confictum errorem resumpserunt urgendo, inconcussum manere oportere Orientalis Concilij judicium, hinc Athanasium malè restitutum, & ex Concilio & Patrum cœtu expellendum, ut honor suus servaretur Orientis judicio. Erat pestiferum venenum, cui orthodoxa sub cælo Ecclesia debebat antidotum, quo novitate explosâ & antiqua Traditio, & canones Nicæni, & jura Apostolicæ Sedis Divinitùs instituta in suo vigore servarentur illæsa: hinc Sardicensis Concilij Patres renovatis potissimum Magnæ Synodi Nicænæ regulis occurrerunt edentes 21. Canones, quorum tertius, quartus, & septimus læsam Sedis Apostolicæ authoritatem restaurarunt, non noviter instituerunt, ut suo loco videbitur.

183. De hujus Concilij 21. canonibus quæstionem nobis movet Parisiensium Archiepiscopus de Marca occasione trium laudatorum canonum, quos lib. 1. cap. 10. §. 9. & lib. 7. cap. 3. §. 1. Novum jus præscribere, neque in Oriente aut Occidente tunc temporis fuisse receptos existimat. Quod ultimum prosequitur libro 7. cap. 13. dicens, canones Sardicenses ab Innocentio Papâ non fuisse in authoritatem receptos, ut patet ex epistola eius ad Clerum Constantinopolitanum: *Canonibus porrò obsequendum esse scribimus, qui Nicæa sunt decreti: quos soles consectari decet Ecclesiam Catholicam, & juxtà eos judicare.* Et ex epistolâ ad Theophilum Alexandrinum, præter Nicænos, *alios quippè canones Romana non admittit Ecclesia.* Undè infert D. de Marca lib. 7. cap. 12. §. 1. „ Nondum recepti erant canones Sardicenses ætate Innocentij „ primi, id est, ad annum 400. „

Innocent. I

De Marca.

184. Verùm & hic est unus ex erroribus D. de Marca, qui sæpiùs in progressu operis venit corrigendus. Sufficiat hic Canones vindicare, qui statuti sunt à totius ferè Orbis Episcopis, dum ex 35. Provincijs Sardim convenerant, ut testis est D. Athanasius in epistolâ ad solitarios, vel ex 38. Provincijs ut habent Theodoretus lib. 2. hist. cap. 8. & Cassiodorus in historiâ tripartitâ lib. 4. cap. 24. adductis ipsius Synodi litteris cum hac epigraphe: *Sancta Synodus Dei gratiâ Sardicæ congregata ex urbe Româ, Hispanijs, Gallijs, Italiâ, Campaniâ, Calabriâ, Aphricâ, Sardiniâ, Pannoniâ, Mysiâ, Daciâ, Dardaniâ, alterâ Daciâ, Macedoniâ, Thessaliâ, Achaiâ, Epiris, Thraciâ, Rhodope, Asiâ, Cariâ, Bithyniâ, Hellesponto, Phrygiâ, Pamphyliâ, Lydiâ, Insulis Cycladibus, Ægypto, Thebaide, Lybiâ, Galatiâ, Palestinâ, & Arabia.* Et ex his Provincijs aut Orbis Regionibus numerat D. Athanasius 78. Episcopos adfuisse Italicos, è canalio

Synodica Sardic.

D. Athanasius.

canalio Italiæ 14. ex Galliâ 34. ex Africâ 36. ex Ægypto 92. ex Cypro 12. ex Palestinâ 15. ultrà eos, qui ubique terrarum (exceptis solis Eusebianis) scripto adhærebant sacrosancto Sardicensi Concilio, cujus statuta ab ipsis in authoritatem non fuisse recepta, incredibile est & sine fundamento asseritur. Etenim quod ex verbis Innocentij desumitur argumentum, à sensu Innocentij est longè alienum. Agit Innocentius contrà Eusebianorum canones, qui à Nicænis differunt, & de solis Nicæno repugnantibus intelligi debet abjudicasse authoritatem, cum certum sit, ante tempus istius Pontificis non solùm Arelatensis primi aliorumque Provincialium quorumdam canones admissos fuisse, sed etiam Sardicenses, quos tunc temporis sub nomine Nicænorum solebant citare Pontifices, ut suo loco fusiùs.

185. Canones itaque Sardicenses à Catholicâ Ecclesiâ semper fuisse receptos, patet in primis ex omnium ferè Orbis Provinciarum Episcopis, qui non solùm eos statuerunt & probarunt, sed ut habetur tomo 2. Philippi Labbei, post epistolam Concilij Sardicensis ad omnes Episcopos, ex apologiâ 2. D. Athanasij: *Hæc ita scriptis mandata, sacrum Sardicense Concilium ad eos, qui interesse non poterant, misit; qui ipsi quoque suis suffragijs decreta Synodi approbarunt.* Idem Concilium D. Athanasius continuò urgere solebat contrà Eusebianos, & de eo habent excerpta apud Photium ex vitâ Athanasij: *Athanasius autem Alexandriam cum venisset, conventus Episcoporum in Ægypto egit, quæ Synodus consentiebat iis, quæ in Sardicensi & Hierosolymitanâ Synodo decreta essent.* Idem tempore Innocentij primi, hoc est post 55. aut paulò plures annos à Synodo Sardicensi, opposuit D. Ioannis Chrysostomi adversarijs Palladius Helenopolitanus Episcopus, quod ipse ex D. Ioanne Chrysostomo hausit, uti post Socratem & Cassiodorum ante annos 1050. in vita D. Chrysostomi Georgius Patriarcha Alexandrinus: ubi canoni Antiocheno à solis Eusebianis exarato reponit: *Et hic quidem Canon tanquam illegitimus, & à jure dissentiens de relegando in exilium in Sardicensi Concilio declaratus est ab Romanis, Italis, Illyriis, Macedonibus, Græcisque Episcopis.* Sunt ferè ipsissima Palladij verba, ex quibus patet, Sardicensis Concilij authoritatem ab Orientalibus veneratam quoad decreta in iis edita.

Apologia Athanasij.

D. Athanasius.

Palladius.

Georgius Alexand.

186. Nec soli Orientales; sed ipse quoque Innocentius primus epistolâ 29. ad Clerum & populum Constantinopolitanum ipso eodem loco, quo juxtà D. de Marca solos Nicænos canones sectari dicit Ecclesiam Catholicam, addit contrà Eusebianorum figmenta

Innocent. I

menta: *Hæreticorum namque inventa Catholicis canonibus non sunt annectenda.... Quapropter non solùm hoc dicimus, istos sequendos non esse, verùm etiam cum hæreticis & schismaticis seu dissidiosis dogmatibus condemnandum: quemadmodum antea in Sardicensi Concilio ab Episcopis, qui nos præcesserunt, factum est.* Ubi manifestum fit, in tantum abesse, quod Innocentius primus Sardicensis Concilij decreta non admiserit, ut potius ea in authoritatem recipiat, & exindè posthumos Eusebianorum pseudo-canones reiiciat, ac authoritate destitutos demonstret. Quinimò ex hoc sacrosancto Sardicensi Concilio statuta præscripsisse, aut præscripta monstrasse Innocentium I. patet ex epistolâ 2. ad Victricium Rhotomagensem Episcopum, cap. 3. ubi canonem 5. Nicænum de terminandis in Provincialis Concilij tam superioris quàm inferioris ordinis causis, laudat cum hocce addito: *Nec alicui liceat, sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri, relictis his Sacerdotibus, qui in eadem Provinciâ Dei Ecclesi[illegible] nutu Divino gubernant, ad alias convolare Provincias.* Quibus respicit ad Sardicensis Concilij canones, qui ita Provincialibus Concilijs vindicant authoritatem, ut Romano quoque Episcopo sua servetur potestas, unde Hincmarus Metropolita Remensis epistolâ 9.cap.12. *B. quoque Innocentius ad Victricium Rothomagensem Episcopum duo capitula magni Concilij Nicæni, & capitulum Sardicensis Concilij de Episcoporum ad Sedem Apostolicam appellatione, uno capitulo sagaciter atque patenter explicat.* Ex quibus planè ruit fundamentum Parisiensis Archiepiscopi.

Innoc. I.

Hincmarus Remensis.

187. Post Innocentium primum Sardicensis Concilij canones in authoritatem recepit eius immediatus Successor Zozimus, qui & aliquos eorum de appellatione tractantes ad Africanum Concilium misit, quibus licet Africa Donatistarum fraude privata esset, & ideò illos ignorasse videatur, posteà tamen errore cognito illos agnovere Præsules Africani, ut patet ex collectione Ferrandi Carthaginensis Ecclesiæ Diaconi, qui floruit Justini & Justiniani temporibus circa annum 530. quem subsecutus est Cresconius Africæ Episcopus circà annum 690. quorum breviaria publicavit primùm Christophorus Justellus subindè inserta tomo 1. Bibliothecæ Juris Canonici, in quibus videre est, Sardicenses Canones tunc fuisse usu receptos in Africâ. Et post Africanorum contestationem fuisse ubique receptos, suadere in primis videtur collectio sub nomine Theodoreti per Græcos fugitivos Constantinopoli ad Occidentem adducta, & ex Bibliothecâ Græcâ Catharinæ de Medicis nunc asservata in Bibliothecâ Christianissimi

Zozimus Papa.

Ferrandus Diaconus.

Crescon.

Theodoret

nissimi Regis, ut testis est Cardinalis Perronius in repl. contrà Angliæ Regem, cap.53. ubi inter alia ex hac collectione adducit canones Sardicensis Concilij. At cum hæc collectio Theodoreti non sit, sed Ioannis Scholastici, canones Sardicenses tempore Theodoreti receptos probamus in primis ex priscâ canonum editione circa tempus Concilij Chalcedonensis elucubratâ, quam ediderunt Voellus & Justellus junior, tomo 1. Bibliothecæ Juris Canonici. Deindè ex Concilio Chalcedonensi & ex ipsa causa Theodoreti, cujus appellationem juxtà canones Sardicenses à Leone primo susceptam agnovêre Patres, & ex allocutione post actionem 16. ad Marcianum Augustum, ubi decreta Sardicensia in Orientem missa Synodus cum veneratione agnovit, quinimò in confirmationem actorum suorum his verbis retulit: *Et illi quidem, qui apud Sardicam contrà reliquias Arij convenerunt, Orientalibus direxerunt sui constituta judicij.* Undè tam de Sardicensis quàm aliorum Conciliorum regulis intelligendus est hic Canon Chalcedonensis primus: *Qui à sanctis Patribus in unaquaque Synodo hucusque expositi sunt, observari canones æquum censuimus.* Sicque tempore Justiniani Imperatoris sæculo 6. Joannes Scholasticus, quem in ejecti S. Eutychij Constantinopolitanam Sedem intrusit Imperator, ipsos imposuit suo nomocanoni, quem perperam in Codice Regio habere pro auctore Theodoretum, infrà videbimus. Eosdem sub Justiniano codici canonum quoque inseruit Dionysius Exiguus, qui in Præfatione sua ad Stephanum Salonitanum Episcopum testatur, sese canones Græcos latinitate donasse, & his *statuta quoque Sardicensis Concilij.... quæ Latinè sunt edita,* subjunxisse: quibus ultimis verbis indicatur longè ante Dionysium Sardicensis Concilij statuta fuisse edita, & in Occidente recepta. Post Dionysium Synodus Trullana anno 692. canone 2. Synodales canones recensens ab omnibus recipiendos, ponit & Sardicenses, quos post Isidorum Mercatorem adeò retinendos duxit Nicolaus primus, ut Photio Patriarchæ Constantinopolitano hos canones ignoranti reposuerit epistolâ 6. *Quod verò dicitis, neque Sardicense Concilium, neque decretalia vos habere sanctorum Pontificum vel recipere, non facilè nobis facultas credendi tribuitur. Maximè cum Sardicense Concilium, quod penes vos in vestris regionibus actum est, & omnis Ecclesia recipit: quâ ratione convenerat, ut hoc sancta Constantinopolitana Ecclesia abijceret, &, ut dignum est, non retineret.* Ulterius id prosequitur Nicolaus I. epist. XI. ad Photium, & canones Sardicenses etiam apud Græcos semper extitisse sic probat: *Nos diligentissimè requirentes, reperimus ipsos Canones eo sensu & numero non solùm in*

[Margin notes: Perronius. | *Vide Leonem I. epistola ad Theodosium.* | Synodus Chalced. | Canon I. Chalced. | Ioan. Scholasticus. | Dionysius Exiguus. | Synodus Trullana. | Isidorus Mercator. | Nicolaus I. | Nicolaus I.]

novis

novis, verum etiam in veteribus, atque authenticis codicibus, qui veraciores soliti sunt inveniri, græcè conscriptos, quo cæteris Latinis Canonibus inserti esse cernuntur, nimirum qui & à Præsulibus Provinciarum penè totius Orbis diffiniti sunt, & illis omnibus satis placuisse per eadem exemplaria græca monstrantur. Quomodo autem non esse penes vos Sardicenses Canones tu solus astruere poteris, quando non solùm à latinæ, verum etiam cum aliis à Greca lingua hominibus statuti sunt & promulgati? qua de re credibile non est, quod illic diffinitum est, unumquemque eorum minimè linguæ propriæ tradidisse. Aut quomodo non sunt penes vos Canones Sardicenses, quando inter quinquaginta titulos, quibus concordia Canonum apud vos texitur, ipsi quoque reperiuntur? Meminit concordiæ canonum Græcæ sub 50. titulis redactorum, quæ est collectio Ioannis Scholastici, de qua suprà: & ad hæc Nicolai primi invicta argumenta adeò Photius obstupuit, ut re sagatiori mente disquisitâ vela verterit, & inventos in Oriente Sardicensis Concilij canones suo nomocanoni inseruerit, ut non solùm lucet ex titulis ipsius nomocanonis, sed insuper ex Præfatione Photij nunc primùm editâ tomo 2. Bibliothecæ Iuris Canonici, ubi inter cætera Concilia, quorum canones nomocanon continet, etiam habentur: *Synodi Sardicensis Canones* 21. hosque quàm magni duxerit Orientalis Ecclesia, lucet ex Scholiis Balzamonis ad hunc nomocanonem additis: lucet etiam ex Synopsi canonum ab Aristino conscriptâ, ubi omnes 21. canones Sardicenses referuntur, uti & in Epitome canonum Simeonis Magistri & Logothetæ, & in Synopsi canonum Arsenij Monachi, quæ omnia extant tomo 2. Bibliothecæ Iuris Canonici: ut meritò Eminentissimus Cardinalis Perronius cap. 53. contrà Angliæ Regem Sardicenses hosce canones defendat receptos ex canonum editionibus Photij, Simeonis Logothetæ, Zonaræ, Balzamonis, Alexij Aristini, insuper codicibus Russianis, Syriacis, Armeniacis, Ægyptiacis, & Æthiopicis, in quibus continentur, & Antonius Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus lib. 1. Dialogo 18. scribere potuerit „quod in Corpore Canonum, & in omnibus Græcis & Latinis Collectionibus Conciliorum „habeantur„ idque tam necessariò, ut nec Paulum Apostolum recepisse exclamet Nicolaus I. *qui Sardicense Concilium non recepit.*

Photius.

Perronius.

Antonius Augustin.

Nicolaus I.

CAPUT VII.

CAPUT VII.

De Canonibus Concilij Constantinopolitani I.

188. *Quotnam Canones constituerit Concilium Generale 2. & utrùm septem ab initio sub ejus nomine circumferebantur?*

189. *Quod Canones Constantinopolitani fuerint recepti ab Ecclesia, suadent aliqua antiquitatis monimenta.*

190. *Receptos tamen non fuisse à Sede Apostolicâ & Occidentis Episcopis, quinimò nec ab omnibus Orientalibus firmatur ex Damaso Papâ, D. Ambrosio, Concilio Aquileiensi, Gregorio Nazianzeno, & D. Chrysostomo.*

191. *Favere quidem cœpit eorum receptioni Orientis Ecclesia post Chrysostomum, sed contradicente semper Apostolicâ Sede, ut patet ex Lucentio Leonis Legato in Concilio Chalcedonensi, ex rescriptis Leonis I. Gregorij Magni, & Nicolai I.*

188. ILlegitima fuisse huius Concilij anno 381. coacti primordia, suo loco ostendetur, quæstio exurgit de Canonibus, quotnam statuerit Concilium hoc Constantinopolitanum? sunt enim existimantes plures canones statutos non fuisse quàm tres aut quatuor, reliquos successu temporis accessisse. Enimverò in Epistolâ synodicâ sequenti anno ad Damasum Papam & Occidentis Episcopos transmissâ, enumerantur statuta huius Concilij, quæ reducuntur ad canonem 1. de anathemate hæreticorum: ad canonem 2. de regimine Provinciarum à suis Synodis, & ordinatione Episcoporum à Provincialibus Episcopis: Demum ad 3. de ordinatione Nectarij, & depositione Maximi Cynici, cui accedit vetustissima canonum collectio Latina, quæ quatuor quidem canones exhibet, sed primum bipartitur, unde & Dionysius Exiguus, qui testatur sese ex priscæ translationis confusione permotum ad novam Græcorum canonum versionem juxtà Græcam authoritatem seu antiquum codicem ante Concilium Chalcedonense elucubratum, tres tantùm canones Constantinopolitanos exhibet, neque plures exhibet idem Codex antiquus, qui continebat canones usque ad Constantinopolitanum Concilium inclusivè *sub ordine numerorum, id est, à primo Capite usque ad centesimum sexagesimum quintum*, cùm autem canones Laodiceni pertingant usque ad numerum centesimum sexagesimum secundum, restant post Laodicenos tantùm tres canones Con-

Dionysius Exiguus.

stantinopolitani usque ad numerum centesimum sexagesimum quintum. Verùm his non obstantibus plures fuisse canones Constantinopolitanos quàm tres, docet Ætius in Concilio Chalcedonensi relegens ex Codice suo Canonem 150. Patrum de Constantinopolitanæ Sedis honore, qui inter tres citatos non comparet, cum tamen cum illis tribus continebat antiquissima versio Latina, quâ usus fuit Isidorus Mercator, quæ malè canones dividit in sex & Symbolum Fidei exhibet pro septimo. Sex primos canones integrè retulit Ioannes Scholasticus Episcopus Constantinopolitanus in suâ Collectione 50. capitum, habetque in Præfatione: *Patres Constantinopoli Congregatorum, à quibus expositi sunt Canones sex.* Sex etiam attulit in Epitome Canonum Simeon Magister & Logotheta. At septem hoc tempore extant ex versione Gentiani Herveti in Tomis Conciliorum: eos omnes adducto Græco edidit in Codice Canonum vulgò Ecclesiæ universæ Christophorus Iustellus, „qui hanc Annotationem apponit: „ hi septem Concilij Constantino- „ politani 1. canones extant in vulgato Codice Tilij, & in Codicibus „ M.SS. Balzamonis & Zonaræ, & Tomo 1. Conciliorum Oecume- „ nicorum Græcè & Latinè, Pauli V. Papæ Rom. authoritate Romæ „ editorum an. 1608. „ habuit & illos Photius sæculo 9. & nomocanoni suo inseruit, scribens & in Præfatione. *Synodi Constantinopolitanæ Sanctorum Patrum centum & quinquaginta Canones septem.* Habet & illos in Synopsi Canonum Alexius Aristinus, licet ultimum bipartiatur sicque 8. exhibeat: habet demum ipsos 7. canones Arsenius Monachus in sua Canonum Synopsi, ex quibus abundè constat de numero canonum, licet initio pauciores circumferebantur in Occidente ob rationes statim afferendas.

Ioan. Scholasticus.

Chrystophorus Iustellus.

Photius.

189. De his Synodi Constantinopolitanæ canonibus secunda jam est quæstio, num fuerint in Ecclesia recepti? affirmativę parti favere videtur Codex Canonum Græcorum, in ipso Concilio Chalcedonensi probatus, etiam quoad canonem 3. de Patriarchatus Constantinopolitani in locum secundum erectione: & Iustinianus Augustus in Novellâ 131. cap. 1. *Sanctarum quatuor Synodorum* (inquiens) *Dogmata sicut sanctas Scripturas accipimus, & Regulas sicut Leges observamus.* Has autem Novellas probavit Romana Ecclesia, cujus Pontifices in diurno per Gratianum Distinctione 16. cap. 8. citato, professionem hanc emisere: *octo Concilia usque ad unum apicem immutilata servare, & pari honore & veneratione digna habere, & quæ prædicaverunt & statuerunt, modis omnibus sequi, & prædicare, quæque condemnaverunt, ore & corde condemnare.*

Codex Canonum.

Iustinianus

Diurnum Romanum

190. His

190. His tamen non obstantibus pars negativa veritatem attingit, & Justiniani novellam, ac Romanorum Pontificum professionem restringendas esse ad legitimas Synodorum Generalium leges & regulas, nemini dubitare permissum est, has autem Concilij Constantinopolitani regulas esse illegitimas, suo loco ostendemus: sufficit hic probare, eas ab Ecclesiâ non fuisse admissas. Ac primò quidem habet Canon 4. *Vt maximus Episcopus nec fuerit vel sit.* At hunc canonem rejecit tunc temporis Damasus Romanæ Ecclesiæ Pontifex & nomine Concilij Italici S. Mediolanensis Episcopus Ambrosius, qui scribit ad Imperatorem Theodosium de hoc Maximo Cynico Constantinopolitano Episcopo jam per Concilij Constantinopolitani canonem 4. abdicato: *Nihil habuimus beatissime Principum, in quo de Episcopatu eius dubitare possumus.* Extat epistola apud Jacobum Sirmondum in appendice ad Codicem Theodosianum: ex quibus patet, hunc canonem de Maximo Cynico fuisse à S. Ambrosio cum integra Italica Synodo rejectum. Secundò ex canone 3. qui secundum Patriarchatus locum Constantinopolitano tribuit Episcopo, & Alexandrino Patriarchæ eripit: Quem taxare videtur Aquileiense Concilium hoc anno 381. sub Valeriano Aquileiensi & Ambrosio Mediolanensi Præsulibus in epistolâ 2. ad Theodosium Imperatorem, ubi non solùm de injuriâ Paulino Antiocheno sed & Timotheo Alexandrino factâ conqueritur: *Denique Alexandrinæ Ecclesiæ Timotheus Episcopus, sed & Antiochenæ Paulinus, qui semper communionis nobiscum intemeratam habuere concordiam, dissensionibus aliorum, quorum fides superioribus temporibus hæsitabat, feruntur urgeri.* Per aliorum dissensiones hic intelligi videntur dissensiones in Synodo Constantinopolitanâ inter Patres ortæ. Quidquid tamen sit, dissensiones de Patriarchatus honore respicit Synodo excedens S. Gregorius ex Nazianzenâ Sede in locum Maximi electus Constantinopolitanus Episcopus in oratione de Episcopis. *Valete, insolentes estote, Patriarchatus per sortes inter vos distribuite, magnus hic vobis mundus cedat, de locis alijs in alia migrate, hos deiicite, illos attollite. Hæc jucunda sunt vobis, pergite*: ex quibus mirum esse non debet, quod post 22. circiter annos D. Joannes Chrysostomus Constantinopolitanus Episcopus à Theophilo Alexandrino in judicium vocatus & dira passus, nunquam objecerit suum præ Alexandrino Patriarcha honorem, ac secundum post Romanum Episcopum locum: licet enim hoc canoni 3. Constantinopolitano innixum fundamentum sufficiens fuisset, ad reprimendum Theophili ausum, attamen nunquam attingere voluit D. Chry-

Can. 4. Cōstant.

Damasus.

Ambrosius

Can 3. Cōstant.

Conc. Aquileiense.

Gregorius Nazianze.

Chrysost.

D. Chrysostomus, quod sciret statutum illud canonis 3. nec in Occidente, nec in Oriente fuisse admissum.

191. Scimus post aliquod tempus Ecclesiam Orientalem magis favere cœpisse laudato 3. Synodi Constantinopolitanæ canoni, eumque tandem in sacro Chalcedonensi Concilio renovatum fuisse; at in hoc Chalcedonense Concilium repugnavit menti Ecclesiæ & rejectum fuit à Sede Apostolica, quæ canones Constantinopolitanos nunquam receperat, ut patet ex Lucentio Leonis primi in Synodo Chalcedonensi legato, qui Anatolij novæ Romæ Episcopi ambitum promoventibus reposuit: *Accedit ad cumulum, quod trecentis decem & octo constitutionibus postpositis, centum quinquaginta, qui in Synodicis constitutionibus non habentur, mentionem tantum fecisse noscuntur.* Eorumdem 150. Patrum canones Constantinopolitanos refutavit posteà & ipse Leo primus epist. 53. ad Anatolium, scribens canonem 3. nihil authoritatis obtinere ad justificandum usurpatum honoris locum: *Persuasioni enim tuæ in nullo penitus suffragatur quorumdam Episcoporum ante 60. ut jactas, annos facta subscriptio, numquamque à Prædecessoribus tuis ad Apostolicæ Sedis transmissa notitiam.* Quibus ultimis verbis insinuat magnus Leo invaliditatem horum canonum, quod suo usque tempore locum habuisse scribit S. Gregorius Magnus ad Eulogium Alexandrinum, & Anastasium Patriarcham Antiochenum lib. 6. epist. 32. *Canones Constantinopolitani Concilij Eudoxianos damnant, sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minimè dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem Canones vel gesta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit.* Et ut finiam sufficienter confirmat Nicolaus Papa I. epistolâ 8. ad Michaëlem Imperatorem, ubi de quodam facto ait: *Quod providè Constantinopolitana Synodus Canonum suorum 6. dignoscitur prohibere capitulo, quod tamen non apud nos inventum, sed apud vos haberi perhibetur. Verum novimus nos Apostolicis imbuti documentis, etiam sententijs uti paganorum, quantò magis Christianorum.* Quibus sufficienter inculcat Nicolaus primus, canones Constantinopolitanos non solùm in Occidente fuisse rejectos, sed etiam non omnes in scrinijs Apostolicæ Sedis fuisse inventos. Iis usus non est Ferrandus Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus in breviatione Canonum, sed nec Cresconius Africæ Episcopus in sua collectione, nec in sua Martinus Braccarensis Episcopus, nec in Epitome canonum Carolo Magno oblatâ eos adduxit Hadrianus primus anno 774.

Lucentius. Leo I. S. Gregor. Nicolaus I.

CAPUT VIII.

De prima Græcorum Canonum collectione, ubi & famosa quæstio de Codice Canonum Ecclesiæ universæ per Justellum edito.

192. *Ante Dionysium Exiguum fuisse quandam Canonum collectionem sub certis numeris dispositam, & ex Græco Latinitate donatam, colligitur ex Dionysio, Concilio Chalcedonensi, Episcopis Pisidiæ, Ioanne Scholastico &c.*

193. *Hanc collectionem à viris eruditis desideratam publicavit primum sub titulo Codicis Ecclesiæ universæ Christophorus Iustellus.*

194. *Hanc collectionem sub titulo Codicis Ecclesiæ universæ apud multos applausum meruisse ostendunt de Marca & Lupus, qui ultimus credidit hunc Codicem Canone 1. Chalcedonensi probatum.*

195. *Affertur sententia Marcæ de solis Canonibus Nicænis olim receptis, & post Canonem 1. Chalcedonensem receptâ in Occidente collectione à Iustello editâ, cui meritò se opposuit Dominus David, qui Propositiones de Marca refellit, & nos cum ipso.*

196. *Deindè titulum Codicis Ecclesiæ universæ neqnaquam convenire huic collectioni, efficitur momentis septem.*

197. *Demum Codicem hunc ab Aetiò in Concilio Chalcedonensi productum, non fuisse probatum Canone 1. Chalcedonensi clarissimè probatur contra de Marca & Lupum ex eo, quod Canones contineat Constantinopolitanos, quos Legati Leonis I. dum Canonem 1. constituerant act. 15. validè rejecerunt actione 16. tanquam non conscriptos; & Nicænis adversos, quod mirum ab eruditis non observari.*

192. LOngè ante tempora Dionysij Exigui, qui sub Justiniano Imperatore post annum 527. Romæ floruit, fuisse quamdam canonum collectionem, quæ ex Græco Latinitate donata fuit, testis est ipse Dionysius in Præfatione suæ collectionis, quam his verbis intonat: *Quamvis carissimus frater noster Laurentius assiduâ & familiari cohortatione parvitatem nostram regulas Ecclesiasticas de Græco transferre impulerit, confusione credo priscæ translationis offensus.* Ubi notanda in primis sunt verba: *priscæ translationis.* Quæ clarè ostendunt, longè ante sua tempora in Occi-

Dionysius Exiguus.

Occidente fuisse canonum collectionem latinitate donatam. Secundò *regulas Ecclesiasticas de Græco.* Hæc enim indicant primam collectionem fuisse Græcorum, ex qua Dionysius consequenter refert: *Nicanæ Synodi & deinceps omnium Conciliorum, sive quæ anteà, seu quæ postmodum facta sunt usque ad Synodum* 150. *Pontificum, qui apud Constantinopolim convenerunt, sub ordine numerorum, id est à primo capitulo usque ad centesimum sexagesimum quintum, sicut habentur in Græcâ authoritate digessimus.* Quæ nobis ordinem & numerum canonum, prout in Græco Codice continebantur lucidissimè aperiunt, ac significant eumdem ipsum fuisse, quo usum est anno 451. Concilium Chalcedonense, & ex quo actione 4. Aetius Archidiaconus legit canonem 83. id est 4. Antiochenum, & canonem 84. id est, 5. Antiochenum: & actione 11. *Leontius Reverendissimus Episcopus Magnesiæ ex Codice relegit regulam* 95. Id est canonem 16. Antiochenum: & *ex eodem Codice legit regulam* 96. Id est 17. Antiochenum. ad quæ tomo 4. Conciliorum rectè adnotat in margine Philippus Labbeus: „ Antiquam collectionem canonum intelligit certis nu-„ meris definitam.„ Utique illam, quam Dionysius Exiguus numeris 165. distinctam habebat, hoc enim ex eo ulterius liquet, quod codex Græcus, quem Dionysius Exiguus habebat, licet varia Concilia ante Nicænum canones statuerant, à Nicænis tamen numerare incipiebat, & codex qui lectus fuit in Chalcedonensi, à Nicænis quoque inchoabat, ut patet actione 16. ubi: *Constantinus Secretarius Divini Consistorij ex dato Codice ab Aetio Archidiacono Constantinopolitanorum sanctissimæ Ecclesiæ recitavit: regula sexta trecentorum decem & octo sanctorum Patrum. Antiqua consuetudines &c.* Deindè ex eo, quod Dionysius Exiguus ordinem Græci codicis secutus canonem 4. Antiochenum citet sub numero 83. & 5. sub numero 84. & decimum sextum sub numero 95. & decimum septimum sub numero 96. qui omnes sub eodem numero in Concilio Chalcedonensi lecti fuere. Unde & Episcopi Pisidiæ in epistolâ ad Leonem Imperatorem: *Secundum consequentiam regularem nullâ eis veniâ, nec spe restitutionis ullo modo remanente sicut* 83. *regula de talibus apertè decernit, cujus initium est: si quis Episcopus à Synodo depositus &c.* Est autem Canon 4. Antioch. Et Ioannes Scholasticus scribens se canonum decreta in titulos 50. distribuisse, *non servato ordine & consequentiâ numerorum.* Et Hincmarus Remensis in opere 55. capitum, cap. 21. aliique.

Dionysius Exiguus.

Aetius.

Leontius.

Labbeus.

Concilium Chalced.

Episcopi Pisidiæ.

Ioan Scholasticus.

193. Confusa hujus codicis notio effugere non potuit peritorum quorumdam ingenia, inter quos Antonius Augustinus lib. 1. de emendatione

datione Gratiani Dialogo XI. & Eminentissimus Cardinalis Baronius tom 3. ad annum 341. n. 34. ubi scribit: „ Illud compertum est ex „ quâdam antiquiori nobis incompertâ collectione, in Concilio Chal- „ cedonensi duos canones Antiochenæ Synodi in actione 4. atque XI. „ ad verbum esse citatos, sed absque titulo Antiocheni Concilij, quo- „ rum quidem in eo codice; qui in Synodo probatus est, atque lectus „ act. XI. prior 95. alter 96. erat numero consignatus: cum tamen ii- „ dem in Concilio Antiocheno sextus decimus, & septimus decimus „ describantur, ut planè appareat, non ex ipso Antiocheni Concilij „ codice editos esse, sed ex quadam ante jam factâ collectione com- „ muni maiorum authoritate probatâ. „ Hanc, quam Baronius sibi incompertam collectionem indigitavit, tandem Christophorus Justellus, hæreticus licet, non parum tamen in antiquitate versatus, sese invenisse ratus, anno 1610. Parisijs edidit, & ex Græcis codicibus editis & manuscriptis restituit cum hocce titulo: *Codex Canonum Ecclesiæ universæ à Iustiniano Imperatore confirmatus.* Continet canones Nicænos 20. à numero 1. usque ad vigesimum: Canones Ancyranos 25. usque ad numerum 45. Canones Neocesarienses 14. usque ad numerum 58. canones Gangrenses 20. usque ad numerum 78. Canones Antiochenos. 25. usque ad numerum 103. Laodicenos canones 59. usque ad numerum 162. Demum Constantinopolitanos 3. usque ad numerum 165. qui est ipsissimus numerus à Dionysio Exiguo citatus: *A primo capite* (inquiens) *usque ad 165. sicut habetur in Græca authoritate.* Et ipsissimus ordo, ut patet ex Antiochenis canonibus citatis in Chalcedonensi sub numeris 83. & 84. qui eumdem ordinem retinent in hoc codice per Justellum edito, ut patet consideranti. Additi sunt quidem canones Constantinopolitani tres. Ephesini 8. & Chalcedonenses 29. ut numerus pertingat usque ad 207. Verùm indicat in Præfatione Iustellus, canones 8. Ephesinos additos esse postea à Stephano Ephesino, cujus collectio extat in Bibliothecâ Palatinâ Hamburgi nondum edita, & posteà Chalcedonenses ab alio adjectos esse.

Baronius. Iustellus. Dionysius Exiguus.

194. Hoc ipso quo Codex ille in lucem editus ad manus peritorum pervenit, apud multos applausum meruit tanquam venerandum antiquitatis monumentum, quo Ecclesia uti solebat post tempora Concilij Constantinopolitani, id est post annum 383. & ante tempus Chalcedonensis Concilij seu annum 451. Ita Dominus de Marca libro 3. capite 3. §. 1. „ Post Chrysostomum ante Concilij Chalcedo- „ nensis tempus, canones Nicæni, Ancyrani, Neocæsareenses, Gangrenses,

De Marca.

„ grenses, Antiocheni, Laodiceni, & Constantinopolitani numero
„ 165. in unum corpus collecti sunt Episcopi alicujus industriâ for-
„ talsè Stephani Ephesini Episcopi, ut præferebat vetus Codex M. S.
„ in Bibliothecâ Palatina, quemadmodum accepi à viro fide dignissi-
„ mo Cl. Christophoro Iustello, aut fortasse Synodi cujusdam Orien-
„ talis decreto. „ Et Iustellus ipse, qui voluit huic codici canones
Ephesinos, tempore Theodosij junioris anno 431. statutos, per Ste-
phanum Ephesiorum Episcopum fuisse adjunctos, adeoque ante illud
tempus extitisse: ex quo Iustellus junior in Bibliothecâ Juris Cano-
nici tomo 1. statuit, compositum fuisse hunc codicem sub Imperio
Theodosij junioris. Et hunc quoque codicem probatum putat Lupus
parte 1. per hunc canonem 1. Chalcedonensem: *Regulas SS. PP. per singula nunc usque Concilia constitutas, proprium robur obtinere decrevimus.* „ Canon
„ confirmat codicem canonum Ecclesiæ universæ (inquit Lupus)
„ omnesque in ipso contentos canones.... antiquum exemplar ex
„ Bibliothecâ Regis Christianissimi adductum à Petro de Marca Epis-
„ copo Tholosano, collectum & editum adfirmat à Stephano Ephesi-
„ norum Episcopo circà tempora Augusti Senioris. Forsan ab illo,
„ qui latrocinio Ephesino, & huic Synodo interfuit, ac de Episcopa-
„ tu disputavit cum Bassiano, potuit juvenis collegisse codicem. Prima
„ sanè collectio finiebat in canonibus Constantinopolitanis, ideoque
„ facta videtur ante Synodum Ephesinam. Postmodum accesserunt
„ canones Ephesini & Chalcedonenses. Porrò vox, *Ecclesia universa*,
„ restringi debet ad Ecclesias Orientales. „

Canon 1. Chalced. Lupus.

195. Notanda sunt ultima Christiani Lupi verba de titulo huic Co-
dici à Justello præfixo *Codex Ecclesiæ universæ*; enimverò rectè animad-
vertit vir eruditus, hunc illi Codici nequaquam competere titulum,
quod jam ante animadverterant Cardinalis Perronius & Franciscus
Florens, & pluribus demonstravit contra Petrum de Marca D. David
Libro de Iudicio Canonico Episcoporum cum Approbatione duorum
Doctorum Parisiensium & applausu multorum anno 1671. Parisiis edi-
to. Illustrissimus D. de Marca Libro 3. cap. 2. & 3. distinctione factâ
inter Orientalem & Occidentalem Ecclesiam prætenderat, 1. Occiden-
tem ante Nicænum non canonibus, sed solâ traditione usum pro re-
gulâ. 2 post Nicænum usque ad Innocentium primum solos canones
Nicænos habuisse in auctoritate: demum post laudatam regulam 1.
Chalcedonensis Concilij, huius Codicis approbatricem etiam admisisse
totum hunc Codicem, præter cuius contentos canones Ecclesia uni-
versa

D. David.

De Marca

versa nullos agnoscebat tanquam regulas generales, licet aliqui Canones potuerint esse constituti in particularibus Synodis, & admissi in particularibus Provinciis: verum latet venenum in herbâ, & hęc omnia excogitata sunt, ad abjudicandos Canones Sardicenses & primitivæ Ecclesiæ Appellationes à Sardicensibus Canonibus probatas: hinc meritò se opponit laudatus David, & nec unam harum trium Propositionum veram exclamat. Non ago defensorem argumentorum omnium, licet facilè hæ tres Propositiones falsitatis argui possunt ex dictis suprà. Quod ante Nicænum aliquæ regulæ, licet non per modum canonum, fuerint tamen universæ Ecclesiæ per Romanos Pontifices vel ipsorum applausu præscriptæ, evincunt edictum Zephyrini Papæ, de mœchis pœnitentiâ functis recipiendis, quod Tertullianus perfunctorium appellat: statutum Carthaginensis sub D. Cypriano Concilij de lapsis recipiendis à Cornelio Papâ firmatum; Canon 1. Concilij Arelatensis primi de Paschate ubique terrarum observando juxtà Romanæ Ecclesiæ Traditionem, aliisque quam pluribus, quæ ante Concilium Nicænum Occidens universus observavit, quo destruitur prima Domini de Marca propositio: & post Nicænum custodivit ut sacrosancta, ac planè admisit etiam Orientalis Ecclesia, uti & canones Sardicenses ante Chalcedonense Concilium, ut manifestum fit vel ex solâ Leonis I. ad Theodosium 2. epistolâ, ubi ait retractatorium ad Flaviani appellationem intrà Italiam judicium esse necessarium, *Canonum Nicæa habitorum decreta testantur, quæque subterannexa sunt.* Per *subterannexa*, intelligit decreta Sardicensia ante Chalcedonense Concilium, codici canonum imposita & annexa. Et hinc destruitur secunda Marcæ propositio, ac corruit tertia. Leo I.

196. Enimverò hunc codicem falsò præ-se-ferre titulum *Canonum Ecclesiæ universæ* ac si illos recepisset Ecclesia universa, & nullos admisisset pro regulâ generali totius Ecclesiæ præter illos, demonstratur ex pluribus: primò quidem, quod tam ante Nicænum Concilium, quàm post illud ante editum hunc codicem plurimas regulas Ecclesiasticas statuerint Synodi & Episcopi Romani ab omni Ecclesiâ observandas, quas tamen hic codex non continet. Secundò ex canonibus Concilij Arelatensis, quos cum Sede Apostolicâ omnis Occidens semper in authoritatem admisit, ut videre est capite 3. suprà. Hos enim cum non includat Codex, certum est, illum in Occidente non admissum fuisse tanquam Codicem unicè regulas universæ Ecclesiæ continentem. Tertiò ex actis Nicæni Concilij, quæ ostendimus ca-

pite 4. plura statuta inclusisse quam canonibus 20. continentur, hæc enim antiqui Ecclesiæ Patres Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, aliique admiserunt ut indubitas Ecclesiæ regulas, & tamen laudatus Codex omisit. Quartò ex canonibus Concilij Sardicensis, quos totus Occidens & Oriens ipse ab omni tempore venerati sunt, ut operosè probavimus cap. 6. & tamen Codex præteriit. Quintò ex canonibus Concilij Constantinopolitani, quos Codex continet, & tamen Sedes Apostolica & totus Occidens constanter rejecit, quinimò vilipendisse visi sunt D.Gregorius Nazianzenus & S. Joannes Chrysostomus duo præcipua Orientis lumina, ut vidimus capite 7.quod abundanter ostendit, titulum huic Codici Ecclesiæ universæ esse gratis & impertinenter affictum. Sextò ex Romanæ Ecclesiæ Pontificibus, qui post hoc quidem Concilium ante Chalcedonense tamen floruerunt, ut Damaso, Siricio, Innocentio primo, Zozimo, Bonifacio &c. usque ad Leonem primum; sub quo Chalcedonense celebratum est, qui omnes, canones citarunt, statuta præscripserunt aut firmarunt suis decretalibus epistolis, quæ in laudato codice non inveniuntur: hæc enim clarè ostendunt non eo codice tantum, sed pluribus quam in eo contentis canonibus pro universæ Ecclesiæ regulâ fuisse usos. Demum ut luce clarius probetur, hunc non esse codicem, quo Romana Ecclesia tunc temporis utebatur, actione 16. Concilij Chalcedonensis mota est quæstio inter legatos Leonis primi, & Aetium Archidiaconum Constantinopolitanum de Sede Constantinopolitanâ provectâ ad secundum honoris Patriarchalis locum: utraque pars citavit canonem 6. Nicenum, Aetius quidem ex codice controverso, Paschasinus item ex instructorio Leonis primi, at longè alijs conceptum verbis. Illic enim præerat exordium de Primatu Sedis Apostolicæ, quod in codice Aetij deerat: & tamen Paschasini lectionem correctiorem fuisse probando exindè Primatum Pontificis, ostenderunt gloriosissimi judices Chalcedonensis Concilij. Quæ omnia manifestum reddunt, Codicem hunc à Stephano Ephesino olim collectum, & ab Aetio in Concilio productum, fuisse quidem pro recitandis ex eo canonibus à Chalcedonensi receptum, non tamen eo ipso tanquam Codicem universali Ecclesiæ præscriptum.

197. Ulteriùs hoc probandum est, & quod desumunt viri eruditi pro hujus codicis approbatione ex Concilio Chalcedonensi argumentum, penitus refellendum. Post Iustellum, D. de Marca, & Christianus Lupus suprà producunt canonem primum Chalcedonensis

Conci-

Concilij, ac si ibidem approbatus esset Codex & Ecclesiæ præscriptus his verbis: *Regulas Sanctorum Patrum per singula nunc usque Concilia constitutas, proprium robur obtinere decrevimus.* „ Canon (subdit Lupus) confirmat „ Codicem canonum Ecclesiæ universæ, omnesque in ipso contentos „ Canones. „ At errorem esse, quis non videt? ubinam quæso Concilium Chalcedonense meminit codicis canonum? loquitur generaliter de regulis per singula Concilia ad illud usque tempus per sanctos Patres statutis, seu de legitimè constitutis canonibus & in Ecclesia receptis etiam Sardicensibus, quorum authoritatem admiserat, admittendo Concilium, ut suprà vidimus. Non restringebat sese igitur Concilium ad codicem prætensum, ut malè interpretati sunt huc usque eruditi, idque clariùs apparere non potest, quàm ex eo, quod hic Canon 1. & alij 26. sequentes statuti fuerint præsentibus & subscribentibus Paschasino, Lucentio, & Bonifacio Leonis primi legatis, prout continent acta Concilij correctissima apud Philippum Labbeum tomo 4. Conciliorum, qui act. 15. post canonem 27. refert Subscriptiones legatorum Leonis primi, & Patrum Concilij ex codice Maffei antiquissimo annorum mille descriptas Romæ per Iacobum Sirmondum: si enim huic canoni & aliis 36. subscripserint legati Leonis primi, certum est, per illum primum canonem Chalcedonensem approbari non potuisse codicem à Iustello editum, quandoquidem hic contineat canones Concilij Constantinopolitani, & illos non solùm non admiserint laudati Leonis primi legati, sed etiam expresè reprobarint. Cùm enim post recessum legatorum & gloriosissimorum Iudicum, quidam Orientales Episcopi ex canone 3. Constantinopolitano firmassent secundum locum Patriarchalem Constantinopolitano Episcopo, pervenit res ad aures legatorum Leonis primi, & sequenti die actione 16. graviter intercesserunt apud Iudices, & legatorum primus omnium vocem ferens *hesternâ die postquam potestas vestra surrexit* (inquit Paschasinus ad Iudices) *& humilitas nostra vestigia vestra secuta est, quædam gesta facta dicuntur, quæ nos & prater Canones Ecclesiasticos & disciplinam æstimamus effecta. Poscimus ergo, ut vestra magnificentia relegi hæc præcipiat*, & post pauca, *gloriosissimi Iudices dixerunt: gesta, quæ confecta sunt; relegantur*, & immediatè Beronicianus Secretarius legit solùm canonem 28. in quo habebatur ex canone 3. Constantinopolitano erectio novæ Romæ Episcopatus in secundum locum Patriarchalem, cui statim contradixit Lucentius Sedis Apostolicæ alter Legatus tanquam ex *non conscriptis Canonibus* ortum ducenti, statutoque authoritate Constantinopolitánorum Canonum,

Canon 1. Chalced. Lupus.

Legati Leonis I.

Lucentius.

qui in Synodicis Canonibus non habentur. Vides ergo luce clariùs, inter regulas Synodicas canone primo Chalcedonensi per Lucentium & Paschasinum Leonis primi legatos & totum Concilium probatas non fuisse canones Constantinopolitanos, adeoque graviter aberrare, qui putant hoc canone approbatum Codicem Ecclesiæ universæ canones Constantinopolitanos continentem.

CAPUT IX.

De Collectionibus Latinis Canonum, & signanter Dionysij Exigui.

198. *Ante & post Concilium Nicænum usque ad quintum sæculum fuisse varias Canonum Collectiones, indicant indubitata Antiquitatis monimenta.*

199. *Etiam in Gallia ante sextum sæculum Collectionem extitisse, probat Iacobus Sirmondus.*

200. *In Ecclesiâ Romanâ extitisse quandam antiquissimam Collectionem tomo 1. Bibliotheca Iuris Canonici editam ex octingentorum annorum Codice, eamque esse illam, cuius sub nomine Prisca translationis meminit Dionysius Exiguus, de quo ultimo dubium superest.*

201. *Quidquid sit de Prisca translatione, correctiorem suo tempore aggressus est Dionysius Exiguus, cuius Canonum notitia ex ipsius Præfatione, & compendio titulorum adfertur.*

202. *Post Canonum collectionem editam aliam ab ipso Decretalium Summorum Pontificum, ex Dionysio probatur, subinde & Pontifices adferuntur quorum Decretalia cum ipsius Canonibus nunc integrè extant tomo 1. Bibliotheca.*

203. *Agitur de authoritate Collectionis Dionysianæ, quam aliqui tanti faciunt, ut eo ipso suppositionis arguant, quo citata Decreta apud Dionysium non reperiuntur, & favet authoritati Collectionis elogium Cassiodori.*

204. *Illam Collectionem receptissimam fuisse in Galliis, probant varia per de Marca, Sirmondum & Voellum adducta.*

205. *Idem demum probatur de Africâ & Hispaniâ.*

206. *Licet authoritatis maximæ fuisse Collectionem probetur ex dictis, non tamen ita illi Collectioni sese obstrinxit Ecclesia, quin & alias regulas admiserit, & quasdam ex Dionysianis reprobarit, demonstratur id evidenter, ac ostenditur quàm vano fundamento nitantur, qui statim decreta suppositionis arguunt, cum à Dionysio collecta non inveniunt.*

198. Codicem

198. Codicem Græcorum Canonum diu ante Dionysium Exiguum Latinitate fuisse donatum suprà jam vidimus, & indicat ipse Dionysius Exiguus meminiscens *priscæ translationis*. Verum præter laudatos canones, complures Latinos in usu habuisse Romanam Ecclesiam & Occidentem universum, clariùs apparet ex dictis capite præcedenti, quàm ut iteratò ostendi oporteat. Putat D. David libro de canonico Episcoporum judicio, capite 2. art. 1. Ecclesiam Occidentalem habuisse alium codicem, in quo continebantur omnes regulæ & canones Ecclesiastici à cunctis observandi, eumque etiam aliquem extitisse ante ipsum Nicænum Concilium, nec sine fundamento, quandoquidem Clemens Alexandrinus teste Photio in Bibliothecâ cap. 111. scripsisse feratur *de Canonibus Ecclesiasticis*: & D. Basilius epistolâ 1. canonicâ dicat de Dionysio Patriarcha Alexandrino, qui floruit tempore D. Cypriani sæculo 3. *Fuit Canonum peritus*: & Concilium Nicænum etiam meminiscat *Canonis, Canonis Ecclesiastici, & Canonicæ legis*. Hæc enim cum dicat Nicænum, collectos canones insinuat, uti & Julius primus epistolâ ad Antiochenos proponens sequendos canones Apostolicos, & infrà: *Oportet secundum Canonem judicare*. Quæ omnia sonant, hos canones præter Nicænos jam tempore Iulij Papæ fuisse cognitos, quod etiam insinuat fuisse collectos. Fortius id urget epistola Damasi Papæ ad Paulinum Antiochiæ Episcopum edita à Lucâ Holstenio in Romanâ Historiâ bipartitâ, ubi jubet ad communionem redeuntes subscribere *in Ecclesiasticos Canones, quos* (inquit) *optimè nosti*. Hoc enim prodit canones & compilatos fuisse, & addisci tunc solitos, uti & pauló pòst Damasi successor Siricius testatur in epistolâ ad Himerium Tarraconensem Episcopum, dum scribit: *Statuta Apostolicæ Sedis, vel canonum venerabilia definita nulli Sacerdotum Domini ignorare sit liberum*. Neque post hæc dubitare licet, subdit Dominus David, quin Ecclesia Romana ex tunc habuerit codicem canonum, quem proponebat Ecclesiæ ut regulam indubitatam suæ disciplinæ, quod ulteriùs confirmat illud Innocentij I. epistolâ 5. ad Maximum & Severum Episcopos per Brutios: *Ecclesiasticorum Canonum norma nulli esse debet incognita Sacerdoti, quia nescire hæc à Pontifice satis est indecorum, maximè cum à laicis religiosis viris & sciatur, & custodienda esse ducatur*. Quid clarius? Canonum norma aut collectio tam vulgaris erat in Occidente temporibus Innocentij & Augustini, ut & ipsimet laici eam noscerent, & custodiendam ducerent.

Dom. David.

Clem. Alex.

D. Basilius, Nicænum Concil.

Iulius I.

Damasus.

Siricius.

Innocent. I

199. In Gallijs quoque diu ante tempora Dionysij Exigui fuisse

canonum etiam Græcorum collectiones, in sua præfatione ad antiqua Galliæ Concilia sustinet Iacobus Sirmondus vir eruditissimus, nam quidquid Decretorum Dionysius exhibuit, „ habuisse in codicibus suis „ Gallos (inquit Sirmondus) iisque etiam ante Dionysij ætatem in „ Concilijs suis uti solitos, docent in primis Synodi aliquot Dionysio „ ipso vel ejus collectione antiquiores, ut Valentina, Regensis, Arelatensis 2. Agathensis, & Epaonensis, in quibus citatos videmus „ Græcos canones, Nicænos, Laodicenses, & Ancyranos, non ex „ Dionysianâ translatione, quæ nondum erat, sed ex alterâ vetustio„ re apud Gallos tum receptâ : illa ipsa nimirum, quæ apud Isidorum „ Mercatorem legitur, & quam Laurentius Surius in editione Conci„ liorum cum Dionysianâ interpretatione conjunxit. Vidimus & ipsi „ antiquæ hujus versionis exemplaria non pauca : tum in his optimæ „ præ cæteris notæ quatuor, in codice Aniciensi, Corbeiensi, Re„ mensi, ac Fossatensi. „ Hæc omnia Sirmondus, quæ abundè ostendunt, fuisse canonum antiquissimam collectionem ante Dionysium, cujus exemplaria etiamnum reperiuntur in Galliâ.

Sirmondus

200. At præter citatam à Sirmondo collectionem extitisse, cujus sub titulo Priscæ translationis meminit Dionysius, iam insinuavimus suprà, unde scribit Parisiensium Archiepiscopus de Marca libro 3. de Concordiâ Sacerdotij & Imperij „ post Synodum Chalcedone habi„ tam canones Græci Latinitate donati sunt, & Occidentalibus „ communicati, interpretatione in eam rem elaboratâ, cuius memi„ nit Dionysius Exiguus: ejusque exemplar antiquissimum retinet „ adhuc Bibliotheca Vaticana à viris eruditis laudatum; & alterum „ venerandæ antiquitatis Codicem M. S. vir de antiquitate canonica „ optimè meritus Christophorus Justellus, in quo descripti sunt post „ cæteros canones 27. Concilij Chalcedonensis. „ Meminit de Marca codicis Vaticani à viris eruditis laudati, respiciens, ut credo, ad Iacobum Sirmondum, qui in libello de suburbicarijs scribit, se memoriam habere „ antiquissimæ Nicænorum canonum editionis in Biblio„ thecâ Vaticanâ, ubi: „ sextum hunc Nicenum canonem hoc titulo & „ exordio conceptum memini: *De Primatu Ecclesiæ Romanæ & aliarum* „ *civitatum Episcopis. Antiqui moris est, ut Episcopus urbis Romæ habeat pri*„ *matum, ut suburbicaria loca, & omnem Provinciam suâ sollicitudine guber*„ *net.* „ Qui Canon (concludunt exinde cum de Marcâ Guilielmus Voellus, & Henricus Justellus in Bibliothecæ Juris Canonici Præfatione) „ cum iisdem planè verbis conceptus habeatur in codice Justelli

De Marca.

Sirmondus

Canon 6. Nicen.

Voellus & Iustellus.

„ stelli alterum alteri esse quam simillimum evidenter ostendit. „ Et hoc fundamento inducti Voellus & Justellus junior exhibent in laudatæ Bibliothecæ tomo 1. ex octingentorum annorum codice manu exarato Bibliothecæ Christophori Justelli collectionem illam, quæ continet canones Ancyrenses viginti quatuor, Neocæsarcenses quatuordecim, Nicænos viginti-unum, Sardicenses decimumquartum, 15. 16. 17. 18. & titulum deciminoni, qui apud Dionysium Exiguum sunt 15. 16. 17. 18. 19. & 20. Gangrenses viginti, Antiochenos vigintiquatuor, Chalcedonenses viginti septem, & Constantinopolitanos quatuor, quibus subditur de Primatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ canon inter Chalcedonenses vigesimus octavus. „ Continebat „ olim (inquiunt Voellus & Iustellus Iunior in præfatione ad lectorem) ille præstantissimus Codex Canones Conciliorum Ancyrani, „ Neocæsarçensis, Nicæni, Sardicensis, Gangrensis, Antiocheni, Lao„dicensis, Constantinopolitani 1. & Chalcedonensis: sed quod ma„ximè dolendum, Synodi Laodicenæ integri canones, & maxima „ pars Sardicensium, cum postremâ parte subscriptionum Concilij Ni„ cæni injuriâ temporum periere. „ Addunt ordinem præposterum de Concilio Chalcedonensi ante Constantinopolitanum constituto Amanuensis hallucinationi adscribendum, qui & plura exscriptionis vitia commisit, quæ cum fatentur ipsimet, qui codicem hunc nunc primùm in lucem edunt, desideranda esset codicis Vaticani à Sirmondo laudati editio, quæ utinam lucem publicam videret, ex eâ enim forsan correctori non parum antiquitatis studioso utilitatis accederet, & spes esset clarius decidendi, num hæc canonum collectio sit ipsissima sub titulo Priscæ translationis à Dionysio Exiguo memorata, hoc enim, qui codicem Vaticanum vidit, non testatur Iacobus Sirmondus, & ipse Dionysius eo usque non indicat, quin dubium superfit.

Bibliotheca Iuris canonici.

201. Aliam post laudatas versionem, idque juxtà Græcam authoritatem aggressus est in Occidente Dionysius Exiguus sub Iustiniano Imperatore, idque ob confusam priorem interpretationem ad instantiam Laurentij Romanæ Ecclesiæ Presbyteri, ut ipsemet testatur in Præfatione sua ad Conciliorum collectionem, quæ extat tomis primis collectionum Regiæ & Labbeianæ. *Quamvis* (inquit Dionysius in Præfatione ad Stephanum Episcopum Solonitanum) *carissimus frater noster Laurentius assiduâ & familiari cohortatione parvitatem nostram regulas Ecclesiasticas de Græco transferre impulerit, confusione credo Priscæ translationis offensus*; *nihilomi-*

Dionysius Exiguus.

bilominis tamen ingestum tuæ beatitudinis suscepi. Canonum Græcorum versionem ante se editam non minus quàm priorem ex Bibliothecâ Voelli & Iustelli laudatam fuisse sine ordine, & sine genuinâ translatione, apertè indicat Dionysius, & pergit etiam ad preces Stephani Solonitani Episcopi sese aggressum fuisse novam Canonum Græcorum versionem & aliorum compilationem; ideoque Compendium sui Operis proponens, *In principio* (inquit) *Canones, qui dicuntur Apostolorum, de Græco transtulimus ... deinde regulas Nicænæ Synodi, & deinceps omnium Conciliorum, sive quæ anteà, sive quæ postmodùm facta sunt, usque ad Synodum* 150. *Pontificum, qui apud Constantinopolim convenerunt, sub ordine numerorum, id est à primo capitulo usque ad* 165. *sicut habentur in Græcâ authoritate, digessimus. Tum sancti Chalcedonensis Concilij Decreta subdentes, in his Græcorum Canonum finem esse declaramus. Ne quid præterea notitiæ vestræ videamur velle subtrahere, statuta quoque Sardicensis Concilii, atque Africani, quæ Latinè sunt edita, suis à nobis numeris cernuntur esse distincta. Universarum verò definitionum titulos post hanc Præfationem strictiùs ordinantes, ea quæ in singulis passim sunt promulgata Conciliis, sub uno aspectu locavimus, ut ad inquisitionem cuiusque rei Compendium aliquod attulisse videamur.* Hoc Compendium Canonum per titulos consequenter à Dionysio subjunctum, & operi suo præfixum habent tomi Conciliorum tam collectionis Binnianæ, quàm Regiæ, & Labbeianæ sparsim ante singula Concilia distributum: at post Codicem Canonum Ecclesiæ vulgò universæ in libello per Christophorum Iustellum edito, habetur juxtà primam Dionysij editionem indivisè subjunctum, & consistit in titulis Canonum Apostolorum 50. quos Dionysius primò Latinitate donasse videtur. Deinde iterùm incipiendo à numero 1. titulos canonum Nicænorum 20. Ancyranorum à 21. usque ad 44. Neocæsareensium à 45. usque ad 58. Gangrensium à 59. usque ad 78. Antiochenorum à 79. ad 103. Laodicenorum à 104. ad 162. Constantinopolitanorum à 163. ad 165. inclusivè. Et sic olim à Dionysio quoque fuisse collectos patet ex ejus Præfatione, quâ testatur versionem suam Græcorum canonum pertegisse juxtà Græcam authoritatem *à primo capitulo usque ad* 165. Subduntur tituli canonum Concilij Chalcedonensis incipiendo à numero 1. usque ad 27. similiter & Sardicensis Concilij canonum tituli 21: demum tituli canonum Concilij congregati apud Carthaginem numero 138. qui ultimi sunt diversorum Conciliorum canones in Africa constituti, & iidem planè, quos exhibet codex canonum Ecclesiæ Africanæ. Et hæc sunt omnia, quæ continebat collectio Dionysij Exigui Abbatis Romani circà initium

Dion. Exl.

tium

tium sexti sæculi Romæ elucubrata, quam primo in solis titulis canonum edidit Christophorus Justellus Parisijs anno 1610. deindè cum integris canonibus juxta versionem ipsius Dionysij ediderunt Justellus Junior & Voellus in Bibliotheca tomo 1.

202. Post canonum collectionem eundem Dionysium pariformiter aggressum fuisse collectionem Decretalium summorum Pontificum, patet ex præfatione ipsius Dionysij huc usque extante, & Decretalium collectioni præfixâ: eam ex codice Iac. Sirmondi ediderunt Franciscus Florens & Christophorus Justellus, postque illos tomo 1. Conciliorum Philippus Labbeus, at omnium correctissimè ex Bibliotheca Vaticana ejusdem eruditissimus Bibliothecarius Lucas Holstenius ad finem partis primæ Romanæ Historiæ bipartitæ, ubi extat hæc Dionysij Exigui præfatio seu epistola ad Julianum Presbyterum tituli S. Anastasiæ, sic incipiens: *Sanctitatis vestræ piis excitatus studiis, quibus nihil prorsus eorum, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam pertinent, omittit inquirere, præteritorum Sedis Apostolicæ Præsulum constituta, quâ valui curâ, diligentiâque collegi; & in quendam redigens ordinem titulis distinxi compositis: ita dumtaxat ut singulorum Pontificum, quotquot à me præcepta reperta sunt, sub una numerorum serie terminarem, omnesque titulos huic præfationi subnecterem eo modo, quo dudum de Græco sermone Patrum transferens Canones ordinaram, quod vobis nimium placuisse cognoveram.* Plura addit in laudem Juliani Presbyteri, & abundantiora in elogium S. Gelasij Papæ, cuius Iulianus erat alumnus. Quod convenit iis, quæ in præfatione ad lectorem animadvertit Christophorus Iustellus scribens hunc Iulianum esse eundem „ qui subscripsit Synodis Romæ celebratis sub Felice Papâ, Dinamio & Siphidio coss. hoc est anno Christi 488. & sub Symmacho post consulatum Paulini hoc est anno 499. quod hanc Dionysianam collectionem circà hæc tempora post canonum Græcorum interpretationem factam fuisse arguit. Continet autem Decretales epistolas Siricij, Innocentij, Zosimi, Bonifacij, Cælestini, Leonis, Gelasij, & Anastasij ab anno videlicet 385. ad annum 494. „ Hæc Iustellus ex quo sequeretur, canonum collectionem diu ante Justinianum Imperatorem & annum 527. fuisse elucubratam, cum hæc posterior Decretalium collectio dudum facta sit post priorem, eaque dedicata Iuliano Presbytero, qui circà finem sæculi quinti florebat: quidquid tamen sit, Decretalium collectio non exhibet integras epistolas sed partes dumtaxat ex iis desumptas, quas integras cum titulis Decretorum Siricij 15. Innocentij 57. Zosimi 4. Cælestini 22. Leonis 49.

Dionysius Exiguus.

Iustellus.

Gelasij 28. & Anastasij octo, ediderunt tomo 1. Bibliothecæ Iustellus Iunior & Voellus.

203. Hisce positis restat quæstio de authoritate hujus collectionis tam canonum quàm decretalium Romanorum Pontificum, an admissa fuerit ab Ecclesia Romana, solisque contentis ibidem regulis usus sit Occidens universus, nec anteriores Pontificum Decretales usque ad Isidori tempora umquam agnoverit? hoc ultimum voluere complures, & ad refellendas Decretales ab Isidoro ex anterioribus seculis productas id continuò urgent eruditi. Ac favet quod ipse Dionysius Romæ existens omnem curam & diligentiam exhibuerit ad investigandas Decretales Romanorum Pontificum epistolas, & solum initium fecerit à sancto Siricio: est argumentum, quo utitur de Marca lib. 3. cap. 5. §. 1. & eumdem laborem impendisse ad colligendos canones cum vix dubium sit, exindè concludit contrà canones Romani sub S. Sylvestro Concilij Ioannes Launoius parte 1. ad Claudium Santevlium. „ Et sanè hanc canonum & epistolarum collectionem cum ap- „ plausu illorum temporum prodiisse, testis est primò ipse Dionysius „ in epistolâ cit. ad Iulianum Cardinalem Presbyterum, in qua fate- „ tur, canonum suorum collectionem Iuliano nimium placuisse. „ Secundò Cassiodorus Senator, & posteà Abbas de Divinis Lectionibus capite 23. *Fuit nostris temporibus Dionysius monachus Schyta natione, sed moribus omninò Romanus, in utrâque linguâ valdè doctissimus, qui petitus à Stephano Episcopo Salonitano ex Græcis exemplaribus Canones Ecclesiasticos composuit, quos hodie usu celeberrimos Ecclesia Romana amplectitur.* „ Receptis (subdit Parisiensium Archiepiscopus de Marca libr. 3. cap. 3. §. 7.) à Sede „ Apostolica canonibus, omnes Occidentis Provinciæ ad dirimendas „ lites & judicia Clericorum exercenda statim usæ sunt.„

De Marca.

Launoius.

Cassiodor.

De Marca.

204. Ostendit cap. 4. sequenti Parisiensis Archiepiscopus de Gallis; existimatque eum esse librum canonum; „ quem rex Chilpericus ad „ Episcopos transmisit anno 577. cum damnationem Prætextati Ro- „ tomagensis Episcopi urgeret, de quo ista Gregorius Turonensis „ lib. 5. cap. 19. *Ipse verò* (scilicet Rex) *ad metatum discessit transmittens* „ *librum canonum: in quo erat quaternio novus adnexus, habens Canones quasi* „ *Apostolicos continentes hæc: Episcopus in homicidio, adulterio, & periurio de-* „ *prehensus, à Sacerdotio divellatur.* Hic locus duo ostendit, librum seu „ codicem canonum apud Gallos ad controversias dirimendas usurpa- „ tum fuisse, & canones Apostolicos etiam post editum Dionysij co- „ dicem à Gallicanis Episcopis receptos non fuisse. „ Hæc de Marca

De Marca.

Gregorius Turon.

§. 2.

§. 2. pergit verò §. 4. ejusdem capitis 4. „ Eversâ bellorum civilium „ motu in Gallijs Ecclesiasticâ disciplinâ, cum Pippinus major domus „ de eâ restituendâ sollicitus, consilio Ecclesiæ Gallicanæ Zachariam „ Papam de quibusdam articulis consuluisset anno 747. summus Pontifex 27. capitulis Consultationi respondit; quæ Canonibus & Decretis Pontificum è collectione Dionysij ad verbum transcriptis munivit. Ubi profert canones Apostolicos, Ancyranos, Neocæsarienses, Antiochenos, Chalcedonenses, Africanos, & Decreta Siricij, „ Innocentij, Leonis, & Gelasij iisdem numeris distincta, quibus „ apud Dionysium. „ Subscribit Iacobus Sirmondus Præfatione suâ in Galliæ Concilia, & Dionysianam canonum translationem ante Carolum Magnum in Gallijs fuisse admissam, probat: „ Ex antiquissimâ collectione canonum è Bibliothecâ S. Benigni Divionensis, atque ex alijs ejusmodi Caroli ævo longe anterioribus, in quibus canones Græci promiscuè ex Dionysiana .... proferuntur. „ Addunt Iustellus & Voellus in Caroli Præfatione ad Juris Canonici Bibliothecam: „ Frequentissimus autem ejus usus fuit in Concilijs & Scriptoribus Gallicanis à tempore Caroli Magni, cui ab Hadriano I. „ Pontifice Romano, dum esset Romæ circà annum Christi 807. „ donatus est in usum Ecclesiarum Occidentalium. „ Idem habet Sirmondus suprà: „ Codicem canonum Dionysianæ collectionis per Hadrianum Papam Carolo Regi commendatum (amplexi nimirum sunt Galli) & ut subdit, „ Dionysij exemplaribus Bibliothecas suas „ instruxerunt, ac Dionysij proindè versione decretalibusque ad Dionysij formam digestis perpetuò deinceps usi sunt. Quod in utroque „ Concilio Aquisgranensi sub Ludovico Pio, & in Parisiensi sub eodem, atque in Meldensi, Tullensi apud Saponarias, Trolleiano, „ cæterisque omnibus, observare est. Sic denique factum, ut in Ecclesiâ Latinâ canonum Ecclesiasticorum non modo sensus idem, sed „ eadem etiam penè ubique vox fuerit. Nam Dionysianum Codicem „ Ecclesia Romana, jam pridem in ipso ejus ortu susceperat, nec „ multò post Africana. „

De Marca

Zacharias Papa.

Sirmondus

Iustellus & Voellus.

Sirmondus

205. Meminit Sirmondus Ecclesiæ Africanæ, quam in Dionysij collectionem conspirasse, probari potest ex Cresconio Africæ Episcopo, qui collectionem suam ex illis Canonibus & Pontificum Decretis repetit, quæ Dionysiana collectio continebat, neque alia adducit, ut signum manifestum sit, ex Dionysio suam collectionem auspicatum fuisse, quod luce clarius exinde confirmatur, quod Cresconius ver-

sionem Dionysianam in suâ collectione ubique exprimat. Et hæc quidem de Atricâ in confirmationem dicti à Sirmondo, qui de Hispanis pergit inquirere, „ dubitari enim potest (inquit) utrùm ad eos „ Dionysij collectio pervenerit: „ resolvit verò illâ usos non esse, „ quia Isidorus diversam exhibet. „ Verùm contrarium putat Dominus de Marca, & quod admiserint, urget patere ex Concilio Braccarensi 2. habito anno 563. ubi ad petitionem Lucretij Braccarensis Metropolitæ consensit Synodus recenseri antiquos canones, & inquiunt acta: *Relecti ex codice coram Concilio tam Generalium Synodorum Canones, quàm localium.* Quisnam hic Codex fuerit non habetur in actis, fuisse tamen codicem canonum à Dionysio Exiguo ante paucos annos eodem sæculo editum verisimile apparet ex eo, quod pateat ex actis illius Concilij, Patres Hispanos in omnibus imitari solitos fuisse Ecclesiam Romanam, & quæ illic observabantur, à Romanis Pontificibus transmissa recipere. Paulò quidem posteà Martinus Braccarensis Episcopus, qui è Græcia in Hispaniam migraverat, novam collectionem instituit à Concilio Lucensi in Gallæciâ probatam anno 571. fuisse tamen præcipuè ex collectione Dionysij collectam prętendit de Marca. Verùm quidquid sit de hoc ultimo, meminit in Præfatione sua ad Episcopos Lucenses ipse Martinus Braccarensis non unius sed plurium translatorum, *ut* (inquit) *cum omni diligentiâ, & ea, quæ per translatores obscurius dicta sunt, & ea quæ per Scriptores sunt immutata, simplicius & emendatius restaurarem.* Ex eo enim quod Martinus memineat plurium translatorum, facilè conjecturare licet, etiam translationem Dionysij Exigui pro tunc in Hispanijs extitisse: quod ne quis invalidari existimet ex eo, quod Isidorus Mercator, qui in Hispaniâ floruit, aliam versionem exhibuerit, præstò nobis est ipse Isidorus in Præfatione ad suam collectionem, ubi testatur: *Ea verò Concilia quæ Græco edita sunt stylo, amplius quàm tripliciter aut quadrupliciter interpretata, atque conscripta reperimus.* post quæ dubium nullum est, quin versio Dionysij Exigui inter illas 4. aut plures extiterit, & consequenter in Hispanijs cognita fuerit.

Sirmondus

Concilium Braccaren.

Martinus Braccarensis.

Isidorus Mercator.

206. Hæc omnia fateri oportet, venerationem antiquitatis personare, quam erga collectionem Dionysij Exigui habuit, attamen nec dissimulari oportet, huic se ita non obstrinxisse Romanam & Occidentis Ecclesiam, quin alias constitutiones admiserit, & quasdam in Dionysij collectione contentas reprobarit. De reprobatis quidem satis superque monstratum est ex canonibus Constantinopolitani Concilij, quos

quos non secus ac Codex Ecclesiæ universæ immeritò includit: ideoque à Cresconio omissi sunt. De alijs verò in authoritatem admissis lucet ex Canonibus Synodi Arelatensis primi & Concilij Ephesini generalis 3. quos non continet, & universa tamen semper agnovit Ecclesia. Deindè ex particularium Regionum collectionibus, quæ speciales Provincialium Synodorum canones incluserunt, ut patet ex Hispania, cujus collectionum codices quamplures protulit in Præfatione sua Garsias Loaisia, & inter eos Lucensem omnium antiquissimum, qui in Bibliothecis Hispaniæ inveniuntur, Hispalensem anno 962. aliosque, qui constanter primo loco ponunt Concilium Eliberitanum, subindè Cæsar-Augustanum, ac Toletanum primum, quæ ante tempora Dionysij Exigui celebrata sunt, non tamen ab eo memorantur, cum eorum canones in Hispaniâ pro regulis Ecclesiasticis habiti fuère, ut patet non solùm ex laudatis collectionibus, & subsequentibus Concilijs Hispanicis, sed quam maximè ex capitulari Martini Braccarensis Episcopi, quod complures canones citat ex Concilio Toletano primo, alijsque à Dionysio Exiguo omissis. Idem ostendi potest de Galliâ ex Jacobi Sirmondi in Gallicanas Synodos Præfatione, ubi ex codice Lugdunensi post Dionysianam collectionem subjuncto refert Synodos octodecim, Arelatensem 1. Valentinam &c. uti ex Corbeiensi codice decem, ex codice Fossatensi tredecim, ex Remensi codice S. Remigij ante annum Christi 600. Synodos viginti, quarum canones ad minus tantum authoritatis habebant, quam canones Conciliorum Africæ, quos ultimos cum Dionysius referat in sua collectione omissis prioribus, certum est, Dionysij collectionem esse mutilam, quinimò non cum tantâ curâ, ut ejus dedicatoria Epistola præ-se-ferre videtur, fuisse collectam. Patet verò id manifestissimè ex epistolis decretalibus summorum Pontificum, quarum exordium sumit ab epistolis Siricij Papæ: at longè plures & anteriores extitisse, certissimum est, & demonstrat celebrata circà tempora Dionysij Romana sub Bonifacio secundo Synodus, quam nuper publicavit Lucas Holstenius, in qua anno 531. citatæ fuerunt epistolæ Romanorum Pontificum Leonis I. Xisti, Cælestini, Bonifacij primi Innocentij, Siricij, & Damasi, quarum nullam ferè allegat Dionysius. Quinimò ipse Siricius Papa in epistolâ ad Himerium Tarraconensem Episcopum enixè adhortatur *ad servandos Canones & tuenda decretalia decreta.* Addit-que: *statuta Apostolicæ Sedis vel Canonum venerabilia definita nulli Sacerdotum*

Garsias Loaisia.

Sirmondus

Siricius.

Domini ignorare sit liberum. Erant igitur Decreta & Statuta Apostolicæ Sedis ante Siricium Papam, quæ ipse Siricius omnibus proponit servanda, & tamen Dionysius ante Siricium nullas refert decretales epistolas, nulla Apostolicæ Sedis Decreta. Ruit ergo peritorum fundamentum, quo ita huic canonum & decretalium collectioni inhæretur, ut eo ipso suppositionis arguantur, quo aliqua proferuntur nostro sæculo à Dionysio non collecta. Dicant similiter & canones Arelatensis primi, & epistolas Iulij Papæ in Apologiâ 2. per Athanasium adductas, & centena similia esse supposititia, quod Dionysius Exiguus illa suæ collectioni non inseruerit.

CAPUT X.

De Collectionibus Joannis Scholastici, Fulgentij Ferrandi, Martini Braccarensis, Cresconij, Hadriani Papæ primi, & Antiquâ Romanæ Ecclesiæ Moguntiæ excusâ.

207. *Post Dionysium aut eodem circiter tempore collectionem Canonum elucubravit Ioannes ex Presbytero Antiocheno Patriarcha Constantinopolitanus, cuius collectionis Canones enumerantur ex ipsius Præfatione.*

208. *Huic adjunxit aliam, quam nomocanonem appellat, quod Canones cum legibus concordet, eamque malè in Codice Bibliotheca Regia Theodoreto adscribi, probant varia Exemplaria à Iustello adducta.*

209. *Æqualis Ioanni Scholastico Fulgentius Ferrandus Carthaginensis Diaconus aliam collectionem seu potiùs Breviationem Canonum auspicatus est, cuius Methodus & Concilia ibidem citata proferuntur.*

210. *Post Fulgentium sequitur Martinus Braccarensis Episcopus, cuius bipartita collectionis occasio, ordo, & Methodus exponuntur, & qualiter à Synodo Lucensi probata sit, breviter indicatur.*

211. *Martinum subsequitur Cresconius Africanæ cuiusdam civitatis Episcopus, cuius collectio in Bibliotheca Iuris Canonici edita est, ex qua & Methodus & Canones, quibus Cresconius usus fuit, adferuntur.*

212. *Ex laudatis collectionibus facilè colligitur, Occidentis Ecclesiam ex tunc usam fuisse eo libro, qui Corpus Canonum intitulatur, & cuius meminêre varij,*

quem

quem & Iustellus putat ab Hadriano I. olim Romæ Carolo Magno oblatum.

213. *Epitomen illius collectionis primùm edidit sub nomine Hadriani Papæ Henricus Canisius, & posteà ediderunt inter Concilia Binnius, Sirmondus, & Labbeus, ex quibus adferuntur tituli singulorum Canonum, qui manifestè persuadent, hanc Epitomen non solùm mutilam esse, sed etiam ab alio posteriori ex collectione Hadriani Papæ confectam.*

214. *Aliam itaque fuisse collectionem Hadriani, firmatur ex Sirmondo, qui rectè annotat, non Epitomen sed integram collectionem olim Carolo Magno oblatam, cuius inter varia exemplaria unum edidit Bibliotheca Iuris Canonici anno 1661.*

215. *Aliud illius Codicis exemplar editum fuit Moguntiæ, & re-excusum à Christophoro Iustello, de quo plura notatu digna, & inter alia varia Concilia, quorum Canones profert, & varios Pontifices, quorum Decreta adducit, illamque collectionem fuisse corpus Canonum, cuius meminere correctores Gratiani, ulterius firmatur.*

207. INter veteres Iuris Canonici Collectores qui post Dionysium Exiguum Ecclesiasticos Canones, quos Ecclesia quàm maximè celebrabat, collegerunt in unum, non spernendus videtur Ioannes Scholasticus ex Antiocheno Presbytero & Apocrisiario in exulenlentis Eutychij Patriarchę Constantinopolitani locum suffectus per Iustinianum Imperatorem, cuius duas canonum collectiones nunc primùm editas habemus tomo 2. Bibliothecæ Iuris Canonici: primæ, quæ canonum collectio intitulatur, meminit Nicolaus I. in epistolâ ad Photium scribens, apud Gręcos extare collectionem 50. capitum: *Quinquaginta titulos, quibus concordia Canonum apud vos texitur.* Enimverò non imitatus fuit Ioannes priores Græcas canonum collectiones, ut singularum Synodorum Statuta sub certis numeris consequenter referret, sed canones Variorum Conciliorum ad eandem materiam spectantes sub uno titulo posuit, sicque sub 50. titulis omnes ferè canones ordinavit, quos ipse Joannes in Præfatione collectionis hoc modo recenset: *Sancti Domini Discipuli & Apostoli 85. Canones Clementis operâ ediderunt: post hos verò, qui deinceps consecuti sunt, prout infrà subiectum est. Sanctorum 318. Patrum Nicææ congregatorum, Consulatu Paulini & Iuliani clarissimorum anno ab Alexandro 606. mensis Decij 19. Kal. Iulij, Canones 20. Beatorum Patrum Ancyræ congregatorum Canones 25. qui quidem Nicænis Canonibus tempore priores, propter authoritatem verò seu libertatem Generalis Synodi posteriores sunt.*

Nicolaus I.

Ioannes Scholastic. Presbyter Antiochenus &c.

Sancto-

Sanctorum Patrum Neocæsareæ congregatorum Canones 14. ipsa etiam Synodus Nicanâ quidem prior fuit, Ancyranâ verò posterior, honoris verò gratiâ Nicana ipsis præposita est.

Patrum Sardicæ congregatorum post Nicænos Patres Canones 21.

Patrum Gangris congregatorum, à quibus expositi sunt Canones 20.

Patrum Antiochiæ congregatorum, à quibus expositi sunt Canones 25.

Patrum Laodiceæ Phrygiæ congregatorum, à quibus expositi sunt Canones 59.

Patrum Constantinopoli congregatorum, à quibus expositi sunt Canones 6.

Patrum Ephesi congregatorum, à quibus expositi sunt Canones 7.

Patrum Chalcedone congregatorum, à quibus expositi sunt Canones 27.

Extant etiam sancti Basilij Canones numero 68.

Et ex his apparet, præter canones ex Græcâ authoritate apud Dionysium adductos huic Græcæ collectioni accessisse canones Apostolicos 85. Sardicenses 21. & S. Basilij 68. quos cum Nicænis aliisque sparsim sub 50. titulis collocavit, uti sub primo de honore Patriarchis ex Canonibus decreto, Nicænæ Synodi canonem septimum & 6. Constantinopolitanæ Synodi canonem secundum, Ephesinæ canonem octavum. Sub titulo 2. Quod non oporteat Episcopum ultra Diœcesim suam prodire non vocatum, præterquam possessionis ad se pertinentis invisendæ gratia, neque extrà Diœcesis suæ limites ordinare, Apostolorum canonem trigesimum quintum, Antiochenæ Synodi canones 13. & 22. Sardicensis canones 2. 3. & 11. & sic sub reliquis titulis. Neque similis collectionis se primum inventorem scribit in Præfatione Ioannes Antiochenus, *cum* (inquit) *non ipsi soli & primi inter cæteros ad hoc faciendum incitati fuerimus, sed alios compererimus ea in titulos sexaginta divisisse, ac neque Basilij Canones cum aliis conjunxisse, neque res similes similibus, ut oportebat, velut sub titulis composuisse.* Ex quibus patet, adhuc alias ante Ioannem Scholasticum in Oriente fuisse collectiones nobis hucusque incompertas.

Ioan. Antiochen.

208. Ediderat laudatam canonum collectionem Ioannes, dum adhuc esset Presbyter Antiochenus, at factus iam novæ Romę Patriarcha nomocanonem edidit, seu epitomē hujus collectionis quinquaginta titulorum omissis integris canonibus, quorum sub unoquoque titulo numerum tantummodò assignavit, cui concordantes leges præsertim Iustiniani Imperatoris Novellas constitutiones ad singulos titulos integras adjecit. Et de hac collectione videtur intelligendus Balzamon ad canonem 1. Concilij Constantinopolitani in Trullo habiti in exemplari Græco Ioannis Tillij, ubi hæc verba leguntur in editione Græca Pari-

Parisiensi : *Nomocanonem autem, quod in quinquaginta titulos leges & Canones redegit, & reliqua quæ Iustiniani Novellas, quæ exoleverunt, ut quæ in Imperio non receptæ sunt, & alias quasdam leges ex digestis ac codice continent.* Extat hic nomocanon in Bibliotheca Regiâ manuscriptus sub nomine Theodoreti Cyrrestensis Episcopi, quem & proinde illius authorem credidit Eminentissimus Cardinalis Perronius; at Christophorus Justellus in præfatione ad tomum 2. Bibliothecæ Juris Canonici notat hic errorem irrepsisse in auctore „ nec enim alibi unquam ab ullo „ quovis authore Græco, ejus nomocanonis sub Theodoreti nomine „ mentio facta est, sed Joanni Scholastico tribuunt omnes codices „ manuscripti, „ sic enim habent Codex Illustrissimi Franciæ Cancellarij Petri Seguierij, Codex Oxoniensis, & Codex Claramontanus. Sicque & in codice, quem Justellus Junior & Voellus publicarunt in Bibliotheca, habetur in fine : *Finis capitum ex Novellis constitutionibus de Ecclesiastica dispositione Ioannis Scholastici Archiepiscopi Constantinopolitani.* Idem habetur in Græco.

Balsamon.

Iustellus.

209. Joanni Scholastico æqualis aut certè anterior fuit Fulgentius Ferrandus Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus, de quo Christophorus Justellus in præfatione. „ Ferrandus Diaconus à Sigeberto inter Ec- „ clesiasticos Scriptores relatus libello regularum ad Reginum Co- „ mitem meminit Fulgentij Ruspensis Episcopi, ut nuper vitâ functi: „ quod utrumque circa Anastasij Imperatoris tempora vixisse arguit.„ Et qui post Christophorum Iustellum Bibliothecam Juris Canonici typis mandarunt Iustelli filius & Voellus, „ Ferrandi (inquiunt) col- „ lectione nulla est apud Latinos antiquior, floruit enim Iustini & „ Iustiniani temporibus in Ecclesiâ Carthaginensi, cujus fuit Diaco- „ nus, ut ex chronico Victoris Tununensis constat. „ Ex quibus sequeretur, licet Ferrandus ipso Dionysio Exiguo antiquior non sit, circà annum 525. scripsisse Breviationem canonum, non sub 300. capitulis ut putavit Cardinalis Baronius ad annum 419. n. 90. sed sub 232. quæ primum publicavit Christophorus Justellus, & post ejus vitam in Bibliothecæ Iuris Canonici tomo 1. Justellus junior & Voellus, ac incipit & prosequitur hac methodo:

Christoph. Iustellus.

Bibliothec. Iuris Can.

1. *Vt Neophyti non ordinentur. Concilio Nicano, titulo 2. Concilio Sardicensi, tit. 24 Concilio Laodicensi, tit. 3.*
2. *Vt quicumque Laicus ad Episcopatum eligitur, prius annum in ministerio Ecclesiastico per omnes gradus transeat. Concil. Suffetulensi.*
3. *Vt qui post Baptismum sæculari militiæ nomen dederit, ab ordinatione arceatur. Concilio Cellensi.*

Breviatio Canonum 1. Ferrandi

4. *Vt Episcopus à tribus ordinetur consentientibus alys per scripta, cum confirmatione Metropolitani vel Primatus. Concil. Nican. tit. 4. item tit. 6. Concil. Antioch. tit. 19. Concil. Laod. tit. 12. Concil. Carthag. sub Antistite Genethlio tit. 10. Concil. universali Carthag. tit. 49. Concil. Zellens. ex epistola Papæ Syricij.*

Sic pergit Ferrandus in omnibus subsequentibus capitulis usque ad ducentesimum trigesimum secundum, in quo finit: habet autem citatos canones Nicænos, Ancyranos, Neocæsareenses, Gangrenses, Antiochenos, Laodicenses, Sardicenses, Constantinopolitanos, Zellenses, Thenitanos, Thusdritanos seu Thusduritanos, Milevitanos, Iuncenses, Carthaginenses, Anquiritanos, Macrianenses, Hipponiregienses, Marazanenses, Septimunicenses, & decreta Siricij Papæ, ut patet ex titulo 4. suprà, seu potius decreta Zellensis Synodi ex epistola Syricij Papæ, ut Voellus & Iustellus rectè animadvertere potuerint in præfatione tomi 1: Ferrandum non meminisci decretorum ullius Pontificis, nequidem ipsius Syricij. Latuit diu hæc Ferrandi canonum breviatio, unde Antonius Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus præfatione in antiquas collectiones decretalium: „Cresconius Ferrandi Carthaginensis Diaconi Mentionem facit, qui de eadem re breviter scripserit, Gratianus Fulgentij, nisi forte idem sit scriptor: horum nos scripta non vidimus.„ Ea nec vidisse videtur Cardinalis Baronius, unde vir ille eruditus tomo 7. ad annum Christi 527. erravit, hunc Ferrandum eodem ferme tempore vixisse statuens cum Cresconio, qui plusquam 160. annis posteà floruit, ut infrà videbimus.

Antonius August.

210. Subsequitur Martinus Dumiensis primum in Galæcia Abbas, posteà Braccarensis Episcopus, qui inquit Aimoinus Monachus lib. 3. de Gestis Francorum cap. 38. *Pannoniâ oriundus loca in Oriente circumiens abundè se illis litteris imbuit.* Addit Rodericus Archiepiscopus Toletanus de Hunnorum, Vandalorum &c. Historiâ cap. 20. Doctrina & Fide præclarum multa docuisse & firmasse *in Ecclesiasticis institutis:* respiciens proculdubio ad collectionem canonum, cujus meminere Aubertus Mireus in Scholijs ad Isidorum, Garsias Loaisa in præfatione ad hæc Martini Braccarensis capitula in collectione Conciliorum Hispaniæ, Antonius Augustinus, Baronius, aliique post ipsos. Extat autem hæc collectio in tomis Conciliorum tomo 5. Philippi Labbei, qui brevem Annotationem præmittit de hac collectione ex codice M. S. collegij Claramontani Parisiensis editâ tomo 1. Bibliothecæ

Aimoinus.

Rodericus Toletan. Episc.

Juris

Juris Canonici longe correctiori. Habet hæc collectio epistolam Nitigesio Lucensis Ecclesiæ Metropolitano dedicatam, in qua Martinus Braccarensis scribit sequentia: *Sancti Canones, qui in partibus Orientis ab antiquis Patribus constituti sunt, Græco prius sermone conscripti sunt; posteà autem succedenti tempore in Latina lingua translati sunt, & quia difficile est, ut simplicius aliquid ex aliâ linguâ transferatur in aliam; simulque & illud accidit, ut in tantis temporibus Scriptores aut non intelligentes, aut dormitantes multa prætermittant; & propterea in ipsis Canonibus aliqua simplicioribus videantur obscura. Ideo visum est, ut cum omni diligentiâ & ea, quæ per translatores obscurius dicta sunt, & ea, quæ per Scriptores sunt immutata, simplicius & emendatius restaurarem id primum observans, ut illa, quæ ad Episcopos vel universum Clerum pertinent, una in parte conscripta sint: similiter & quæ ad Laicos pertinent simul sint adunata. Vt de quo capitulo scire aliquis voluerit, posset celerius invenire.* Hæc integra Martini epistola, ex quâ non tantum occasio, sed ipse collectionis ordo agnoscitur: quod nimirum collectio fuerit bipartita, cujus prior pars tractat de Canonibus ad Episcopos & Clericos pertinentibus, & continet can. 68. Posterior vero pars de canonibus ad Laicos pertinentibus 16. ut canones usque ad numerum 84. pertingant. Incipiunt vero hoc ordine: *Cap. sive Canon* 1. *De electione Episcopi. Non licet populo electionem facere eorum, qui ad Sacerdotium promoventur, sed judicium sit Episcoporum, ut ipsi eum qui ordinandus est, probent, si in sermone & fide, & in spirituali fide edoctus sit.*

Martinus Braccarensis.

Collectio Martini Braccarensis.

2. *De Ordinatione Episcopi.*

Episcopum oportet maximè quidem ab omni Concilio constitui &c. habet Concilij Lucensis 2. anno Domini 572. celebrati Compendium, Canones Antiquorum Conciliorum auctore S. Martino Dumiensi & Braccarensi Episcopo ad hanc Synodum Lucensem missos fuisse, quod rectè ex Baronio notatum, nam hoc habet prænotatio Dedicatæ à Martino Braccarensi Epistolæ: *Domino Meo Beatissimo, atque Apostolicæ Sedis honore suscipiendo, in Christo Fratri Nitigesio Episcopo vel universo Concilio Lucensis Ecclesiæ.* Habet verò Isidori collectio, *& Universo Concilio Lucensis Ecclesiæ,* ut hinc manifestum sit, hanc collectionem Concilio Lucensi per ipsum Martinum oblatam fuisse, & proculdubiò ab eodem approbationem meruisse.

Epigraphe Epist.

Codex Isidori.

211. Post Martinum sequitur Cresconius nescio cuius civitatis in Africâ Episcopus, quem Iustellus & Voellus in Præfatione Bibliothecæ Iuris Canonici colligunt ex Codice MS. Vaticano floruisse eo tempore, quo Ioannes Patricius victoriam de Saracenis in Africâ reportavit,

vit, quam Cedrenus ad annum 3. Imperij Leontij refert, hoc est, ut ex Anastasio in Historiâ Ecclesiasticâ discimus, anno Christi 690. Eadem planè observat Philippus Labbeus tomo 6. Conciliorum ante vitam Ioannis VII. putat tamen circà annum 698, quæ ex Codice Vaticano narrantur, contigisse. Collectionem ipso Cresconio teste aggressus est ad instantiam Liberini, aut ut alius Codex, *Liberij* Episcopi, postquam sese diu excusasset prætendens, Canonum Breviatum à Ferrando Carthaginensis Ecclesiæ Diacono digestum debere sufficere. Habes hæc omnia in Præfatione Cresconij, quam cum canonum Breviario edidit primùm Christophorus Justellus, & est ferè idem cum Ferrandi collectione, nisi quod hæc collectio amplior sit, & plurium canonum numerositate repleta: habet enim hæc breviatio 300. capitula aut titulos, quæ incipiunt hocce modo: 1. *De Ordinatione Episcopi in Canonibus Apostolorum titulo* 1. *Concilio Nicano tit.* 4. *Concilio Antiocheno tit.* 19. *Concilio Laodiceno tit.* 12. *Concilio Carthag. tit.* 13. *item Carthagin*, 16. *quod si de ordinatione eius fuerit contradictum, quod alij debeant adiici. Concil. Carthagin. tit.* 17. 2. *de Ordinatione Presbyteri, Diaconi, & cæterorum in Canonibus Apostolorum tit.* 2. *ex Decretis Papæ Siricij tit.* 8. *ex Decretis Papæ Innocentij tit.* 32. *item de eorum conversatione, qui ab infantiâ Deo se voverunt, ex Decretis Papæ Siricij tit.* 9. *item de Grandævis, ex Decretis Papæ Zozimi tit.* 3. *ex Decretis Papæ Siricij tit.* 10. *ex Decretis Papæ Cælestini tit.* 16. & sic de sequentibus capitulis, quæ jam primùm cum integris Conciliorum canonibus, & Pontificum Decretis ex codice MS. Bibliothecæ Claromontanæ Societatis Iesu publicarunt Voellus & Justellus tom. 1. Bibliothecæ Iuris Canonici: ex quibus videre est, hanc collectionem ex Codice Dionysij Exigui esse confectam, tum quod sit ipsissima versio Dionysiana, tum quod ij dumtaxat canones proferantur, quos Dionysius citarat. Extat ante Cresconij Breviarium Canonicum à Christophoro Iustello editum, hoc antiquitatis monumentum: *Hic iacet concordia Canonum Conciliorum infrascriptorum & Præsulum Romanorum: id est Canonum Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Novæ-Cæsareensium, Gangrensium, Antiochensium, Laodicensium, Chalcedonensium, Sardicensium, Carthaginensium. Item Præsulum Siricij, Innocentij, Zosimi, Cælestini, Leonis, & Gelasij.*

Collectio nis Cresconianæ Breviatio.

Titulus Antiquus.

212. Non difficile esset ex illorum canonum & decretorum à Martino Bracarensi allatorum notione colligere, ex tunc Latinam Occidentis Ecclesiam usam præcipuè fuisse pro Iudicijs Canonicis eo libro, qui Corpus Canonum intitulatur. „ Cresconius (inquit Antonius Augustinus Tarraconensis Episcopus in præfatione ad antiquas decretalium

Antonius August.

talium collectiones) „ locos edidit communes, in quos & Pontificum „ & Conciliorum decreta collocavit. Sed hic usus esse videtur eo tan„ tum libro, quem Corpus Canonum appellamus, in quo nulla Ponti„ ficum decreta sunt suprà Syricium Pontificem, nulla Concilia præ„ ter Græca & Africana, quæ etiam extant Græcè conscripta. „ Meminit Antonius Augustinus corporis canonum, ex quo suam collectionem confecit Cresconius, quod nimirum Romana Ecclesia uti solebat certo canonum codice, quem primo inchoavit Dionysius Exiguus, & alij subinde subsequentium Pontificum & aliorum Conciliorum decretis ampliorem reddidere. „ Et verò illa ipsa est collectio (inquit Christophorus Iustellus in præfatione ad breviationes canonum Ferrandi & Cresconij) „ quæ corpus canonum dicitur, non à „ Gratiano tantum, sed & à summis Pontificibus Nicolao I. & Leo„ ne IV. cuius etiam antiqua exemplaria apud nos plura extant, quæ „ ab Hadriano Papa, ad Carolum Magnum Imperatorem & Regem „ nostrum missa fuisse, præfixa Versuum politicorum Acrostichis te„ statur. „

Iustellus.

213. Epitomen hujus collectionis ab Hadriano I. ad Carolum Magnum transmissam edidit primùm Henricus Canisius, ac post ipsum tomo 6. Conciliorum inseruit Labbeus, & quia nonnulla sunt singulis Concilijs præfixa, ex quibus non solùm percipi potest, quotnam canones continebat, sed etiam quædam antiquitatis studioso scitu digna, titulos ipsos singulis Conciliorum canonibus præfixis subiungo. Ac primò de Canonibus Apostolorum. *Ecclesiasticæ Regulæ Sanctorum Patrum Apostolorum prolatæ per Clementem Romanum Pontificem, quæ ex Græcis exemplaribus in primo ordine ponuntur.* Subduntur 45. canonum Apostolorum breviationes, in quibus continentur 50. canones Apostolorum duobus aliquando sub uno titulo ordinatis, & nonnullis quandoque maioris explicationis gratiâ mutatis, uti constat ex titulo 41. *Episcopus, Presbyter Baptisma hæreticorum non in nomine Trinitatis Baptizantium, suscipiens, damnetur.* Hoc enim, *non in nomine Trinitatis Baptizantium*, non habetur in Canonibus quadragesimo sexto & quadragesimo septimo Apostolorum de rebaptizatione agentibus.

Tituli ex epitome collecti.

Regulæ Ancyrani Concilij numero 24. priores quidem sunt Nicænis, sed ideò Nicænis ista postponuntur, propter sancti, & magni Concilij authoritatem Nicææ congregati. Subduntur 24. canones Ancyrani seu potius eorum epitome. & in fine: *& subscripserunt 18. Episcopi, Vitalis Antiochenus, Marcellus Ancyranus, Agricolaus Cæsariensis, & reliqui 15. Episcopi.*

Regulæ in Neocæsareensi Synodo prolatæ, Ancyranis quidem, vel Cæsareensibus temporibus posteriores: sed Nicænis anteriores. Et relatâ 15. canonum Synopsi: *& subscripserunt Vitalis Salaminius, Amphion & reliqui, qui in* * *Cæsaræa convenerunt* 19. *Episcopi.*

* Neocæsarea,

Viginti Canones Gangrensis Concilij, post Nicænum Concilium expositi. Iisque compendiosè relatis: *& subscripserunt Elianus, Eusebius, Basilius, Osius, Gregorius, & reliqui Episcopi numero* 10.

Viginti quinque regulæ apud Antiochiam in Encæniis expositæ. Et relato eorum compendio: *subscripserunt* 30. *Eusebius Palæstinensis, Theodotus Mesopotamiensis, Theodorus Isauriensis, & reliqui.*

Sancta Synodus, quæ apud Laodicæam * *Pacatiæ Phrygiæ convenit regulas* 59. *exposuit subter annexas.* & posteà: *subscripserunt* 22. *Patres.*

* Pacatianæ.

Præfatio Can. Sardicensium seu Africanorum. Sunt etiam 25. *Regulæ, quæ per Osium Cordubensem Episcopum currunt, quæ titulantur tanquam quadraginta Episcoporum apud Sardicam, quæ tamen non apud Græcos, sed magis apud Latinos inveniuntur. Sciendum est autem, hunc Osium inter* 318. *Patres Nicæni Concilij honorabilem fuisse, atque ab Apostolicâ Sede cum Victore & Vincentio Presbyteris destinatum, qui & Hispanus usque ad tempus Constantij Principis in corpore legitur permansisse. Hic tamen in extremis suis satis pueriliter desipuit, ut Severus Sulpitius in Chronicis suis testatur.* Habet alia de Osio Cordubensi præ longâ ætate desipiente &, subdit canones Sardicenses 21. iisque compendiosè relatis: *& subscripserunt Episcopi diversarum Provinciarum numero* 60. *Osius à Spania Cordubensis. Vincentius de Capua Legatus S. Romanæ Ecclesiæ. Ianuarius de Benevento Legatus S. Romanæ Ecclesiæ. Calipodius Neopolitanus Legatus S. Romanæ Ecclesiæ. Athanasius de Alexandriâ, &c.*

Canones Carthaginensis Concilij. Post Consulatum Honorij & Theodosii Augustorum 8. *Kalendas Iunias Carthagine in Secretario Basilicæ Fausti, cum Aurelius Papa una cum legatis Romanæ Ecclesiæ Faustino Episcopo Ecclesiæ Potentianæ Provinciæ Italiæ Piceni, & Philippo & Asello Presbyteris, nec non cum Augustinus Hipponensis Episcopus & reliqui* 217. *Episcopi consedissent; primum recitato commonitorio, quod Zozimus Papa ad prædictos legatos direxit: deindè etiam* 20. *Capitulis Nicæni Concilij recitatis, ut superius descripta inveniuntur, communi decreto statuerunt cap.* 37. *quæ subsequuntur.* Iisque recitatis ponuntur *Canones diversorum Conciliorum Africanæ Provinciæ numero* 105. Et hic est finis totius epitome, quam Iacobus Sirmondus tomo 2. Conciliorum Galliæ notat primum editam Ingolstadij tomo 6. antiquæ lectionis, & subinde Coloniæ tomo 3. Conciliorum cum titulo, qui hanc ab Hadriano Papa Carolo Magno Regi, cum Romæ esset, ad usum Occidentalium

Eccle-

Ecclesiarum oblatam significat. At ut mentem meam hac de re candidè exponam, putarem epitomen ex hac collectione Hadriani per alium confectam, eamque adhuc mutilam existere: enimvero auctor hujus epitome Canones Apostolorum confusiori ordine tradidit, subscriptiones & numerum Episcoporum nimis vitiosè citavit, quam ut Hadriano I. sapientissimo Pontifici adscriberentur. Refert subindè auctor in præfatione ad canones Sardicenses aliqua de Osij responso tam ab Arianis quam Catholicis exploso, additque canones Sardicenses apud Græcos non existere, quod neutiquam scriberet magnus ille Pontifex, qui absque dubio sciebat Sardicenses canones à Joanne Scholastico Constantinopoli editos, & in Synodo Trullana longe ante sua tempora probatas. Meminit deinde canonum Nicænorum, qui tamen non extant in hac epitome, ut rectè notaverit Labbeus hanc epitomen esse mutilam, & Iacobus Sirmondus scripserit in aunotationibus: aliam esse collectionem ab Hadriano primo datam Carolo Magno „ ex qua epitome illa deinceps conflata est„ cujus fragmentum nobis restat suprà positum malè ab Henrico Canisio, qui illud primum edidit ex manuscripto Codice Monasterij Weingartensis, Hadriano primo attributum, ac si anno Christi 773 Carolo Magno Romæ excepto hoc Canonum Breviarium Donasset.

Sirmondus

214. Putat Sirmondus, cum Carolus Magnus tertiò ad Romanam urbem accesserit, ultimâ vice anno 787. accepisse non laudatum Canonum Breviarium, sed integrum codicem: „ non solum epitomen „ constat oblatam fuisse Carolo Magno (inquit Sirmondus) sed integram collectionem tum canonum, ex quibus epitome illa deinceps „ conflata est, tum Decretorum etiam Pontificum à Syricio ad Gre„ gorium Iuniorem: denique illum ipsum Carolo datum esse librum „ qui *Codex Canonum* à Nicolao Papâ dicitur dist. 19. cap. si Romano„ rum, quique Moguntiæ primum excusus anno 1525. in editione „ posteà Parisiensi inscriptus est: *Codex Canonum vetus Ecclesiæ Romanæ*. „ Hoc enim declarant plurima, quæ in Bibliothecis Galliæ visuntur „ collectionis huius exemplaria, quorum in fronte velut oblati mu„ neris dedicatio præfixa est Hadriani ad Carolum Epistola, quæ pri„ mis singulorum versuum litteris hunc titulum reddit. *Domino Excell.* „ *Filio Carolo Regi Hadrianus Papa.* „ Profert Sirmondus hanc epistolam Caroli laudes & Sedis Apostolicæ subiectionem continentem ex vetustissimo S. Germani Codice Caroli ipsius magni temporibus exarato anno regni ejus 37. id est Christi 805. & duplicem habemus istius

Sirmondus

Codi-

Codicis editionem. Unam Novissimam in Bibliotheca Juris Canonici tomo 1. cum hocce titulo: *Codex Canonum Ecclesiasticorum Dionysii Exigui, sive Codex Canonum vetus Ecclesiæ Romanæ ab Hadriano Papa primo Carolo Magno Romæ quondam oblatus, hac postremâ editione à mendis expurgatus, cui accesserunt antiquiora Pontificum Romanorum decreta ab eodem Dionysio collecta ex vetustissimis exemplaribus M. S. Bibliothecæ Christoph. Justelli.* Et hic Codex merè est collectio Dionysij Exigui tam canonum quam decretorum Pontificiorum, cui tantum annexa sunt decreta Pontificum Hilari, Simplicij, Felicis, Symmachi, Hormisdæ, & Gregorij Magni, aut junioris. Et hæc quidem simpliciter per Iustellum & Voellum edita sunt Parisijs anno 1661.

Titulus collectionis ab Hadriano I. Carol. Magno, oblatæ.

215. At habemus aliam istius collectionis eamque antiquiorem editionem per Justellum anno 1609. ad calcem Codicis Ecclesiæ universæ hocce titulo: *Codex Canonum Vetus Ecclesiæ Romanæ*

Titulus Parisiensis.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Corpus hoc editum Moguntiæ anno 1525. ut adversus Lutherum Ecclesia eo se tueretur, &c. Sic autem intitulatum erat exemplar Moguntinum: *Canones Apostolorum, Veterum Conciliorum constitutiones, decreta Pontificum antiquiora. De Primatu Romanæ Ecclesiæ ex tribus exemplaribus transcripta omnia. Moguntiæ anno 1525 cum privilegio Imperiali.* Hæc collectionis titulus: habebat verò Canones Apostolorum 50. Præfationem in Nicænum Concilium cum Canonibus ejus 20. & subscriptionibus hocce modo: *Et subscripserunt 318. qui in eodem Concilio convenerunt: Osius Civitatis Cordubensis Provinciæ Spaniæ dixit: ita credo sicut Superius scriptum est. Victor & Vincentius urbis Romæ subscripserunt &c.* Insuper Canones Ancyranos, Neocæsareenses, Gangrenses, Antiochenos, Laodicenses, Constantinopolitanos, Ephesinos, Chalcedonenses, Sardicenses, Carthaginenses, & Africanos. Uti & Tractatum de Primatu Romani Pontificis, & Decreta Romanorum Pontificum à Syricio ad Gregorium Magnum inclusivè. Hæcque Decreta & Canones, ne quis existimaret additione aut dimunitione corruptos, præstò nobis est Leo quartus in epistolâ ad Episcopos Britanniæ relatus à Gratiano dist. 20. cap. de libellis: *De libellis & commentarijs aliorum non convenit aliquem judicare, & Sanctorum Conciliorum Canones relinquere vel Decretalium regulas, id est quæ habentur apud nos simul cum Canonibus. Quibus autem in omnibus Ecclesiasticis utimur judicijs sunt: Canones Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsariensium, Gangrensium, Antiochensium, Laodicensium, Constantinopolitanorum, Ephesinorum, Chalcedonensium, Sardicensium, Africanensium, Carthaginensium,*

Titulus Moguntin.

Subscriptiones Niceni Concilij.

Leo IV.

sium, & cum illis regulæ Præsulum Romanorum Sylvestri, Siricij, Innocentij, Zozimi, Cælestini, Leonis, Gelasij, Hilarij, Symmachi, Hormisdæ, Simplicij & Gregorij Iunioris. Subjungunt correctores Gratiani à Gregorio 13. adhibiti hanc ad laudatum caput annotationem: *Indicat Canones & regules, ex quibus constat corpus vel Codex Canonum, de quo in Præfatione dictum est, quo Romani Pontifices præsertim in Iudicijs utebantur.* Et in Præfatione per ipsos citatâ: *In usu præcipuè videtur fuisse collectio illa, quam Nicolaus Papa in C. si Romanorum, Dist. 19. codicem canonum nominat: in quo continebantur Canones & Regulæ illæ, quæ recensentur à Leone 4. cap. de libellis, Dist. 20. Hujus codicis tria manuscripta exemplaria Romæ habentur in Vaticanâ Bibliothecâ. Extat etiam impressus Moguntiæ anno salutis* 1525. Eadem habent Antonius Augustinus de correctione Gratiani, & Sirmondus tomo 2. Conciliorum Galliæ.

Correctores Gratiani.

Præfatio in Gratianum.

CAPUT XI.

De Capitulis Angilramni Episcopi, & Collectione Isidori Mercatoris.

216. *Post jus antiquum prioribus collectionibus expositum, clamat Baluzius novum omnium primò introductum fuisse ab Angilramno Metensi Episcopo, cuius capitula saltem ab Hadriano Papa primo fuere probata.*

217. *Quinam hæc capitula ediderint, & quantâ in veneratione olim habita fuerint in Gallijs?*

218. *Sequitur collectio Isidori Mercatoris, cuius occasio ex præfatione constat. Refutatur subinde error eorum, qui putarunt hunc Isidorum fuisse S. Hispalensem Episcopum.*

219. *Auctorem non fuisse S. Isidorum Hispalensem validè monstratur ex eo, quod collectio includat acta post Isidori ipsius mortem usque ad tempora Hadriani I. quibus consequenter floruisse probatur.*

220. *Adferuntur ex Isidori Mercatoris Præfatione, quæ in collectione continentur.*

221. *Quænam præcisè illa sint, ex editione Merlini proferuntur.*

222. *Eam collectionem maximæ authoritatis fuisse in Occidente, breviter indicatur.*

216. POstquam tam fusè pertractavimus Canonum collectiones, quæ omnium consensu priscam Ecclesiæ Disciplinam perhibuerunt, operæ-precium est nonnihil eas quoque pertractare, quæ ut præten-

tendunt plures, jus novum in Eccleſiam introduxerunt.,, Primus om-
Baluzius. ,, nium (inquit Stephanus Baluzius in Præfatione ad Antonij Augu-
ſtini Dialogos de Emendatione Gratiani) ,, Angilramnus Archiepiſ-
,, copus Metenſis hoc novo jure, quo Epiſcoporum judicia Romani
,, Pontificis auctoritati reſervantur, uſus eſt, primus inquam omnium
,, mortalium contra divinos Canones convellere tentavit jus anti-
,, quum, *quando pro ſui cauſa agebatur*, id eſt, quando accuſatus de ali-
,, quo crimine, ut ego arbitror, ſubtrahere ſe voluit cognitioni ſuo-
,, rum judicum. ,, Præoccupatus nonnihil mœcenatis ſui de Marca
doctrinis adeo capitula Angilrami exhorret, ut contra divinos Cano-
nes conſtituta edicat: ſed quid jus divinum aut antiqua Eccleſiæ con-
ſuetudo ex Apoſtolico inſtituto juris tribuat Patriarchis in ſuos Epiſ-
copos, facilè conſtabit ex dictis parte 1. Enimverò poſt uſum juris
gratiosè à Romanis Præſulibus indultum potuit primus fuiſſe Angil-
ramnus, qui pro revocatione iſtius uſus gratiosè indulti egerit, ut
Baluzius. prætendit Baluzius ſuprà: ,, In eam quippe ſententiam eo (inquit)
,, capitula illa, quæ nunc circumferuntur ſub nomine Hadriani Ro-
,, mani Pontificis ad Angilramnum, non eſſe Hadriani, ſed Angilram-
,, ni, qui ea ex novitijs veterum Pontificum epiſtolis plurimum col-
,, legit, & Hadriano obtulit, ut cauſæ ſuæ præſidium quæreret.
,, Hanc conjecturam multa adjuvant, ſed in primis vetus Codex
Codex S. Victoris. ,, M. S. Bibliothecæ S. Victoris Pariſienſis, in quo ſic habetur: *Inci-
,, piunt capitula collecta ex diverſis Concilijs, ſive decretis Pontificum Romanorum
,, ab Agilramno Metenſi Epiſcopo, & Adriano Papæ oblata.*,, At cum Adria-
no Papæ oblata fuiſſe habeat Codex S. Victoris, quis non ſtatim colli-
git ab Hadriano probata iterùm Angilramno fuiſſe reſtituta, ſicque
verè illam collectionem ſuam feciſſe Hadrianum primum, prout & ſub
eius nomine extat in omnibus ferè Codicibus. Eam cum Sirmondo
TitulusCapitulorum. exhibent tomi Conciliorum hocce titulo. *Hadriani Papæ capitula, quæ
ex Græcis & Latinis Canonibus & Synodis Romanis atque Decretis Præſulum ac
Principum Romanorum ſparſim collecta ſunt, & Ingilramno Mediomatricis urbis
Epiſcopo Romæ à Beato Hadriano Papa tradita, ſub die 13. Kalendas Octobris,
indictione 9. quando pro ſui negotij cauſa agebatur.* Sicque vir de antiquitate
benè meritus Antonius Auguſtinus Tarraconenſis Epiſcopus in notis
Antonius Auguſt. ſuis ad hæc capitula habet ante omnia: ,, De Hadriani Papæ Decretis
,, ſumptis, ut aiunt, ex Græcis & Latinis Canonibus & Synodis Ro-
,, manis atque Decretis Præſulum ac Principum Romanorum, &
,, traditis Angilramno Mediomatricis urbis Epiſcopo 11. Kalendas

Octo-

„ Octobris indictione 9. anno Christi 785. ut suspicor. „

217. Ediderat hæc capitula laudatus Antonius Augustinus, suisque notis illustrarat, quæ etiamnum post capitula reperiuntur tomo 6. Conciliorum Philippi Labbei, sed ita distribuerat, ut 72. capitulis comprehenderentur. „ Cæterùm (inquit Sirmondus in admonitione ad hæc capitula iteratò in tomis Conciliorum Galliæ excusa) octo„ginta numero fuisse constat. Hoc enim & priores editiones titulo „suo testantur, & Gratianus, aliique Canonum Collectores, cum „horum Canonum testimonio utuntur, eumdem numerum agnos„cunt. „ Hinc octoginta illa capitula suo ordini restituit Sirmondus, & hoc modo intonant. *Tituli Capitulorum.*

Sirmondus

1. *Quod qui Episcopum accusat, Dei ordinationem accusat.*
2. *Qui negotium habet cum Episcopo prius ad illum privatim recurrat.*
3. *De primatu Sedis Apostolicæ, & de legitima Episcopi vocatione.*
4. *De discutiendâ accusatoris personâ.* Et sic reliquis titulis propositis usque ad 80. incipiunt ipsa capitula.

1. *Dei ordinationem accusat, in quâ constituuntur, qui Episcopos accusat vel condemnat, dum minus spiritualia quàm terrena sectantur. Unde & Propheta ait: nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* 2. *Placuit* &c. Et hæc capitula tanti olim habita in Gallijs adnotat Sirmondus, ut omnia in libros capitularium Regum transfusa sint, & nonnunquam Episcopi eadem sibi & Ecclesijs suis pro lege observanda proposuerint, ut Hincmarus Laudunensis, cujus in Codice S. Mariæ Virdunensis post hæc Hadriani capitula extat de iis observandis professio. Passim hæc capitula desumpta fuisse ex epistolis decretalibus primorum Pontificum, rectè in notis animadvertit Antonius Augustinus, & an inde non colligatur ex Isidori collectione desumpta, statim videbimus.

218. De collectione sua habet Isidorus Mercator in Præfatione: *Compellor à multis tàm Episcopis, quàm reliquis servis Christi, Canonum sententias colligere, & in unum volumen redigere, & de multis unum facere.* Ac infrà multitudinem Episcoporum, qui hoc ab ipso opus desiderarunt expressurus, alloquitur 80. *Episcopos, qui hoc opus me incipere & perficere coëgistis.* Quinam verò hic Isidorus sit, quem Episcopi ad hoc incitarunt, ut ex cunctis Conciliorum Canonibus & Pontificum Decretis abundantiorem quàm ante hac collectionem adornaret, variarunt antiqui, quorum sententia celebrem illum Isidorum Hispalensem Episcopum, qui sanctitate conspicuus anno 636. obiit, ut docet Re-

Isidorus Mercator.

demptus Diaconus in ejus vita, auctorem constituit. Sic enim tempore Hincmari Metropolitæ Remensis anno 870. creditum fuisse, lucet ex indubitato ipsius Hincmari testimonio, quod extat epistola 7. cap. 12. *Isidorus Hispalensis Episcopus collegit cum epistolis Romanæ Sedis Pontificum à S. Clemente usque ad beatum Gregorium.* Et Hincmari judicium approbare visi sunt, qui Gratiani correctioni Romæ insudarunt tempore Gregorij 13. ut patet ex admonitione decreto præfixâ. *Isidorum hunc Igmarus Archiepiscopus Rhemensis in libro de Synodis celeberrimum illum Hispalensem fuisse affirmat, à quo testatur Trithemius, librum Decretorum esse conscriptum: ac certè multa verba, quæ in præfatione hujus collectionis leguntur, sunt in libro 5. Etymologiarum.* Omitto plures, qui ex laudatis testimonijs hanc Canonum collectionem indubitanter crediderunt S. Isidoro Hispalensi vindicandam, in quo decepti errarunt. Licet enim hunc Isidorum Episcopum Hispaniæ fuisse crediderim, & non Mercatoris sed Peccatoris nomine seipsum olim inscripsisse juxtà solemnem Episcoporum morem, ut patet ex Concilio Turonensi 1. Parisiensi 3. Turonensi 2. Metisconensi 1. alijsque, in quibus Episcopi sub nomine Peccatorum sese expresserunt, attamen non Isidorum Hispalensem fuisse, penitus existimo.

Hincmarus Remensis.

Decreti Gratiani correctores.

219. Rationem hujus dedit Parisiensis Archiepiscopus de Marca „ libro 3. cap. 5. §. 1. Certum quidem est (inquit) & omninò indu„ bitatum ex sententiâ illustrissimi Cardinalis Baronij, Sordes verbo„ rum, quæ aliquoties in illâ collectione occurrunt, in Isidorum „ Hispalensem laudatissimum & eruditissimum virum non esse rei„ ciendas: qui etsi in Originum libris aliquandò lapsus fuerit, variæ „ tamen & reconditæ lectionis specimen præbet, unde antiquariorum „ studia maximè juvantur. Indè autem colligitur Isidoro Hispalensi „ non esse tribuendam istam collectionem, quia & Concilij Toletani „ XI. habiti anno 675. & Concilij 6. coacti anno 681. meminit qua„ draginta & amplius annis post obitum Isidori, qui accidit anno „ 636. ut docet Redemptus Diaconus in ejus vitâ. Imò verò & Gre„ gorij 2. & 3. & Zachariæ Summorum Pontificum, qui post annum „ 700. vixerunt, epistolas auctor ille collectioni suæ inseruit. „ Hæc omnia de Marca, ex quibus patet, hanc collectionem elucubratam post annum 700. & cum Hincmarus Remensis opusculo contrà nepotem cap. 24. testetur, ex Hispaniis per Riculphum Episcopum Moguntinum in Gallias allatam, (qui Moguntinum Episcopatum tenuit ab anno 787. usque ad annum 814.) sequitur ante annum 814. fuisse compilatam

De Marca.

pilatam. Chronicon Juliani Toletani à viro Clarissimo Laurentio Ramiserio Parisijs editum tradit, quod Isidorus Mercator Episcopus Setubensis, ope Monachi cujusdam compilationi operam dederit, & obierit anno 805. quod mirè coincidit cum iis, quæ hucusque de auctore & initio hujus compilationis diximus: si enim anno 805. Isidorus mortuus sit, potuit ante annos 30. opus elucubrasse; anno 775. & cum Hadrianus primus anno 774. tantum Dionysianam collectionem habuerit, eandem solam tunc, non anno 787. ut putat Sirmondus, obtulisse Carolo Magno: at cum anno 775. jam prodierat hæc Isidori collectio, potuerunt partim ex eâ, partim ex alterâ desumpta esse capitula, quæ ex Græcis & Latinis Canonibus, & Synodis Romanis atque Præsulum Romanorum Decretis collecta inscribuntur, & ab Angilramno Mediomatricæ urbis Episcopo tradi Hadriano Papæ, vel ipsi Angilramno reddi à B. Papa Hadriano sub die 13. Kalend. Octob. anno 785. In illis enim capitulis quædam desumpta esse ex allatis per Isidorianam collectionem Synodorum statutis, planum fit tum ex alijs, tum ex capite 1. quod ex §. 3. epistolæ primæ Thelesphori Papæ desumptum est, tum ex capite 72. quod ex Synodalibus gestis S. Silvestri per Isidorum publicatis integrè videtur excerptum. Uti & plura alia prout annotat Antonius Augustinus.

Chronicon Juliani.

Hadrianus I.

220. Illa verò, quæ Isidorus in unum collegit, ipse attingit in sua præfatione, primò *qualiter Concilium apud nos celebretur*, ordinem nimirum de celebrando Concilio ex Concilio 4. Toletano: posteà: *Canones, qui dicuntur Apostolorum. Deindè quarumdam epistolarum decreta virorum Apostolicorum interserimus, id est, Clementis, Anacleti, Evaristi & cæterorum Apostolicorum, quas potuimus hactenus reperire epistolas usque ad Sylvestrum Papam. Postmodum verò Nicænam Synodum constituimus, propter auctoritatem ejusdem magni Concilij. Deinceps diversa Concilia Græcorum & Latinorum, sive quæ antea, sive quæ postmodum facta sunt, sub ordine numerorum ac temporum capitulis suis distincta, sub hujus voluminis aspectu locavimus, subiicientes etiam reliqua Decreta Præsulum Romanorum usque ad S. Gregorium, & quasdam epistolas ipsius.* Hanc Isidori collectionem anno Domini 1524. in lucem editurus, Iacobus Merlinus Doctor Parisiensis, credidit vulgari errore deceptus fuisse S. Isidorum Hispalensem Episcopum, & scribit in Præfatione ad Stephanum & Franciscum Poncherijs Senonensis & Parisiensis Ecclesiæ Præsules: „Sacrosanctorum scilicet Conciliorum, orthodoxorumque Pontificum instituta, quæ partim dudum B. Isidorus

Isidorus.

Merlinus.

„ dorus in unum comportaverat, partim tu, Reverendissime Pater, „ plumbo obfirmata, publicanda dedisti. Quae mox in unum referre „ volumen non dissimulavi. „ Enimverò ut observat Philippus Labbeus in Apparatu Conciliorum ante hanc Merlini Praefationem „ ejus „ tomus prior mera est Isidori collectio: nisi quod Romanorum Pon-„ tificum Gregorij 2. Vitaliani, Martini, Gregorij 3. & Zachariae ad-„ dita sunt Decreta. „ Ex quibus & Ludovicus Bail Doctor & Propoenitentiarius Parisiensis tomo 2. Conciliorum, sexta classe, juxtà Merlini editionem colligit indiculum Decretorum Pontificiorum ab Isidoro Mercatore collectorum, & est sequens:

Labbeus.

Bailius.

221. „ Ordo de celebrando Concilio. Canones Apostolorum. De-„ creta Clementis Papae & Martyris, Anacleti, Evaristi, Alexandri, „ Sixti, Telesphori, Hygini, Pii, Aniceti, Soteris, Eleutheri, Vi-„ ctoris, Zephyrini, Calixti, Urbani, Pontiani, Antheri, Fabiani, „ Cornelij, Lucij, Stephani, Sixti, Dionysij, Foelicis, Eutichiani, „ Gaii, Marcellini, Marcelli, Eusebij, Melchiadis. De primativâ „ Ecclesia edictum Constantini. Concilium Nicenum, fides Gregorij „ majoris. Concilium Ancyranum, Neocaesariense, Gangrense, Sar-„ dicense, Antiochenum, Laodicenum, Constantinopolitanum, E-„ phesinum, Chalcedonense. Edictum Martiani Imperatoris, sacra „ Valentiniani, & Martiani Augustorum, edictum Martiani Impera-„ toris contrà haereticos, epistola formata qualiter debet fieri. Con-„ cilium Carthaginense 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Milevitanum, Arelatense „ 1. 2. 3. Valentinum, Taurinatense, Regiense, Auriacense seu Aura-„ siacum, Valense, Agathense, Aurelianense, Elibertinum, Tarra-„ conense, Gerundense, Caesaraugustanum, Ilerdense, Valentinum, „ Toletana tredecim, Bracarense 1. & 2. liber Capitulorum ex diver-„ sis Concilijs collectorum à B. Martino Bracarensi Episcopo, Con-„ cilium Bracarense 3. * Spalense 1. & 2. excerptiones ex Decretis „ Silvestri Papae, decreta Marci Papae, Iulij, Liberij, Foelicis, Damasi, „ Siricij, Anastasij, Innocentij, Zozimi, Bonifacij, Caelestini, Sixti „ Papae 3. Decreta Leonis Papae 1. decreta Hilarij, Simplicij, Foelicis, „ Gelasij, Anastasij, Simmachi, liber Ennodij, decreta Hormisdae „ Papae, libellus fidei Joannis Constantinopolitani, decreta Joannis „ Papae, Foelicis, Bonifacij, Joannis, Agapiti, Sylverij, Vigilij, Pela-„ gii, Ioannis, Benedicti, Pelagij, Gregorij. „ Et hic sistendum cum in Gregorio illius nominis primo se finem fecisse scribat in Praefatione Isidorus. Ut Dominus Bail immeritò addiderit alios post Gre-

* Hispalense.

Gregorium Pontifices Vitalianum, Martinum Papam, Gregorium 3. & Zachariam: hi enim à Merlino aut alijs post Isidorum additi sunt, ut rectè suprà notavit Labbeus, cui consonant correctores decreti Gratiani in Præfatione aut admonitione ad lectorem. *Cæterum* (inquiunt) *inter privatos collectores, qui multo plura congerere studuerunt, perantiquus est Isidorus, cuius collectio protenditur à Canonibus Apostolorum usque ad Concilium* * *Hispalense 2. habeturque in duobus Codicibus Vaticanæ Bibliothecæ, & uno Monasterij Dominicani Sanctæ Mariæ supra Minervam: extat autem impressa in editionibus Conciliorum, in antiquioribus quidem purior, in recentioribus autem multis alijs Concilijs, scriptisquè admista.*

Correctores Gratiani.

*Hinc corrige Bail suprà,

222. Restaret jam de hujus collectionis authoritate disserere, & ostendere qualiter recepta fuerit per universam Occidentis Ecclesiam. De Hispaniâ enim dubitare non licet, cum ad instantiam 80. Episcoporum eam collectionem ope cujusdam Monachi, qui ex sua forsan Bibliotheca decretales primorum Pontificum epistolas subministravit, aggressus est, & cum eosdem octoginta Hispaniæ Episcopos & alios Sacerdotes in præfatione sua alloquatur, indicium est, ab iisdem fuisse receptam canonum collectionem, quod egregiè confirmatur ex eo, quod Riculphus Archiepiscopus Moguntinus hanc collectionem ex Hispanijs in Gallias & Germaniam attulerit, ubi teste Hincmaro Metropolitâ Remensi statim ubique Recepta Bibliothecas adimplevit. Idem confirmari potest de Italiâ ex Angilramno Metensi Episcopo, qui pleraque capitula ex hac collectione desumpta ab Hadriano primo recepit, post quem Nicolaus Papa primus collectionem illam adeo promovit, ut non solùm collectionem in Gallorum animis stabiliverit, sed & ad Orientem ejus Notionem in Epistolis ad Photium Patriarcham Constantinopolitanum publicare studuerit, de quibus omnibus, cum infrà, ubi de Primorum Pontificum decretalibus epistolis loquendum est, plenè tractandum sit, eo curiosum Lectorem remittimus.

CAPUT

CAPUT XII.

De alijs Collectionibus Canonum tàm Græcorum quàm Latinorum usque ad Gratianum.

223. *Quinam ultra hactenus citatos collectiones Canonum auspicati sunt, breviter indicat Iustellus.*

224. *Post Ioannem Scholasticum reperitur Photius, qui Nomocanonem edidit, de quo plura & præcipuè quantæ authoritatis extiterit.*

225. *Ex Photij Prolegomenis nunc primum editis adducuntur Concilia & Patres, quorum canones & decreta aut Epistolas allegat.*

226. *Photium subsecutus est Alexius Aristinus qui anno* 1130. *collectionem suam edidit, cuius canones & decreta proferuntur. Et huic similem collectionem edidisse Symeonem Logothetam, paucis indicatur.*

227. *Græcorum agmen concludit Arsenius Monachus circa annum* 1255. *qui* 141. *titulis totum ius Canonicum complectitur additis in fine titulorum legibus Imperatorum, ut collectio ipsius Nomocanon intitulari possit. Adduntur aliqua pro ordinis pleniori notitiâ.*

228. *Ex Latinis post Isidorum Mercatorem collectionem canonum confecit Rhegino, de quo Latius differit Baluzius.*

229. *Rheginonem subsequitur Burchardus VVormatiensis Episcopus anno* 1020. *quem plura erroneè citasse notat Baluzius, hinc tamen Burchardo hoc opus non abjudicandum, repetitur ex Antonio Augustino.*

230. *Post Burchardum aliam collectionem confecit Anselmus Lucensis, cuius operi ab aliis quædam admixta sunt, aut certè cum posteriorum temporum Decreta contineat, eius opus alteri tribuendum esset, forsan Hildeberto Cenomanensi Episcopo.*

231. *Aliam collectionem edidit Cardinalis Deusdedit, de qua paucis.*

232. *Duplicem demum collectionem elucubravit Ivo Carnotensis Episcopus, quarum unam Pannormiam Bellarminus Ivoni abjudicat, nunc tamen iterato restituitur cum Baluzio.*

223. GRæcorum Canonum collectores post Joannem Scholasticum extitisse, attingit Christophorus Justellus in Præfatione ad Codicem Ecclesiæ universæ. „ Sunt (inquit) & aliæ antiquæ & recentio-

Iustellus.

„ centiores collectiones, seu breviationes Canonum, Nomocanones „ etiam, seu Canonum & legum concordantium collationes, quæ „ omnes Canonum sententias sub certis quibusdam titulis compre- „ henderunt. Jo. scilicet Scholastici, Photij, & Arsenij Patriarcharum „ Constantinopolitanorum, Alexij Aristini, Simeonis Logothetæ, & „ Constantini Harmenopuli, aliorumque collectorum Græcorum post „ Chalcedonense Concilium, & Iustiniani Imperatoris tempora pri- „ vato tantum consilio conscriptæ, nullâque publicâ authoritate pro- „ batæ, nec ab Imperatoribus confirmatæ, quæ & ideo nullam vim „ habent juris canonici universalis, sed tamen ad interpretationem & „ faciliorem instructionem canonum sunt valdè utiles & necessariæ.„ Hæc vir ille in canonica antiquitate non parum versatus, post cujus obitum ejus filius cum Voello memoratas plerasque Græcorum collectiones publici juris fecerunt tomo 2. Bibliothecæ Iuris Canonici, ex quo lubet hic pauca ad clariorem collectionum notitiam decerpere.

224. Primus post Ioannem Scholasticum, quem inter Græcos collectionem Canonum auspicatum habemus, est intrusus in S. Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani locum ex-episcopus Photius, qui ob detestandum schisma Orientis Ecclesiæ tam graves inimicitias & discordias exercuit seculò 9. cum Nicolao I. & Hadriano 2. Fuit interim Homo eruditus, quem Cedrenus non immeritò celebrem sapientiâ virum edixit. Inter preclara ingenij sui monumenta reliquit Nomocanonem in quo Canones Synodorum, Decreta Sanctorum Patrum, & constitutiones Ecclesiasticas Imperatorum in quatuordecim titulos ac varia singulorum titulorum capita divisit hoc modo.

Titulus primus. De Theologia & Orthodoxa fide, Canonibus, & Ordinationibus. Nomocanon Photij

CAPUT I.

De Theologia & Orthodoxa fide. Apostolorum canon. 49. & 50. *Concilij Constantinopolitani canon* 1. 5. *Concilij Ephesini canon* 7. *Concilij Carthaginensis canon* 2. *Concilij sexti canon* 1. 73. 81.

TEXTUS.

Liber 1. *Codicis, titulo* 1. *constitutione* 1. 5. 6. 7. 8. 9.

CAPUT II.

Quot Canones valere oporteat. Concilij Chalcedonensis canon 1. *&c.* Sicque varia capita sub singulis titulis primò probantur canonibus Conciliorum & decretis Patrum; postmodum componuntur cum legibus Imperialibus. Et hunc Photij Nomocanonem ne aliquis existimaret ex dictis

à Justello supra nullius authoritatis fuisse, notanda sunt, quæ in Præfatione ad tomum 1. Bibliothecæ scribunt Voellus & Justellus junior „ auctoritas porrò Nomocanonis Photij tanta fuit, ut „ illum Græci omnibus suis collectionibus præfigerent, quippequi „ totius Canonicæ Disciplinæ elementa contineat, ut observavit „ Theodorus Balzamon Patriarcha Antiochenus jussu Emanuëlis Com- „ neni Imperatoris Orientis, & Michaëlis Anchiali Patriarchæ Con- „ stantinopolitani hunc Photij Nomocanonem perpetuis interpreta- „ tus est commentarijs. „ Et hæc ipsa confirmat prænotatio Balzamonis ad hunc Nomocanonem: *Expositio Sacrorum Divinorumque Canonum Sanctorum celebratissimorumque Apostolorum, & Sacrorum œcumenicorum, atque etiam Provincialium sive particularium Conciliorum, reliquorumque Sanctorum Patrum: insuper & declaratio efficacium atque inefficacium legum in quatuordecim ante canones positis titulis collocatarum elaborata jussu Imperatorio atque Patriarchali à Theodoro Balzamone humili sanctissimæ Dei Magnæ Ecclesiæ Diacono, Nomophylace & Chartophylace, Præfecto Blachernarum, qui etiam post aliquot annos Theopolis [sive] magnæ Antiochiæ, totiusque Orientis Patriarcha factus est.* Hucusque prænotatio, ex qua cum constet de authoritate Nomocanonis Photij, operæprecium est ex opere Schismatici Patriarchæ à Schismaticis in Oriente adeò laudato adducere canones, & decreta in authoritatem in ipso admissa.

Voellus & Justellus.

Balzamon.

225. Tomo 2. Bibliothecæ primum edita sunt ex Codice M. S. Bibliothecæ Oxoniensis Prolegomena ipsius Photij ad suum Nomocanonem, in quibus Photius edisserit, quos canones in authoritatem pro suo Nomocanone admiserit, ac demum compendiosè & ordinatè enumerat: *Canones, qui Sanctorum Apostolorum dicuntur, Clementis operá collecti* 85.

Photius in Præfat.

Synodi Nicænæ Sanctorum Patrum canones 20.

Synodi Ancyranæ canones 25.

Synodi Neocæsariensis canones 14.

Synodi Gangrensis canones 20.

Synodi Antiochiæ in Syria canones 25.

Synodi Laodicenæ Phrygiæ canones 59.

Synodi Constantinopolitanæ Sanctorum Patrum 150. *canones* 7.

Synodi Ephesinæ Sanctorum Patrum 200. *canones* 7.

Ejusdem Synodi epistola ad Pamphyliæ Episcopos.

Synodi Chalcedonensis 630. *S. Patrum canones* 28.

Synodi Sardicensis canones 21.

Synodi

Synodi Carthaginensis canones 138.
Synodi Constantinopolitanæ canon 1.
Synodi Sextæ canones 102.
Synodi Septimæ canones 22.
Synodi Constantinopolitanæ 1. *&* 2. *canones* 17.
Dionysij Archiepiscopi Alexandrini ex epistola ad Reginam can. 4.
Petri Archiepiscopi Alexandrini & Martyris ex Oratione de Pœnitentia can. 14.
Eius ex Sermone in Pascha canon 1.
Gregorij Taumaturgi Episcopi Neocæsariensis epistola canonica.
Basilij Episcopi Cæsareæ Cappadociæ è tribus canonicis Epistolis ad Amphilochium Iconij Episcopum canones 84.
Eiusdem ex alia epistola ad eumdem Amphilochium Episcopum can. 1.
Eiusdem epistola canonica ad Diodorum.
Eiusdem epistola canonica ad Gregorium Presbyterum.
Eiusdem epistola canonica ad Archiepiscopos.
Eiusdem epistola canonica ad Episcopos sibi subditos.
Eiusdem ex his, quæ ad Amphilochium scripta sunt de Spiritu S.
Gregorij Episcopi Nysseni ex epistola canonica ad Letoium Melitenum Episcopum canones 8.
Timothei Archiepiscopi Alexandrini veteris dicti ex interrogationibus & responsionibus ab eo scriptis canones 15.
Theophili Archiepiscopi Alexandrini allocutio de Sancta Dei apparitione, quæ vulgò Epiphania dicitur.
Eiusdem ex commentario propter Lycopolim Ægypti urbem facto canones 10.
Eiusdem epistola ad Aphyggium Episcopum.
Eiusdem epistola ad Agathum Episcopum.
Eiusdem epistola ad Menam Episcopum.
Cyrilli Archiepiscopi Alexandrini ex epistola ad Domnum canones 3.
Eiusdem ex epistola ad Episcopos Libyæ & Pentapolis canones 4.
Gennadij Sanctissimi Patriarchæ Constantinopolitani, sanctæque Synodi cum eo congregatæ circularis epistola ad omnes sanctissimos Metropolitanos.
Primus Gennadius Archiepiscopus Constantinopolitanus.

Et hæc omnia ex Præfatione ipsius Photij, quæ ostendunt in locum Decretalium Romanorum Pontificum adscitos Orientalis Ecclesiæ Patres juxtà Morem Græcorum, qui post Concilium Trullanum id imitati sunt.

226. Post Photium collectionem elucubravit Alexius Aristinus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus, quam jussu Io. Comneni

Imperatoris, hoc est anno 1130. edidisse observavit doctissimus Allatius libro de collatione ordinum. Sequitur verò in ea methodum antiquiorum collectionum à Canonibus Apostolorum, quos adducit usque ad 77. & post hos referens canonum Nicænorum Epitomen numeris 24. Synodi Ancyranæ 26. Synodi Neocæsariensis 15. Synodi Gangrensis 6. Antiochenæ 25. Laodicenæ 47. Constantinopolitanæ primæ 8. Ephesinæ 7. Chalcedonensis 31. Sardicensis 21. Africanæ 22. Trullanæ 91. S. Basilij epistolarum primæ 18. & secundæ 34. & tertiæ 18. Cui collectioni planè similem confecit Symeon Magister & Logotheta Aristino posterior, cujus epitomen canonum uti & Aristini ex Codice M. S. Bibliotheca Juris Canonici edidit tomo 2. eâ tamen differentiâ, quod Symeonis epitome habeat numeros 81. canonum Apostolorum, & canones quatuor primorum Conciliorum Generalium præponat reliquis Provincialibus, & Synodum Trullanam ponat post tres Basilij epistolas, & canonum Trullanorum numerum usque ad 88. perducat.

Collectio Aristini.

Collectio Symeonis Logothet.

227. Græcorum agmen concludit Arsenius ex Monacho Hierosolymitano Constantinopolitanus Episcopus, qui sub Theodoro Lascare juniore vixit circa ann. 1255. & accuratiori methodo universam canonicæ disciplinæ scientiam ex Concilijs & Patribus in Concilio Trullano probatis collectam, centum supra unum & quadraginta titulis complexus est, additis in fine cujusque tituli capitibus quibusdam ex legibus petitis, unde & illius opus Nomocanonis nomine in fine Codicis Græci M. S. inscriptum reperitur. Habet operis titulus: *Arseni Monachi etus, quod est in Sancto Monte Monasterij, divinorum canonum Synopsis, appositis unicuique capiti congruentibus divinorum canonum numeris, ex quibus mens desumpta est, &c.* Et ipsa Synopsis inchoat hoc modo:

Operis Titulus.

Collectionis tit. I.

1. *Oportere ante omnia secundum sanam opinionem credere in sanctam & consubstantialem Trinitatem, sanctorum Patrum nostrorum atque œcumenicorum Doctorum decretis inhærentes. Qui enim non ita credunt anathemate percelluntur.*

Revelatio S. Gregorij Taumaturgi.

Orationes 2. ex Synodalibus sancti Sophronij.

Libellus Michaëlis Syncelli.

Oratio de Sanctis & œcumenicis 7. Synodis.

Synodi Constantinopolitanæ canon 1. & 5.

Synodi Ephesinæ canon 7. 8. & 9.

Synodi Carthaginensis canon 2. 135. 136. 137.

Synodi Sextæ canon 1.

2. Non

2. *Non oportere &c.* Et hæc quidem de Collectoribus Græcis.

228. De Latinis, qui post Isidorum Mercatorem inter Collectores celebres extiterunt, faciliùs me expediam. Ac primò quidem extitit Regino, cujus collectionem cum edidit Stephanus Baluzius, ab ipso ejus notionem mutuabimus. Scribit verò Baluzius in præfatione ad Antonium Augustinum numero 17. „ Regino Abbas Monasterij Prumiensis, cum hinc pulsus se recepisset in Monasterium sancti Maximini Trevirensis, illic privatam vitam agens libros duos de Ecclesiasticis disciplinis & Religione Christiana scripsit circà annum 906. jussu Rathbodi Archiepiscopi Trevirensis; in quibus condendis usus est præcipuè canonibus antiquis & sinceris Romanorum Pontificum Decretis, tum etiam, quamquam non admodum frequenter, pseudepigraphis epistolis ab Isidoro collectis, capitularibus Regum Francorum, & dictis sanctorum Patrum. Editionis illum Honore primus donavit vir clarissimus Hildebrandus. Nos verò rursum edidimus anno 1671. emendatum ex fide vetustissimi & optimi Codicis. Porro ne videamur actum agere, lectorem remittimus ad præfationem quæ illi nostræ editioni prefixa est.„ Hæc Baluzius de Reginonis collectione, quam non amplius extare credebat Cardinalis Bellarminus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in Reginone.

Regino.

Baluzius.

229. Reginonem subsequitur Burchardus Wormatiensis Episcopus, quem simile opus aggressum esse circà annum 1020. constat ex ejus 20. libris in quibus sub idoneos locos communes singulas materias congessit. Secutus est deinde (inquiunt correctores decreti Gratiani in admonitione prævià) *Burchardus Wormatiensis Episcopus Othonis 3. & Henrici 2. Bavari Imperatorum ætate: qui non ordinem temporum & Provinciarum, ut Isidorus, sed rerum & causarum sibi sequendum putavit.* Et Bartholomeus Fisen in Floribus Ecclesiæ Leodiensis pag. 328. ex M.SS. Gemblacensibus & sancti Jacobi Leodiensis asserens, Burchardum Lobii & Olberti hoc tempore auditorem *tantam literarum cognitionem attigisse, ut incredibili Christianæ reipublicæ bono descriptum in viginti libros decretorum volumen luci dederit.* Benè multa accepisse ex Reginone, plurima de suo addidisse, pleraque corrupisse, annotat Baluzius ubi suprà numero 18. qui eum excusari prætendit ex eo, quod hoc opus non sit Burchardi: sed Olberti Abbatis Gemblacensis, *quo dictante & magistrante Burchardus Magnum illud canonum volumen centonisavit,* ut narratur in libro de Gestis Abbatum Gemblacensium, cui consonat Sigebertus libro de

Correctores Gratiani.

Fisen ex M. SS.

Gesta Abbatū Gemblacens.

de Scriptoribus Ecclesiasticis: quamvis ego existimarem opus illud Burchardo vindicandum, de quo Antonius Augustinus de correctione Gratiani Dialogo 1. „ Burchardi verò libri veteres carent inscriptio-
„ ne. Sed in edito non decretum, sed decretorum libri 20. appellantur.
„ Collectiones Burchardi Wormaciensis appellat Ivo in quadam epi-
„ stola. Nimirum 74. vel 32. ad Will. Abbatem.

Antonius Augustin.

230. Meminerunt Correctores Romani in admonitione prævia etiam collectionis Anselmi Lucensis Episcopi, qui ut notat Bellarminus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis obiit anno Domini 1086. Duo exemplaria sese nactos fuisse testantur collectores ex Bibliothecâ Vaticanâ unum; & ex Hieronymi Parisetti alterum. Scribit verò Antonius Augustinus Tarraconensis Episcopus libro 2. Dialogo 4.
„ " Tria volumina eius collectionis, quam Anselmi Lucensis appella-
„ mus, ad manus meas pervenerunt sine nomine Collectoris. Primum
„ ex Ludovici Gemetij Episcopi Sarnensis, cui ego Romæ suffectus
„ fui sacri Palatij Auditor, Bibliothecâ accepi; idque contuli cum
„ alio exemplo Nicolai Ormaneti Episcopi Patavini. Tertium nuper
„ ex Michaëlis Thomasij Ilerdensis Episcopi libris nactus sum. Quod
„ exemplum recens est ex Bibliotheca Vaticana nuper, ut suspicor,
„ exscriptum. Duo illa volumina satis antiqua visa sunt. In hoc igi-
„ tur exemplo post ea, quæ in aliis libris leguntur; sunt quædam in
„ singulis libris addita, ut mihi videtur, à Posterioribus Scriptoribus
„ aut Dominis ejus voluminis sive illius à quo id sumptum est. „
Et hinc jam spes evadit solvendi difficultatem cum Baluzio, de quâ in Præfatione ad Antonium Augustinum n. 19. „ In veteri Codice
„ istius collectionis, cujus exemplum ex Bibliothecâ Barberinâ ad se
„ missum idem D'Acherius mecum communicavit, hæc in titulo scrip-
„ ta sunt, quæ librum illum adjudicant Anselmo Episcopo Lucensi:
„ *In Trinitatis nomine sanctæ & individuæ, incipit hinc feliciter istius libri se-*
„ *ries, quem Sanctus ex Italia Anselmus, quique Pontifex Lucanæ fuit Ecclesiæ*
„ *vir prudens ac Catholicus, in Christi fide fervidus, carpsit ex toto canonum Pa-*
„ *trum sanctorum corpore.* Sed aut fallit titulus, aut certè multum in-
„ terpolatus est hic liber, ut rectè annotatum est ab Antonio Augu-
„ stino. Nam illic continentur plurima Urbani 2. & sequentium Pon-
„ tificum Decreta, quorum ævo Anselmus vivere desierat. „ Addit & Baluzius, se alium Codicem antiquissimum nactum fuisse ex Bibliothecâ Monasterij sancti Germani Parisiensis sine titulo tamen & nomine auctoris, qui liber iis, quos vidit Antonius Augustinus, ex eo

Antonius Augustin.

Baluzius.

Titul. Collectionis.

præ-

præstat, quod nulla in isto Decreta Pontificum Romanorum contineantur, qui post annum 1086. Apostolicam Sedem tenuerunt. Hæc ferè Baluzius in favorem collectionis Anselmo vindicatæ, quamvis Antonius Augustinus multum de auctore istius collectionis dubitare visus sit, quinimò ipse Baluzius inclinet ad abnegandam illam Anselmo Lucensi, primò ex authoritate vetusti Scriptoris vitæ ejusdem Anselmi, qui lucubrationes Magistri ac Domini sui recensens, nullam collectionis istius mentionem fecit, deinde ex Sigeberto Monacho Gemblacensi horum temporum Scriptore, & Trithemio, qui tractantes de operibus Anselmi, altum de collectione ejus agunt silentium unde forsan Hildeberto Cenomanensi Episcopo tribuenda, qui apud Antonium Augustinum libro 1. Dialogo 1. scribit in epistola 49. *Exceptiones decretorum (vel potius excerptiones) quas in unum volumen ordinare disposuimus, ad suum finem nondum perducta sunt.*

Hildebertus Cenomanensis Episcopus.

231. Meminiscunt etiam Correctores Gratiani Cardinalis Deusdedit, de quo in annotationibus ad cap. si Papa, dist. 40. *Deusdedit Presbyter Cardinalis tit. Apostolorum in Eudoxia tempore Victoris Papæ 3. libros 4. de rebus Ecclesiasticis composuit, qui in Bibliotheca Vaticana servantur.* Ejus collectione sæpè usi sunt in corrigendo Gratiano, & sæpè citat eamdem Antonius Augustinus. Cum verò sub Victore 3. libros elucubrasse perhibetur, & Victorem illum anno uno dumtaxat Pontificatum obtinuisse constet, nimirum 1086. illum ante Ivonem Carnotensem scripsisse colligimus, de quo cum tam multi scripsere, pauca dumtaxat annotabimus.

Correctores Gratiani.

232. De Ivone Carnotensi habet Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis sub annum 1088. „ Ivo Carnotensis Episcopus vixit tempore Urbani secundi, ad quem extant epistolæ: sed supervixit ad annum Domini millesimum centesimum decimum quartum, scripsit volumen Decretorum. . . . Fertur etiam sub Ivonis nomine Pannormia, seu potiùs Pannomia: sed ea Pannomia non dicitur Ivonis, quia sit ab Ivone composita, sed quia sit ex Decreto Ivonis maxima ex parte desumpta: est enim Pannomia quasi compendium Decreti Ivonis. Et ideo mirum videri non debet, quod libro 8. multa sint decreta ex Innocentio 2. Papâ, & ex historiâ Sigeberti, qui fuerunt Ivone posteriores. „ Bellarmino accedunt correctores Gratiani in admonitione ad Lectorem: *Extant autem duo volumina Ivonis nomine inscripta eamdemque habentia præfationem: quorum unum, quod Pannormia, alterum, quod absolutè decretum inscribitur, quasi epitome quædam est*, & infrà

Bellarmin.

Correctores Gratiani.

Pan-

Pannormiæ auctorem recentiorem dubitant Gratiano, unde colligitur, eos Pannormiam Ivoni, qui ante Gratiani collectionem obiit, abjudicasse. Verùm huius difficultatis originem detegit Baluzius, qui annotat duplicem collectionem sub nomine Ivonis cum hac eadem præfatione reperiri: *Incipit prologus Pannormiæ. Ivonis Carnotensis Episcopi de multimodo distinctione scripturarum sub una castorum eloquiorum facie contentarum exceptiones Ecclesiasticarum regularum &c.* Ivonem verò scripsisse primò Pannormiam, de quo libro de Scriptoribus Ecclesiasticis Trithemius: *Scripsit post Burckardum VVormatiensem Episcopum ex Canonibus Sanctorum compendiosum decretum, quo ante Gratiani tempora utebantur Iuristæ, quod prænotavit Pannormiam lib. 10. excerptiones Ecclesiast.* Continebat Pannormia partes 8. in quibus Ivo collectione Reginonis aliorumque usus est, & edita fuit primo Basileæ an. 1499. deinde Lovanij anno 1557. in quibus editionibus in calce libri scripta sunt decreta Innocentij 2. ob quæ Bellarminus illam collectionem Ivoni abjudicavit, cum tamen Antonius Augustinus lib. 2. Dialogo 5. observet, addita esse decreta illa Pannormiæ, & se habuisse veterem librum Pannormiæ, in quo decreta Innocentij 2. non extabant ,, sicut (inquit Baluzius) non extant in optimo & antiquissimo Victorino, in quo caput, quod est 136. octavæ partis in editionibus (Leo Papa in Synodo congregata &c.) finem imponit Pannormiæ. ,, Cum verò videret Ivo, Pannormiam favorabiliter acceptam, majus opus aggressus est incipiens rursum ab eadem præfatione, & opus quod in octo tantum partes primò diviserat, nunc in decem & septem distribuit mutato tamen ordine: unde in Codice S. Victoris Parisiensis recentiori licet manu conscripto, habetur *liber Canonum superscriptus Decreta Iouiniani, quem composuit Ivo quondam Carnotensis Episcopus, & continet decem & septem partes principales*, & ex hoc volumine compendium seu libellum portatilem confecit Hugo Catalanensis, de quo Vincentius Bellouacensis libro 25. Speculi historialis cap. 84. quod *Summa Decretorum Ivonis* appellatur. Hæcque de Ivone Carnotensi Episcopo, post quem Gregorium Presbyterum volumen suum, quod Polycarpum intitulavit, aliosque nonnullos hac in re se exercuisse, scribunt correctores Gratiani, de quibus cum nulla ferè mentio facta invenitur, eorum collectiones sub silentio transgredior.

Præfatio Pannormiæ.

Trithem.

Baluzius.

Codex M. S.

Vincent. Bellouacensis.

CAPUT

CAPUT XIII.

De Decreto Gratiani.

233. *Quibus Canonibus & Decretis usi sunt Collectores Latini, post correctum Gatiani Decretum superfluum esset enumerare, cum ex illo id abundè constet.*

234. *Quandonam Gratianus Decretum suum ediderit, ex varijs testimonijs eruitur.*

235. *Statim ac editum fuit Gratiani Decretum, ubique applausum meruisse, & pro corpore decretorum habitum, probant Innocentius 3. Vincentius Hispanus & antiquiores editiones: cum tamen opus mendis scateret & vitiosis citationibus, post Democharem & Contium illud corrigendum suscepit Sedes Apostolica.*

236. *Eodem tempore quo Correctores Romani, florebât in Hispania Antonius Augustinus, qui libros duos Dialogorum de Gratiani correctione elucubravit, ex quo & adducuntur nomina correctorum à Sede Apostolica adhibitorum.*

237. *Correctionem hanc Romæ à viris eruditis magno studio elucubratam Bullâ specialiter editâ probavit Gregorius 13.*

238. *Superesse adhuc aliqua in Gratiani Decreto correctione indigentia, gravissimi auctores indicarunt, præcipuè vero circà supposititia antiquorum scripta, quæ sine delectu Gratianus adduxerat.*

233. Licet in referendis post Dionysium Exiguùm Græcorum collectionibus tam accurati fuimus ad producenda Decreta & canones, quibus usi sunt eorum Collectores, nulla tamen patrum, Pontificum, & Synodorum statuta recensuimus allegando Latinorum collectiones post Isidorum Mercatorem, quod jam Decretum Gratiani jussu Gregorij decimi tertij recognitum lucem publicam viderit & omnium manibus teratur, in quo Correctores Romani notarunt ad singulas paginas omnes passim collectiones Latinas, ex quibus sua tam multa desumpsit Gratianus, ibi enim videre licet, usum fuisse collectionibus Burchardi, Anselmi, Deusdedit, Ivonis Pannormiæ & Decreti, & Polycarpi, ut in singulis ferè paginis Gratiani annotatum est simul cum locis librorum & capitum, ut inde facillimè colligatur, illos collectores iisdem Decretalibus summorum Pontificum, Canonibus Conciliorum; dictis sanctorum Patrum, & statutis Imperatorum usos fuisse, qui omnes post Gratianum quasi oblivioni traditi

 fuere,

fuere, ut rectè Antonius Augustinus libro 1. dialogo 1. Gratianum referat feliciorem cæteris collectoribus fuisse: „ quos (inquit) in tenebris diu fuisse novimus, dum hic in omnium manibus versatur, „ multorum interpretum illustratur lucubrationibus, refertur denique „ in judiciis omnibus, atque à Theologis non minus quàm à juris „ utriusque peritis in pretio habetur. „

Antonius Augustin.

234. Refert Gratianus 2. quæst.6. post caput 31. formam appellationum, in qua ponitur annus juxtà antiquum exemplar: *Anno Dominica Incarnationis* 1105. Sed teste Antonio Augustino lib. 2, Dialogo 9. habebatur in Scholijs adnotatum. *Quod hic est falsa littera, quia non sunt tot anni, quod liber iste compositus fuit. Fuit enim editus docente Iacobo Bonon. in legib. & Alex. in Theologia, qui fuit posteà Papa Alex. 3. & fuit anno Domini* 1051. *ut ex Chronicis patet.* Et huic consonant Correctores Romani in admonitione ad Lectorem, qui referunt titulum antiquissimi Codicis Vaticani testari: *Decretum Gratiani Monachi S. Felicis Bononiensis, Ordinis S. Benedicti compilatum in dicto Monasterio anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo primo, tempore Eugenij Papæ* 3. Cui consonat Chronicon, quod inscribitur Pomærium Ecclesiæ Ravennatis, qui liber in Bibliothecâ Vaticanâ servatur: *Anno Christi millesimo centesimo quinquagesimo primo, Gratianus Monachus de Classa Civitate Tusiæ natus, Decretum composuit apud Bononiam in Monasterio S. Felicis.* Addunt Correctores Romani, idem sentire Hugutium vetustissimum hujus Codicis Interpretem, Vincentium, & S.Antoninum, quibus addo in primis Antonium Possevinum in Apparatu sacro: „ Gratianus juris Pontificij Doctor, & „ Decreti Pontificij, quod prænotatur: concordantia discordantium „ Canonum (ut vocant) compilator natione Etruscus, patriâ Clusi- „ nus, Monachus Monasterij S. Proculi, sive (ut alijs placet) SS. „ Felicis & Naboris Bononiæ, Ordinis S. Benedicti Congregationis „ Cluniacensis, opus suum anno 1151. in Monasterio S. Felicis Bo- „ noniæ composuit, quod tripartitum in distinctiones, causas, & de „ consecratione sunt interpretati Hugo & Ioannes Teutonicus. „ Hæc Possevinus, & cum ipso Cardinalis Bellarminus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis: „ Gratianus Patria Clusinus, professione Mona- „ chus sancti Benedicti claruit tempore Eugenij tertij Pontificis, & „ Conradi tertij Imperatoris ad annum Domini 1145. scripsit Decre- „ tum, sive Concordiam discordantium Canonum: opus valdè labo- „ riosum, in quo Canones plurimos collegit ex Scripturis, ex respon- „ sis Pontificum, ex Concilijs & ex Patribus. Et quamvis multi

Gratianus 2. quæst.6.

Titulus Codicis Vaticani.

Chronicô Ravennat.

Antonius Possevin.

Bellarmin.

alij

„ alij viri docti in hoc genere scriptionis laboraverint, ut Dionysius „ Exiguus, Isidorus, Cresconius, Burchardus, Ivo & si qui alij sunt: „ ipse tamen solus obtinuit, ut publicè in Gymnasijs prælegeretur, & „ multorum doctissimorum virorum commentarijs illustraretur. Addit hoc opus scripsisse anno 1151. & à mendis purgatum suæ integritati restitutum à viris quibusdam eruditissimis authoritate Gregorij 13. anno 1580.

235. Enimverò cum hic liber omnium collectionum abundantius Conciliorum Canones, Pontificum decreta, Patrum sententias, & Imperatorum leges in certam concordiam redigere visus esset, statim applausum meruit totius Occidentalis Ecclesiæ, ut universitates Catholicæ eum in suis scholis prælegendum statuerent, & Romani Pontifices eumdem pro Decretorum Corpore habuerint, uti lucet ex Innocentio 3. apud Odoricum Raynaldum ad annum 1202. §. 12. *Quod est ultimum septimæ causæ caput in corpore decretorum.* Consonat Vincentius Hispanus vetus Decretalium Interpres, ex quo hunc locum descripsit Antonius Augustinus in ipso fermè principio notarum ad primam antiquam collectionem Decretalium: *quia non omnia* (inquit Vincentius) *poterant comprehendi in decretorum corpore, ideò Magister B. Papiensis Præpositus hoc opus compilavit.* Ubi vides & Decretorum Corpus Gratiani decretum intitulari, quod cum primò ars impressoria inventa est editum fuit sub titulo Decreti Gratiani anno 1472. Moguntiæ, cujus inscriptionem refert Baluzius in Præfatione ad Antonium Augustinum, qui & addit editionem Venetam anni 1479. ubi divinus Decretorum Codex inscribitur accuratissimè iteratò emendatus per egregium ac clarissimum juris utriusque consultum: & editionem Parisiensem anni 1508. ubi Decretum aureum divi Gratiani inscribitur. Verum cum hoc opus Gratiani ubique re-excusum omnium manibus versaretur, & repertum esset, permulta auctorem errata exscripsisse ex antecedentium collectionibus, cœperunt præcedenti sæculo duo doctissimi Galli Antonius Demochares, & Antonius Contius de Gratiani correctione tractare, unde & Correctores Romani in admonitione præviâ ad Gratiani Decretum: *In longo ac perdifficili opere multa à parum æquis hominibus exagitabantur, nonnulla Pii etiam & verecundi interdum desiderabant. Quamobrem ne hujus utilissimi & gravissimi Codicis vacillaret authoritas, placuit primum Pio 4. ac subinde Pio 5. & Gregorio 13... ut illo corrigendo summa opera daretur, mendæ librariorum tollerentur: si quâ etiam in re Gratianus ut homo, minus vidisset, modestè notaretur, ipsaque omninò capita suis authoribus quàm diligentissimè restituerentur.*

Innocen. 3.

Vincentius

Correctot. Romani.

236. Flo-

236. Floruit hocce tempore, quo Romani Pontifices de Gratiani correctione agebant Antonius Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus vir suo sæculo celeberrimus, qui ante editam Gratiani collectionem à Romanis collectoribus emendatam, libros duos Dialogorum composuit de correctione Gratiani inscriptos, opus verè aureum & antiquitatis studioso pernecessarium, quod ipse post obtentam Romanorum correctionem additionibus eorumdem correctorum illustravit, quorum Dialogorum in oratione funebri de Antonio Augustino meminit Andreas Scottus tunc Tarraconæ existens, quem & proindè elucubrasse 1. anno post Antonij Augustini obitum, Christi scilicet 1586. primam editionem Tarraconensem, existimat in Præfatione Baluzius. Debemus verò Antonio Augustino tum præclara ubique in Gratianum ejusque errores annotata, tum etiam indicem selectorum virorum, qui sub Pio 4. & Pio 5. emendationi Gratiani insudarunt, quorum notas cum colligere liceat ex Decreto Gratiani, notantium nomina ex libri 1. Antonij Augustini Dialogo 20. exhibemus.

Catalogus Correctorum.

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium nomina.

„ M. Antonius Columna, Romanus.
„ Hugo Boncompagnus Bononiensis posteà Gregorius 13. dictus, P.M.
„ Alexander Sforria, Romanus.
„ Guilielmus Sirlettus, Calaber.
„ Franciscus Alciatus, Mediolanensis.

His additi sunt ab eodem Pio 5.

„ Guido Ferrerius, Vercellensis.
„ Antonius Caraffa, Neapolitanus.

Doctorum nomina.

„ Felix Montaltus Generalis Ordinis S. Francisci, posteà Cardinalis;
„ hodie P. M. Xystus 5. dictus.
„ Christophorus Patavinus Generalis Ordinis S. Augustini Eremi-
„ tarum.
„ Thomas Manricus Ordinis S. Dominici Magister Sacri Palatij.
„ Eustachius Lucatellus, Bononiensis, posteà Regij Lepidi Episcopus.
„ Josephus Pamphilus Veronensis Ordinis S. Augustini, posteà Sacri-
„ sta Palatij, & Episcopus Signinus in Campania.

Fran-

„ Franciscus Turrianus Hispanus, posteà Societatis Jesu.
„ Marianus Victorius Reatinus, posteà Episcopus Amerinensis.
„ Michael Thomasius Maioricensis, posteà Episcopus Ilerdensis.
„ Hieronymus Parisetus, Regiensis.
„ Antonius Cuccus, Mediolanensis.
„ Joannes Marsa, Hispanus.
„ Franciscus Leo Hispanus, posteà Societatis Jesu.

Additi sunt.

„ Melchior Cornelius, Lusitanus.
„ Latinus Latinius, Viterbiensis.
„ Arnaldus Pontacus, Gallus.
„ Petrus Ciacconius, Hispanus.
„ Franciscus Pegna, Hispanus; cujus sunt additiones Decretalium sinè
„ nomine, quia templum Dianæ incendisse visus est.

137. Prædicat inter alios sub Gregorio 13. Petrum Ciacconium ut hominem ad antiquos Scriptores instaurandos bono publico tanquam de cælo delapsum Andreas Scottus in funebri oratione de Antonio Augustino, & quantum non solus Ciacconius, sed & reliqui Doctissimi Correctores operam impenderint ad emendationem Gratiani, partim exhibet index librorum, qui varijs ex locis pro hac emendatione conquisiti afferuntur post admonitionem ad Lectorem, ubi videre licet, undeviginti exemplaria habuisse manuscripta hujus Decreti, aliosque libros manuscriptos ex Vaticanâ & alijs orbis Catholici Bibliothecis rarissimos: partim indicant eorum doctissimæ annotationes, quas adeò venerandas duxit Gregorius 13. ut Bullâ specialiter edita universos Christi fideles admonuerit: *Emendationem decretorum, locorumque à Gratiano collectorum (erat enim is liber mendis & testimoniorum depravationibus plenissimus) à nonnullis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris optimo consilio susceptam selectisque ad id negotium sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & alijs eruditissimis viris adhibitis commissam, multis autem, variisque impedimentis hactenus retardatam: nunc tandem vetustissimis Codicibus undique conquisitis, auctoribusque ipsis (quorum testimonijs usus erat Gratianus) perlectis, quæque perperam posita erant, suis locis restitutis, magnâ cum diligentiâ absolutam, atque perfectam, edi mandavimus. In quo magna ratio habita est operis ipsius dignitatis, & publicæ eorum præsertim, qui in hoc studio versantur, utilitatis. Jubemus igitur, ut quæ emendata & reposita sunt, omnia quam diligentissimè retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur, aut imminuatur.*

Gregor. 13.

nuatur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 2. Iunij 1582. Pontificatus nostri anno XI.

238. Ne verò post hanc correctionem Gratiani jussu Gregorij 13. editam aliquis autumet, nihil planè superesse in Gratiano correctione dignum, perlegendi sunt in primis Libri duo Dialogorum Antonij Augustini, qui post acceptam Romanam correctionem illos prælo dignos judicavit licet morte præventus alijs hanc curam reliquerit: ex iis enim verum esse videbitur, quod testatur Andreas Schottus in Orat. Funeb. Gratiani emendationem à viris eruditis editam quidem „ multas tamen ut Antonio spicas legendas his ipsis duobus li„ bris reliquisse videantur. „ Habet subinde multo plura Stephanus Baluzius in notis ad Gratianum Parisijs anno 1672. post re-excusum Antonium Augustinum editis, at utinam vir eruditus in plerisque fuisset moderatior. Quidquid sit, post correctum à Sede Apostolica decretum scripsit Antonius Possevinus libro 1. Apparatus sacri: „ De „ Gratiano autem id sciendum est, eum sæpè errasse tribuentem iis „ auctoribus opera, quorum non essent. „ Addit aliquot exempla & ante eum viri duo gravissimi Baronius & Bellarminus R.E. Cardinales, quorum ultimus ita habet libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in Gratiano. „ Gratianus id unum habet, quod reprehendi posse videtur, „ quod non habuit delectum auctorum, ex quibus Decreta collegit, „ annotabo hic aliqua loca per modum exempli: primo dist. 16. can. „ septuaginta, citatur epistola sancti Athanasij Episcopi Alexandrini „ de Canonibus Nicænis incendio consumptis ad Marcum Papam. „ Sed Card. Baronius tomo 3. annalium demonstrat, eo tempore A„ thanasium fuisse exulem in Gallijs, & incensionem illam Canonum „ Nicænorum contigisse diu post obitum Marci Papæ, & ipsum Mar„ cum defunctum jam fuisse quando scribitur respondisse ad epistolam „ Athanasij. „ Habet plura alia ex Card. Baronio Bellarminus de scriptis supposititijs, quæ Gratianus ut genuina producit, & ipsi Correctores non improbarunt, ut post tantorum virorum exemplum non illicitum sit etiam de illis tractare, quæ Gratianus testimonia attulit. Difficile esset, omnia, quæ supposititia sunt, & à Gratiano referuntur, in medium adducere, ne tamen in tanta eruditionis luce supposititia veris permixta sinamus, de quibusdam supposititijs aut controversis tàm scriptis quàm factis usque ad Nicæni Concilij tempora sequenti dissertatione agemus.

Andreas Schottus.

Antonius Possevin.

Bellarmin.

DISSER-

DISSERTATIO III.

De Scriptis & Factis Suppofititijs, aut in dubium revocatis,

Ab initio nafcentis fub Chrifto Ecclefiæ, ufque ad initium florefcentis fub Conftantino Imperatore.

CAPUT I.

De iis, quæ Chrifto & Apoftolis falsò adfcripta exiftimantur.

239. *Non nova res eft fub clariffimorum virorum nomine fcripta fuppofititia edere, illud circà ipfa Chrifti Evangelia initio Ecclefiæ luxere Patres antiquiffimi.*

240. *Gelafij Decretum de Apocryphis libris & fcriptis exponitur, illudque licet à pluribus Romanis Pontificibus profectum exiftimet Baluzius, faltem à Damafo proveniffe firmatur.*

241. *Librum de infantiâ Salvatoris rectè apocryphis à Gelafio accenferi probatur ex Ireneo, Anaftafio Sinaita, & Theophilacto, ut meritò Sixtus Senenfis eum inter Gnofticorum & Valentinorum figmenta reponat.*

242. *Epiftolas Abagari ad* Jesum, *&* Jesu *ad Abagarum apocryphis accenfet Gelafij decretum, eas tamen non confictas effe, fuadent tabularia civitatis Edeffenæ, authoritas Eufebij, aliorumque de iftis teftantium.*

243. *Etiam apocryphis accenfetur liber de Tranfitu B. Mariæ, in quo adeò fictitia memorantur, ut Hieronymus, five Comes Hieronymi Sophronius & D. Auguftinus illum reiiciant, & meritò Venerabilis Beda eius Hiftoria fub nomine S. Ioannis, aut Melitonis Sardicenfium Epifcopi conficta, fefe opponat. Hinc tamen non infirmatur teftimonium Dionyfij Areopagitæ de quorumdam Apoftolorum in obitu Deiparæ præfentiâ.*

244. *Varia Evangelia fub Apoftolorum nominibus confcripta, repetitur ex Gelafij Decreto, quod pluribus antiquorum teftimonijs firmatur.*

245. *Varios*

245. *Varios item Apostolorum actus confictos ab hæreticis, firmant Eusebius, & Innocentius I. & acta nominatim Andreæ Apostoli à varijs alijs improbata esse, latiùs ostenditur: inter ea tamen non recenseri Passionem B. Andreæ à Presbyteris Achaiæ conscriptam, tuentur Bellarminus & Possevinus.*

246. *Liber Pastoris à Gelasio apocryphis accensetur, quem catalogi & Pontificale ab Hermete Pii Papæ primi fratre conscriptum insinuant.*

247. *Libri tamen Pastoris; cuius meminere antiqui, & qui huc usque extat, auctorem esse Herman Pauli Apostoli Discipulum, probatur ex varijs antiquorum testimonijs: ex librorum diverso instituto, diversos libros sub titulo Pastoris olim conscriptos, paucis indicatur.*

248. *Quod verò Gelasius eum librum inter apocryphos recenset, id provenit exinde, quod quidam veteres illum Scripturis annumerabant, cum in Canone nunquam ab Ecclesiâ receptus fuerit.*

239. NOn sola posteriora Ecclesiæ sæcula coacta fuêre ad dolendum fraudulentiam Impostorum, ipsa nascentis primordia hanc sortem passa fuêre, & lugere compulsa: non nova res est, sub clarissimorum virorum nomine ementitia scripta componere, illud jam ab ipsis Christianæ fidei cunabulis audiri fecit inimicus homo, qui mortales docuit in medio tritici seminare zizania, ut successu temporis genuina veritas erroribus oppressa confusioni locum, & falsitati præberet dominium. Fuit hæc causa, quod omni tempore præclari viri extiterint, qui excrescentia lolia initio eradicare studerent, licet & speciosi Scriptorum tituli, & prima Christianorum simplicitas permultos quandoque deceperint. Enimverò cum fidelium animi sinceritate imbuti sibi persuadere non possent, eo usque temeritatem humanæ audaciæ attingere, ut Verbum Divinum, quod Spiritus sancti revelationi adscribitur, sibi vendicando adulterarent, decepti quandoque simpliciores fuêre adulteratis Impostorum scriptis. Hinc S. Evangelista Lucas suum Evangelium composuit ex Spiritus S. impulsu, ut eorum imposturas detegeret, qui conati sunt falsò ordinare narrationem rerum ut interpretatur Ambrosius librô 1. in Prœmium Evangelij secundùm Lucam. Hinc & Tertullianus de præscriptionibus cap. 17. detegit hæreticos, quod his nitantur, *quæ ex falsò composuerunt & quæ de ambiguitate cœperunt.* Hinc quoque Valentinum & asseclas hæreticos lib. 1. cap. 17. devincit S. Ireneus, quod *inenarrabilem multitudinem apocryphorum & perperam scripturarum, quas ipsi finxerunt, adferunt in stuporem insensatorum.* Hinc & Gnosticos

Tertullian.

Ireneus.

sticos confundit Epiphanius hæresi 26. *Quod alia item Evangelia Discipulorum nomine sunt ausi conscribere, & infinita penes illos sunt suppositia, atque impudenter conficta monimenta.* Consonant alibi Athanasius, Ambrosius, Augustinus, aliique Ecclesiæ Patres, qui triumphis in hæreticos præclari extiterunt usque ad tempus Gelasij Papæ, qui anno Domini 494. in Romano 70. Episcoporum Concilio libros apocryphos ab authenticis separare instituit, & magno Ecclesiæ bono tantum de scriptis apocryphis testimonium æternitati consecravit, hâc prænotatione præmissâ apocryphorum Catalogo: *Cætera, quæ ab hæreticis sive schismaticis conscripta vel prædicata sunt, nullatenùs recipit Catholica & Apostolica Romana Ecclesia, è quibus pauca, quæ ad memoriam venerunt, & à Catholicis vitanda sunt, credimus esse subdenda.*

Epiphan.

Gelasius cum 70. Episcoporũ Romanâ Synodo.

240. Non ignoramus à Gelasio plura inter apocrypha recenseri, quæ de facto Catholici non reiiciunt, sed & jam alibi cum viris eruditis annotavimus, & nunc iterùm notamus cum clarissimo viro Joanne Cotelerio, apocrypha à Gelasio non pro pseudepigraphis dumtaxat sumi, verum pro omnibus, quæ, quia notam aliquam mereri videntur sive suppositionis, sive erroris, sive impietatis, abscondi debent atque ignorari, nec in publicâ versari notitiâ, sicut Libri Canonici scripturarum & ii Ecclesiastici Patrum, qui inoffenso pede decurri queunt. Quare inter apocrypha recenset Clementis Alexandrini Opuscula, Tertulliani, Cypriani, Arnobij, Lactantij, aliorumque licet indubia. Unde & necesse est, cum Gelasius non distinguat inter Apocrypha & nevis solummodò conspersa, ipsius Gelasij Decretum exponamus, quod Gratianus retulit distinctione 16. cap. *Sancta Romana*, adeò tamen diversè, ut Correctores Romani ingenuè fateantur: *in toto hoc capite tot modis discrepare collectiones ab originali, ut satis certò statui non possit, quæ vera & pura sit Gelasij lectio.* Alij annotarunt in veteri Codice M.S. Ecclesiæ Urgellensis, in quo continetur sincera Isidori collectio, & in pervetusto Codice Monasterij Jurensis, Decretum illud tribui Hormisdæ Romano Pontifici, qui non multò post Gelasium floruit, sed & alium vetustissimum Codicem Collectionis Dionysianæ habere hoc Decretum sub nomine Damasi, qui diu ante Gelasij tempora floruit, fuisse conscriptum: Unde collegerat Baluzius in notis ad epistolam 128. Lupi Ferrariensis, „ Damasum fortassis primum omnium de hujuscemodi libris publicè statuisse, deinde verò „ Gelasium renovasse Decretum Damasi, illudque auxisse eorum au„ ctorum nominibus, qui post Damasum vixêre. „ Quod idem quoque

Correctores Romani.

Balusius.

de Hormisdâ dici posse existimat. Ex quibus haberemus, hoc de libris Canonicis & apocryphis Decretum non uni dumtaxat Pontifici sed tribus attribuendum, de quo quidquid sit, cum omnes concedant, illud Romano Concilio sub Gelasio Papâ primò etiam vindicandum esse, tantæ authoritatis judicium sufficere existimamus.

Gelasius.

241. Ac primò quidem *liber de Infantia Salvatoris apocryphus* censetur, de quo contra Gnosticos & Valentinianos scribit S. Ireneus libro 1. cap. 17. *Assumunt autem in hoc & illam falsationem, quasi Dominus, cum puer esset, & disceret litteras, cum dixisset magister eius, quemadmodum in consuetudine est, dic A, respondit A. rursum cum magister jussisset dicere eum B. respondisse Dominum, tu prior dic mihi quid est A, tunc ego dicam tibi quid est B.* Non considerabant impij hæretici, se suis fictionibus confundere Christi discipulatum in magisterium, ut quem Discipulum introduxerant, subitò magisterio functum perhiberent. Addit Christianus Lupus in Scholio ad caput 17. Tertulliani de Præscriptionibus, ignorantiam esse nostræ naturæ vitium, illudque non cadere in Christum, & ideò Christum, ut liber de Infantia Salvatoris fingit, non frequentasse scholas, nec alphabetum didicisse, hocque dum Iudæi admirando exclamant, his verbis indicasse, *quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit.* Habebat hic libellus & plura alia de miraculis Christi in pueritiâ peractis, quæ æquè falsa esse ostendit Anastasius Synaita, *observa* (inquiens) *falsa & supposititia esse, quæ vocantur puerilia Christi miracula, neque enim apertè, luce palam, miraculum edidit in terrâ, ut dicit Evangelium, ante miraculum illud in Canâ-Galileæ.* Et post ipsum Theophilactus in commentario super Joannem cap. 1. *Hoc loco discimus, quod miracula puerilia Christi sint conficta & mendacia composita ab his, qui deridere volebant mysterium. Nam si fuissent vera, quomodo ignotus fuisset Dominus, qui hæc faciebat? neutiquam enim verisimile fuerit, non fuisse celebrem, qui talia faciebat verum non ita est. Non enim antequam baptizaretur, signa fecit neque cognitus erat.* Unde patet, quam rectè Sixtus Senensis in Bibliotheca explodat eos, qui S. Matthæum hujus libri de Infantiâ Salvatoris auctorem constituunt, quem Gnosticorum & Valentinorum figmentum fuisse, ex Patribus habetur exploratum.

Ireneus.

Anastasius Synaita.

Theophilactus.

Gelasii Decretum.

242. Pergit in Decreto Gelasius: *Epistola* JESU *ad Abagarum Regem apocrypha. Epistola Abagari ad* JESUM *apocrypha.* Ultima epistola non exhibetur in Decreto Gratiani, sed in actis Conciliorum. Ut verò noscatur, quid hæ epistolæ contineant, notandum ex Eusebio Pamphilo libro 1. Historiæ, cap. 13. Abagarum fuisse Regem Edessenorum, qui

qui gentibus propè Euphratem incolentibus in Syriâ præesset, & gravi infirmitate laborabat, dum Christus prædicationem Evangelij cum miraculis incipiebat *Sanans* (teste Matthæo cap.4.) *omnem languorem & omnem infirmitatem in populo*, ita ut abierit *opinio eius in totam Syriam*. Tunc enim, ut annotat Eminentissimus Cardinalis Baronius tomo 1. ad annum Christi 31. factum multi non immeritò existimant, ut Edessæ Rex Abagarus Christum per litteras ad sese accerseret sanitatis recuperandæ causâ, & Christus eidem rescriberet. Extant duæ illæ epistolæ Abagari ad JESUM, & JESU ad Abagarum apud Eusebium loco suprà citato, qui cum vixerit initio sæculi quarti, & fuerit Cæsareæ in Palestinâ Episcopus, potuit res in illis partibus factas funditùs examinare, & veritatem plus cæteris inquirere, uti & fecisse constat circà has epistolas, quarum insigne & locuples testimonium ex tabulario ipsius Civitatis Edessæ extare conscripsit: „ *Nam* (inquit Eusebius ex versione Christophorsoni) *in tabulis publicis, quæ nedum veteres, sed recentes etiam res nuper ab Abagaro gestas continebant, hæc eadem ad hanc nostram ætatem reservata reperiuntur. Quare nihil commodius esse putavi, quam ipsas Epistolas à veteribus illis annalibus petitas, atque adeo ad verbum ex linguâ Syriacâ in Græcam conversas hoc loco citare.* Subdit primò epistolam Abagari, in quâ Rex ille se famâ miraculorum ad JESUM confugere scribit, illumque deprecatur humillimè, ut dignetur ad illas partes eum sanaturus accedere, cui respondit Christus, se perficere oportere, ad quæ missus est, at post assumptionem se ad eum aliquem ex Discipulis missurum. Post has litteras Syriacâ linguâ adnexum erat, inquit Eusebius: *postquam* JESUS *assumptus fuit, Judas, qui & Thomas dicebatur, Thaddeum Apostolum, unum ex septuaginta ad Abgarum misit.* Et per hunc Thaddeum Regem illum à languore curatum & Civitatem Edessenam ad Christi fidem conversam, ex actis ulteriùs describit Eusebius, hujusque historiam in authoritatem posteà recepit Procopius Rhetor libro 2. de Bello Persico, cujus testimonium adducit & probat Evagrius lib. 4. hist. cap. 26. *Idem porrò Procopius litteris mandavit, ea quæ sunt de Edessa & Abgaro à veteribus commemorata, & quemadmodum Christus ad Abgarum scripserit epistolam.* Addit & alia de transmissa Christi imagine, quæ ex eodem capite 26. Evagrij citata & recepta fuere à Synodo Generali septima actione 5. post quæ Nicephorus Calixtus ea posteritati consecravit; ut plerisque mirum videri posset, has epistolas à Gelasio & Romanâ Synodo inter apocrypha recenseri, nisi dicere velimus has epistolas successu temporis fuisse interpolatas,

Matth. 4.
Baronius.
Eusebius.
Tabularia Civitatis Edessæ Syriaca lingua.
Evagrius.

ut facilè colligitur ex Evagrio suprà, ubi ait Chosroem Persarum Regem civitatem Edessenam oppugnasse volendo falsitatis convincere ea, quæ circumferebantur, Edessam nunquam fore debellandam: *quæ res* (inquit Evagrius) *in epistolâ à Christo Deo nostro ad Abgarum scripta non ponitur.* Idque constare ait ex ipsa epistola per Eusebium allata: quo loquendi modo innuit Evagrius, apud aliquos interpolatas fuisse laudatas epistolas, de quibus forsan Gelasius Papa, quod apocryphæ sint, cum non solùm inter apocrypha ponat merè fictitia, sed etiam nevis conspersa, & ab hæreticis corrupta, sicut non Hagiographa. unde & Antonius Possevinus tomo 1. Apparatus sacri in Abagaro: „" Etsi Gelasius Papa dist. 15. recenset inter apocrypha, quasi non „ Hagiographa, non tamen Ecclesia, ut inquit Cæsar Baronius, omni„ nò proscribit, sicut nec complures alios libros, quos proximè recen„ suit: eas verò absque ulla dubitatione ab antiquioribus fuisse re„ ceptas comprobat de epistola Darij Comitis ad Augustinum, S. „ Ephremo, Theodoro Studita & alijs. „ Ita Possevinus ex tomo 1. Annalium Baronij.

Evagrius.

Antonius Possevin.

143. *Liber, qui appellatur Transitus Sanctæ Mariæ apocryphus.* Ita Gelasius Papa cum Romano 70. Episcoporum Concilio, cui consonat Sixtus Senensis libro 2. Bibliothecæ sanctæ referens Jacobum Genuensem Archiepiscopum incidisse in volumen quoddam apocryphum ejusdem argumenti & tituli divo Ioanni Evangelistæ adscriptum, in quo scriptum erat: „ Mariam Virginem anno 24. ab ascensione Filij sui ex hac „ vita migrasse, & omnes Apostolos momento temporis per aëra „ raptos morienti affuisse, atque ejus cadaver publico funere & so„ lemnibus exequijs elatum, lapideo monumento condidisse; eam„ que post diem tertium revixisse, & integro corpore, deducentibus „ angelis in cælum evolasse; Thomam verò cum abfuisset, & rediens „ credere recusaret, Zonam, quâ corpus Virginis præcinctum erat, „ è sublimi demissam accepisse resurrectionis & corporeæ in cœlum „ assumptionis argumentum. „ Hujus ejusdem libelli sub nomine S. Ioannis meminit Joannes de Voragine Ordinis Predicatorum in Historia Lombardicâ, in qua additur, palmam quandam ex Paradiso per Angelum allatam, antequam Virgo sacratissima moreretur, eamque palmam in manibus à Joanne gestatam pro exequijs Virginis, aliaque plura, quæ adeò abhorrent à vero, ut meritò hunc librum sub nomine S. Ioannis Evangelistæ, apocryphum deciderit S. Gelasius Papa, & confirmet magnus Hieronymus, sive Hieronymi Comes Sophronius

Iacobus Archiepiscopus Genuæ in libro annuarum festivitatum.

Ioan. de Voragine.

phronius sermone de Assumptione Virginis: *Si venerit in manus vestras illud apocryphum de transitu Mariæ Virginis, dubia pro certis non recipiatis.* Et S. Augustinus sermone 33. de Sanctis: *Virgo Maria, quo ordine hinc ad supremæ transierit, nulla Catholica narrat historia, non solùm autem respuere apocrypha, verum etiam ignorare dicitur hæc Ecclesia. Siquidem sunt nonnulla sine authoris nomine de eius Assumptione conscripta; quæ ut dixi ita caventur, ut ad confirmandam rei veritatem minimè legi permittantur.* Quæ tempore nostro, sub nomine Ioannis venditantur, sine nomine auctoris extabant temporibus D. Augustini, & S. Gelasij, qui hæc de transitu sanctæ Mariæ nulli attribuunt: Beda tamen, ex quonam habuerit, ignoro, illa B. Melitoni attributa significat in Retractationibus Apostolicorum actuum ad illa verba: *Omnes dispersi erant per regiones Iudeæ, & Samariæ, præter Apostolos. Si dispersâ Ecclesiâ* (commentatur ibidem venerabilis Beda) *Apostoli remanserunt in Ierusalem, ut Lucas ait; constat quia mendacium scripsit ille, qui ex personâ Melitonis Episcopi Asiæ Librum componens de obitu B. Genitricis Dei dicit, quod secundo post Ascensionem Domini anno Apostoli fuerunt omnes toto orbe ad prædicandum in suam quisque Provinciam divisi.* Refellit pluribus de Apostolorum congressu à laudato Libro memorata, ac finit: *Hæc ideo commemorare curavi, quia nonnullos novi præfato volumini contrà auctoritatem B. Lucæ incantâ temeritate assensum præbere.* Huc usque venerabilis Beda, qui dum librum refellit apocryphum falsò sub S. Ioannis, aut Melitonis Sardicensium Episcopi (ut habet quoque Trithemius in catalogo) nominibus inscriptum, per hæc non intendit reprobare testimonium Dionysij Areopagitæ, cujus opera tempore Bedæ receperat Orientis & Occidentis Ecclesia. Quæ enim refellit Beda de transitu B. Mariæ 2. post Passionem anno, & Ioannis aliorumque Apostolorum toto orbe dispersorum miraculoso adventu, non attingit testimonium Dionysij, multò minus fabulosa illa de exequijs B. Virginis & Palmâ per Angelum ex Paradiso allatâ, quæ omnia immeritò admittere videtur Petrus de Halloix in notis ad vitam Dionysij. Testimonium enim Dionysij exhibetur libro de Divinis Nominibus capite 6. *Nam etiam apud ipsos à Deo afflatos sacrorum Antistites, quando nos quoque, ut nosti, & multi ex sanctis nostris Fratribus ad contuendum corpus, quod vitæ principium dedit, & Deum suscepit, convenissemus (aderat autem & Domini frater Iacobus, & Petrus suprema & antiquissima Theologorum summitas) & viso sacro corpore placuit omnibus, prout quisque poterat, Hymnis celebrare infinitam Bonitatem divinarum virium.* Et hæc quidem de corpore sacratissimæ Virginis intelligenda esse, ad

Hieronym.

Augustin.

Beda.

Dionysius Areopagita.

quod tumulandum convenerant Apostoli, docent apud Halloix suprà Iuvenalis Patriarcha Ierosolymitanus, qui coram Marciano Imperatore & Pulcheriâ conjuge hac de re testatus est sæculo quinto, Andreas Cretensis Patriarcha quoque Ierosolymitanus, S. Maximus Martyr & Dionysij Scholiastes præcipuus, S. Ioannes Damascenus in oratione de Dormitione Deiparæ, S. Gregorius Turonensis lib. 1. de Gloria Martyrum, Michaël Syncellus Presbyter Ierosolymitanus, Simeon Metaphrastes, Nicephorus Calixtus, Georgius Pachymeras, Michaël Glycas, aliique Græci cum Græcorum Menæo, quod nostris martyrologijs correspondet, & sic habet ad 3. Octobris de Dionysio: *Sanctorum Apostolorum meritus esse conspector & collaborator, etiam Gloriæ consors factus es, & cum illis simul ad conspectum corporis illius, quod reverà vitæ principium fuit, festinasti, unicæ, inquam, & augustissimæ Deiparæ, quam meritò magnam nominamus.* Et hæc quidem occasione libri de transitu beatissimæ Virginis, quam assumptam in cælum cum sacratissimo corpore temporibus Augustini dubitatum fuit, nunc verò propensior existit in hoc Ecclesiá, ut una cum corpore ascendisse putetur. Videri possunt Baronius tomo 1. Annalium aliique, qui hanc rem latiùs pertractant.

Menæum Græcorum

244. *Evangelium nomine Thaddei apocryphum. Evangelium nomine Thomæ Apostoli, quo utuntur Manichei, apocryphum. Evangelium nomine Mathiæ apocryphum. Evangelium nomine Petri Apostoli apocryphum. Evangelium nomine Iacobi Minoris apocryphum. Evangelium nomine Barnabæ apocryphum. Evangelium nomine Bartholomæi apocryphum. Evangelium nomine Andreæ Apostoli apocryphum. Evangelia, quæ falsavit Lucianus, apocrypha.* Hæc Gelasius de apocryphis sub nomine Apostolorum Evangelijs, aut per hæreticos adulteratis, quorum meminit S. Ambrosius libro 1. in Lucam ad illa verba: *Quoniam multi quidem conati sunt ordinare narrationem rerum, quæ in nobis completæ sunt*, ait multos falsarios non modo in veteri Lege sed etiam extitisse in nova, *sic & nunc in novo Testamento multi Evangelia scribere conati sunt, quæ boni nummularij non probarunt. Unum autem tantummodò in quatuor libros digestum ex omnibus arbitrati sunt eligendum. Et aliud quidem fertur Evangelium, quod duodecim Apostoli scripsisse dicuntur. Ausus etiam est Basilides Evangelium scribere, quod dicitur secundùm Basilidem. Fertur etiam aliud Evangelium, quod scribitur secundùm Thomam, novi aliud scriptum secundum Matthiam.* Idem deplorat S. Hieronymus in Præfatione sui super Matthæum commentarij: *Plures fuisse, qui Evangelia scripserint, & sanctus Evangelista Lucas testatur, & perseverantia usque in præsens*

Lucas cap. 1.

Ambrosius

Hieronym.

sens tempus monimenta declarant, quæ à diversis authoribus edita, diversarum hæreseon fuere principia. Vt est illud juxtà Ægyptios, & Thomam, & Mathiam, Bartholomeum, duodecimque Apostolorum, & Basilidis, atque Apellis, ac reliquorum, quos enumerare longissimum est. Cum tantum in præsentiarum hæc necesse sit dicere, extitisse quosdam, qui sine spiritu & gratia Dei conati sunt magis ordinare narrationem, quàm historiæ texere veritatem. Valentinos id olim ausos fuisse scribit S. Ireneus libro 3. cap. xi. *Plura* (inquit) *habere gloriantur, quam sint ipsa Evangelia. Si quidem in tantum processerunt audaciæ, uti quod ab his non olim conscriptum est, veritatis Evangelium titulent, in nihilo conveniens Apostolorum Evangeliis, ut nec Evangelium quidem sit apud eos sine blasphemia.* Idem de Gnosticis scribit Epiphanius hæresi 26. & alia *item Evangelia Discipulorum nomine sunt ausi conscribere.* Ex quibus omnibus lucet, quàm miserè primitiva Ecclesia hæreticorum commentis fuerit oppugnata, sed quàm irrito conatu edicit S. Ireneus suprà ostendens ex stabili Dei ordinatione quatuor dumtaxat Evangelia esse, quæ teste Ambrosio, Ecclesia admisit, & contra omnia hæreticorum figmenta defendit.

Ireneus. Epiphan.

245. *Actus nomine Andreæ Apostoli apoc. Actus nomine Thomæ Apostoli apoc. Actus nomine Petri Apostoli, apoc. Actus nomine Philippi apoc.* Hæc Gelasius Papa nec immeritò, etenim ante Gelasium scribit S. Epiphanius hæresi 67. de Encratitis: *Encratitæ inter primarias Scripturas habent Andreæ ac Ioannis acta, nec non Thomæ, & alios apocryphos libros.* Et ante eum Eusebius Cæsareensis in Palestina Episcopus lib. 3. Historiæ cap. 25. vel juxtà versionem Christophorsoni cap. 19. ubi ait: *Evangelia Petri, Thomæ, Mathiæ, aliorumve nomine falsò inscripta: sive acta, quæ Andreæ, Ioannis, & aliorum Apostolorum nomine veteratorio donata sunt: quas quidem scripturas nemo ex Scriptoribus Ecclesiasticis, qui continuata temporum successione ab Apostolis huc usque vixerunt, usquam in suis scriptis in memoriam redigere dignatus est. Quin etiam dictionis & loquendi forma, longè à stylo & dicendi consuetudine Apostolorum discrepat.* Hæc Eusebius, qui cum Epiphanio enumerat inter apocrypha acta S. Andreæ Apostoli, de quibus & pergit Eusebius: *Callida solum hæreticorum esse commenta. Vnde ne in eo quidem scripturarum genere, quæ falsò inscripta minimèque Germana dicuntur, habenda sunt: sed tanquam absurda omninò & impia penitus explodenda.* Et Innocentius I. interrogatus ab Exuperio Tolosano Episcopo de Libris in Canone receptis, cum numero 8. recitasset cunctos sacræ Scripturæ Libros, subdit: *Cætera autem quæ vel sub nomine Mathiæ, sive Iacobi minoris, vel sub nomine Petri & Ioannis, quæ à quodam Leucio scripta sunt, vel sub nomine*

S. Epiphan. Eusebius. Eusebius. Innocen. I.

mine Andreæ, quæ à Xenocharide & Leonida Philosophis, vel sub nomine Thomæ, & si quæ sunt alia non solùm repudianda, verum etiam noveris esse damnanda. Ex quibus Sixtus Senensis libro 2. Bibliothecæ, & Antonius Possevinus tomo 1. Apparatus sacri scribunt. *Andreæ Apostoli acta Nexocharidas & Leonidas Philosophi sunt ementiti.* Adduntque à D. Augustino libro de fide contrà Manicheum fuisse Manicheorum figmentis adscripta; neque immeritò hoc dici, ostendit Augustinus asserens, esse Leucij Manichei sub nomine Apostolorum conscripta: accedit & Philastrius in Catalogo hæreseon cap. 48. *Habent Manichei Apocrypha B. Andreæ Apostoli, id est actus, quos fecit veniens de Ponto in Græciam, quos conscripserunt tunc Discipuli, sequentes Apostolum.* Et tomo 2. Francisci Combefis Timotheus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyter in hæreticorum Catalogo post Thomæ Evangelium recenset: *Acta Andreæ Apostoli* tanquam Manicheorum apocrypha. Et hinc demum Photius detestatur Codice 179. Bibliothecæ, in Agapio: *Quod actis illis, quæ duodecim Apostolorum vocantur, & Andreæ maximè, non solùm assentitur, sed etiam inde superbiâ extollitur.* Et hæc quidem de actis sub nomine Andreæ Apostoli, aliud est de Passione ejus à Presbyteris Achaiæ conscripta, quam legitimam existimant Cardinalis Bellarminus libro de Scriptoribus, & Antonius Possevinus tomo 1. Apparatus sacri, ubi scribit: „ Liber autem Passionis S. Andreæ Apostoli scriptus ab ejus „ Discipulis, qui passioni interfuerunt, omninò est legitimus, tum „ quod nulli, quòd sciam, hactenùs in quæstionem eum vocarunt &c. „ Hæc Possevinus, reliqua habens ex Bellarmino libro 2. de Eucharistia. Et licet Bellarminus libro de Scriptoribus habeat, se audisse à quodam magno viro hanc Passionem in dubium vocari, „ certè (inquit) non „ videtur negari posse, quin vera & antiqua & utilis historia sit: Pe„ trus Damiani, qui ante sexcentos annos floruit in sermone 2. de S. „ Andrea, de hac historia sic loquitur: *Non immeritò in singularem au„ ctoritatis arcem suscepta est, quam qui viderunt, scripserunt orbi, & ministri „ fuere sermonis.* S. etiam Bernardus in sermone de S. Andrea in Vi„ gilia ejus, & miris Laudibus effert verba S. Andreæ ad Crucem, „ quæ in hoc libro ad verbum inveniuntur. „ eadem verba *salve sancta Crux* tanquam celeberrima in tota Ecclesia urget Possevinus addens, hanc Historiam Passionis susceptam à Joanne à Lovanio in sua censura de Passionibus Sanctorum, quæ extat in martyrologio Molani, ab Aloysio Lippomano, qui ex probatis auctoribus vitas Sanctorum collegit, quin & in Breviario Romano nuper Sedis Apostolicæ auctoritate recognito.

Sixtus Sen. Augustin. Philastrius. Timothe. Photius. Possevinus Bellarmin. Ecclesia in Officio.

246. Pergit

246. Pergit D. Gelasius cum 70. Episcoporum Concilio: *Liber qui appellatur Pastoris apocryphus.* Hujus libri authorem fuisse Hermetem constans est apud omnes sententia, at quandonam hic Hermes vixerit, variare videntur Antiquitatis testimonia. Pius primus, qui sæculo secundo floruit circà annum 150. in epistolâ ipsi tributâ ad omnes Christi fideles: *Istis ergo temporibus Hermas Doctor fidei & scripturarum effulsit inter eos: & nos licet idem Pascha prædictâ die Dominicâ celebremus, quia tamen quidam inde dubitarunt, ad corroborandas eorum animas eidem Hermæ Angelus Domini in habitu Pastoris apparuit, & præcepit ei, ut Pascha die Dominico celebretur, unde & vos apostolicâ auctoritate instruimus, omnes eadem servare debere.* Consonat Catalogus in Chronotaxi publicatus, quem Henschenius Antero Papæ adscribit, hic enim in Pio Papa: *Sub hujus Episcopatu frater ejus Hermes librum scripsit, in quo mandatur, contineturque, quod ei præcepit Angelus, cum venit ad eum in habitu Pastoris.* Eadem habet secundus Catalogus ut prætenditur circa tempora Justiniani Imperatoris exaratus, *Sub hujus* (Pii scilicet) *Episcopatu frater ipsius Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod præcepit Angelus Domini, cum venit ad eum in habitu Pastoris, & præcepit ei, ut sanctum Pascha die Dominica celebraretur.* Eadem planè repetuntur de verbo ad verbum in Pontificali sub nomine Damasi, quod Anastasius Bibliothecarius prosecutus est, & ex Pontificali ea attulit Ivo Carnotensis apud Antonium Augustinum.

Pius I. in epist. ad fideles.

Antiquus Catalog.

Secundus Catalogus.

Pontificale Damasi.

247. Existimat tamen Sixtus Senensis in libro 2. Bibliothecæ: „ Hermas Pauli Apostoli Discipulus (cujus ipse ad Romanos scri„ bens meminit dicens: *Salutate Plegontem, Herman, Patrobam, Hermen,* „ *& qui cum eo fratres sunt*) opus Græco sermone edidit tribus libris di„ stinctum. Quorum primus Ecclesia inscribitur, quia in eo quatuor „ visiones Ecclesiæ narrantur. Secundus Pastor prænotatur, quod „ in ipso Angelus Pastor, Protector, & Custos ipsius Hermæ, qui & „ Angelus Pœnitentiæ nuncius dicitur, duodecim præcepta vitæ be„ nè agendæ proponit. Tertius, quia decem similitudines ab eodem „ Pastore explicatas continet, similitudinum appellatur: consuetudo „ tamen posteà obtinuit, ut totum opus Pastoris sive Pastoralis titu„ lo vocaretur. „ Hæc Sixtus Senensis, & consonat Antonius Possevinus enumerans trium librorum argumenta, in quibus nullum vestigium apparet de quæstione Paschatis. Unde eminentissimus Cardinalis Bellarminus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis existimat, librum Hermetis, cujus meminit Pontificale, esse alterius auctoris & instituti, sicque sedatur contentio, quæ oriri potest de auctore Pastoris,

Sixtus Senensis.

Paulus ad Rom.

quonam tempore vixerit? posterioris enim auctoris tempus fuit ævum Pii Papæ primi, & prioris ævum Apostoli Pauli, juxtà illud Origenis libro 10. in epistolam ad Romanos: *Puto quod Hermas ille sit scriptor libelli illius, qui Pastor appellatur, quæ scriptura valdè mihi utilis videtur, & ut puto divinitùs inspirata.* Idem habet Eusebius lib. 3. Historiæ, cap. 3. scribens Hermetis ab Apostolo ad Rom. mentionem fieri, *cuius opus esse ferunt, qui Pastoris libellus inscribitur.* Et D. Hieronymus libro de Scriptoribus: *Hermam cuius Apostolus Paulus ad Romanos scribens meminit:* SALUTATE ASYNCRITUM, PHLEGONTEM, HERMAM, PATROBAN, HERMEN, ET QUI CUM EIS FRATRES SUNT, *asserunt authorem esse libri, qui appellatur Pastor, & apud quasdam Græciæ Ecclesias publicè legitur. Revera utilis liber, multique de eo Scriptorum veterum usurpaverunt testimonia. Sed apud Latinos penè ignotus est.* Multa habet Hieronymus notatu digna, ac primò quidem libri hujus auctorem ferè ignotum esse Latinis, unde colligit eum alium fuisse ab Hermete Pii Pontificis fratre, qui cum Latinus fuerit, & Romæ proculdubiò vixerit, Latinis ignotus esse non potuit. Addit proindè Hermetem, cujus Paulus meminit, scripsisse librum, qui apud plerasque Græcorum Ecclesias publicè legebatur, & à plerisque Patribus sumpta ex illo in authoritatem testimonia, respiciens ad Clementem Alexandrinum libro 6. Stromatum, Ireneum lib. 4. cap. 37. Tertullianum libro de Oratione, Origenem lib. 10. in epist. ad Romanos, Athanasium libro de Incarnatione Verbi, Eusebium lib. 3. cap. 3. qui omnes cum Cassiano, Theodoreto, Nicephoro, aliisque pluribus sentiunt, hoc opus esse utillimum & in authoritatem recipiendum.

Origenes.

Eusebius.

Hieronym.

248. Quod autem Gelasius hunc Librum inter apocryphos recensuit, provenit ex eo, quod cum Origene & Ireneo aliqui eum in Canonem Librorum Sacrorum receperint, cùm tamen in sacræ Scripturæ Libris non computetur, & ut scribit Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei, cap. 20. à nullâ Synodo receptus sit in Canonem: unde & Eusebius lib. 3. cap. 3. licet hunc Librum in Ecclesijs palàm pervulgatum, & pernecessarium cum pluribus agnoscat, addit tamen in quæstionem à nonnullis vocari, *ac propterea Scripturis omnium assensu approbatis nullomodò annumerandus ducitur.* Idem sentiunt S. Hieronymus in Prologo Galeato, Athanasius libro de Decretis Nicænæ Synodi, Theodoretus, aliique hunc Librum inter apocryphos recensentes, quod in Canone Sacrorum Librorum receptus non fuerit, ut rectè scripserint Bellarminus libro de Scriptoribus ex Tertulliano de Pudicitia, Baronius ad annum 159.

Eusebius.

&

& Binnius in Notis ad Pontificale ex S. Prospero adversùs Collatorem cap. 30. Antonius Possevinus tom. 1. Apparatus Sacri ex Nicephoro Calixto lib. 2. cap. 46. Antonius Augustinus lib. 1. Dialo. 6. ex Gelasio Papa, aliisque, hunc Hermetis Librum esse apocryphum, quibus consonat Stephanus Baluzius in Notis ad Antonium Augustinum: „ certum est hunc Librum esse apocryphum, quod extrà Canonem ab „ omnibus Ecclesiis collocetur, antiquum tamen esse & magnæ apud „ Veteres authoritatis, ostendit nuper Joannes Baptista Cotelerius So„ cietatis Sorbonicæ Theologus in Notis ad hunc Librum „ qui & proinde videndus est.

Baluzius.

CAPUT II.

De Pontificatu & Scriptis Clementis primi.

249. *Circà Pontificatum Clementis variantium Patrum adducuntur sententiæ, quarum una eum ponit ordine tertium post Linum, alia ordine quartum vel post Cletum, vel post Anacletum.*

250. *Fontem erroris esse Clementis ad Iacobum Epistolam, quæ tradit Clementem à S. Petro ordinatum Episcopum, clarè insinuat Præfationis Auctor, qui latet sub nomine Ruffini, hic enim ostendit exinde dubitatum fuisse de Pontificatu Lini & Cleti.*

251. *At mirum videtur, præstantissimos viros ex Supposititia Clementis ad Iacobum Epistola tam variè errasse. Clementem à Petro ordinatum dubitat Epiphanius, negat verò Eusebius, & ex Antiquorum sententia subscribit Petavius.*

252. *A Petro plures simul ordinatos Episcopos excogitatum non fuit sine obloquio fidelium, & Auctor Præfationis sub nomine Ruffini dum rem hanc exemplis stabilire nititur Supposititia profert, & tamen ex isto fonte irrepsit illa de ordinatis per Petrum pluribus simul Episcopis in Pontificali Libro, aliisque.*

253. *Perplexam de plurium simul Episcoporum sententiam, plurimi salvare nituntur ex cessione Clementis, quam non initio post mortem Petri, sed anno 77. post novem annorum Pontificatum malè à Vendilino excogitatam pluribus ostenditur.*

254. *Alius circà Clementis Pontificatum fons erroris oritur ex confusione Cleti & Anacleti, quos duos Pontifices fuisse, nunc constat.*

255. *Clementem porrò non tertium, sed quartum fuisse communiter recipitur etiam ab iis, qui circà alia errant.*

256. *Opera Clementis recenset D. Hieronymus, & præsertim epistolam 1. ad Corinthios, quam plures Patres laudarunt, Sixtus Senensis verò & Bellarminus non amplius extare credebant.*

257. *Profertur tamen illa epistola nunc temporis ex antiquissimo Codice operâ Patricij Iunij edita, & refelluntur obiectiones Photij contra Antipodes & historiam Phœnicis hac in epistola prolatam.*

258. *Secunda Clementis ad Corinthios epistola genuina non est, ut pluribus probatur signanter ex Eusebio, Hieronymo, & Photio.*

259. *Proferuntur alia opera falsò Clementi afficta, signanter Itinerarium Petri ab omnibus improbatum.*

260. *Libros etiam recognitionem de Clemente circumferri, testis est Photius, qui insinuat duplex opus recognitionum sub nomine Clementis extitisse, ac prius quidem ab hæreticis contaminatum refert Ruffinus, posterius autem idem cum itinerario & recognitionum titulo subdolè ornatum probat Sixtus Senensis, ut & meritò reprobari potuerit.*

249. ANtiqua est de primo Clemente disputatio, variantibus circa ejus Pontificatum auctoribus, quorum aliqui eum tertium ponunt cum antiquiore Catalogo, alij quartum à S. Petro statuêre cum Hieronymo. S. Optatus Milevitanus in Africa Episcopus libro 2. Successionem Romanorum Pontificum exhibens, primo statuit Petrum *cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus &c.* Idem planè habet S. Augustinus epistola 165. *Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus.* Aliter S. Ireneus libro 3. cap. 3. ubi ponit hunc Romanorum Pontificum ordinem. Petrus, Linus, Anacletus, Clemens, Evaristus, Alexander, Sixtus, Telesphorus, Hyginus. Et in primo sui operis libro scribit Hyginum fuisse nonum Pontificem, quod idem habet S. Cyprianus in litteris ad Pompeium Sabatrensem Episcopum, ubi ait, Marcionem Romam venisse *sub Hygino Episcopo, qui in urbe nonus fuit.* Et post Cyprianum Eusebius lib.3. Historiæ, cap.2. scribens post Petrum primò Romanæ Ecclesiæ Episcopatum obtinuisse Linum, & tertium Episcopum fuisse Clementem, quod nimirum Anacletum ponat secundum ut lucet ex cap.3. ubi scribit: *Cum Anacletus Romanam Ecclesiam annos 12. Episcopus administrasset, eum secutus est Clemens.* Consonat in Chronico. Ad hoc quoque respicit Photius cum scribit in Bibliotheca Cod. 113. in Clemente: *Hunc Clementem alterum à Petro urbis Romæ Episcopum fuisse, quidam autumant, alij verò quartum: Linum enim & Anacletum inter utrumque Pontifices intercessisse, ac tertium*

S. Optatus.
S.August.
Ireneus.
Cyprianus
Eusebius.
Photius.

tertio demum Traiani anno vitam finiisse. Addi posset sententia Epiphanij & S. Hieronymi, qui Cletum ponunt post Linum, neque ullius Anacleti meminerunt, quorum sententiæ, cum adeò variare conspiciantur, paucis discutiendæ sunt, & suus Clementi locus vindicandus, antequam eius scripta pertractemus.

250. Duplicem itaque hac in re errorum fontem existimo, quorum primus ortum habuit ex quorumdam sententiâ, quæ putabat Clementem à sancto Petro ordinatum Episcopum. Tradit hoc epistolâ primâ ipse Clemens ad Jacobum fratrem Domini, ubi enarrat se à S. Petro morte vicino invitum fuisse ordinatum Romanæ Ecclesiæ Episcopum: *in ipsis autem diebus, quibus vitæ finem sibi imminere præsensit, in Conventu fratrum positus, apprehensâ manu meâ repentè consurgens, in auribus totius Ecclesiæ hæc protulit verba: audite me fratres & conservi mei: quoniam ut edoctus sum ab eo, qui misit me Domino & magistro meo* JESU CHRISTO *dies mortis meæ instat, Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui soli meæ prædicationis & doctrinæ Cathedram trado.* Hæc laudata Clementis, ut putatur, epistola, cui consonat antiquus Septimius Tertullianus libro de Præscriptionibus hæreticorum, cap.32. *Romanorum Clementem à Petro ordinatum.* Et hoc ipsum in Scholijs ad Tertulliani locum propugnat novissimè Christianus Lupus. Ex hoc enim quod Clemens à B. Petro dicebatur ordinatus Episcopus, cum constabat alios inter Petrum & Clementem fuisse Pontifices, ortæ sunt etiam Antiquorum sententiæ de Pontificatu Lini & Cleti, sicque Ruffinus in præfatione ad libros recognitionum: *quidam requirunt, quomodo cum Linus & Cletus in urbe Româ ante Clementem fuerint Episcopi, ipse Clemens ad Iacobum scribens, sibi dicat à Petro docendi Cathedram traditam? cuius rei hanc accepimus rationem, quod Linus & Cletus fuerint quidem ante Clementem Episcopi in urbe Româ, sed superstite Petro, ut illi Episcopatus curam gererent, ipse verò Apostolatus impleret officium. Sicut invenitur etiam apud Cæsaream fecisse, ubi cum ipse esset præsens, Zachæum tamen à se ordinatum habebat Episcopum. Et hoc modo utrumque verum videbitur, ut & illi ante Clementem numerentur Episcopi, & Clemens tamen post obitum Petri susceperit docendi sedem.* Varia habemus ex hoc Ruffini loco ac præcipuè epistolam sub nomine Clementis ad Jacobum non esse novam, sed ipsis primis Ecclesiæ sæculis extitisse, & ex eâ oriri illam de ordinato per Petrum Clemente sententiam, quæ aliam difficultatem peperit de Episcopatu Lini & Cleti, quam cum Ruffino eodem ferè modo solvit S. Epiphanius, qui hæresi 27. cap.6. scribit, primò à Petro ordinatum Clementem, ipsoque recedente aut

Clemens epist. 1. ad Iacobum.

Tertullianus.

Ruffinus.

fugiente, Linum primò, posteà Cletum tempore viventis Petri ordinatos, ac post illorum mortem iterùm Clementem compulsum fuisse assumere Pontificatum. Sicque auctor Pontificalis in vita Clementis scribit: *Hic ex præcepto B. Petri, suscepit Ecclesiæ Pontificatum gubernandum..... Ideò Linus & Cletus ante eum conscribuntur, quia ab ipso principe Apostolorum ad ministerium Sacerdotale exhibendum sunt Episcopi ordinati.* Quod idem planè tradit Onuphrius Panuinus in Chronico, & in notis ad Platinam. Et hinc jam evasit communis opinio, Clementem quidem ex præcepto Petri suscepisse Pontificatum, at cèssisse Lino & Cleto quamdiu viverent. Ita Chronicon M. S. Guilielmi de Nangis Monachi S. Dionysij, quod Patricius Junius laudat ex Bibliothecâ Angliæ Regis, addens Chronicon Alberti Stadensis, in quo disertis verbis habetur, Clementem à Petro esse electum, qui tamen coëgit Linum & Cletum ante se Pontificari, ut sit Primus post Petrum, tertius verò per gradum. Consentit Cardinalis Bellarminus libro 2. de Pontifice capite 5. id fusè firmare conatus. Idem Severinus Binnius tomo 1. Conciliorum in notis ad Pontificale, aliique complures.

Pontificale

251. Attamen mirari lubet præstantissimos Viros in eàm sententiam ire ex fundamento erroneo & dubitato. Enimverò totius erroris fons & origo est epistola sub nomine Clementis ad Iacobum fratrem Domini transmissa, quæ eousque supposita fuit, ut Joanni Patriarchæ Antiocheno Libro de Potestate Generalis Concilij suprà Papam ex illâ probanti, Pontificem posse deponi, Ioannes de Turrecremata reposuerit in secundo Ecclesiasticæ summæ Volumine cap. 110. epistolam esse supposititiam. „ Reiicit omnem prorsùs epistolæ huius authoritatem „ (inquit de Turrecremata Sixtus Senensis in Bibliothecâ lib. 2.) ut „ obscuram & dubiam, negans omninò fieri posse, ut Clemens epistolam hanc post mortem Petri editam scripserit ad Jacobum fratrem „ Domini, quem Eusebius in Chronicis testatur decem ferè annis antè „ obitum Petri occubuisse à Iudæis lapidatum; „ eadem planè habent de morte Petri Iacobo expositâ Cardinalis Bellarminus libro de Scriptoribus, & Antonius Possevinus tomo 1. Apparatus Sacri, additque Philippus Labbeus in margine, hanc epistolam Baronio & Perronio viris in Antiquitate versatissimis meritò suspectam esse & supposititiam videri, prout tanquam supposititiam relatis pluribus aliis explodit Ioannes Launoius libro de Duobus Dionysiis in discussionis capite 3. cùm autem ruat fundamentum, ex quo antiquiores pro ordinato per Cle-

Turrecremata apud Sixtum Senensem.

Clementem Petro argumentum sumpsêre, eorum authoritatem desuper stabilitam ruere necesse est, ut non immeritò hæsitare cœperit S. Epiphanius hæresi 27. cap. 6. *Num Clemens impositis manibus à Petro Episcopus consecratus, eâque detrectatâ Provinciâ ab omni administratione vacaverit (ita enim in quadam scripsit epistola: recedo, exeo, instet populus Dei, nonnullis videlicet hoc modo consulens) nam in quibusdam commentariis ita scriptum reperimus, an potiùs secundùm Apostolos ab Episcopo Cleto sit constitutus, liquidò non constat.* En in primis Epiphanium in dubium revocantem cuncta monimenta suo tempore extantia de ordinatione Clementis per Petrum, quod nimirum Vir sanctissimus Clementis epistolas hac de re tunc temporis extantes in dubium revocabat, & stabilitas desuper quorumdam authoritates simul ut dubias haberet, idque non sine fundamento fecisse, fidem facit Eusebius Cæsareensis in Palæstinâ Episcopus, qui libro 3. Historiæ cap. 2. juxtà versionem Christophorsoni testatur: *Post Pauli & Petri Martyrium, primus Romanæ Ecclesiæ Episcopatum Linus sortito accepit*, & cap. 12. cùm post Linum *Anacletus Romanam Ecclesiam annos duodecim Episcopus administrasset, eum secutus est Clemens.* Nec Linus itaque nec Cletus vivente Petro Pontificatum obtinuêre, ut non solùm testis est Eusebius, sed Auctor quoque Apostolicarum Constitutionum cap. 47. qui scribit, Clementem non nisi post Lini mortem fuisse consecratum Episcopum saltem Romanum, quod malè Lupus in Scholio ad caput 32. Tertulliani de Præscriptionibus tuetur, *à nullo* admitti. Enimverò cum Eusebio & auctore harum constitutionum, id tradunt Labbeus aliique moderni inter quos hæc est eruditi Petavij sententia libro 5. Rationarij cap. 5. „ Petro ab Nerone interfecto, Romanam Ecclesiam Linus regendam suscepit, ut antiqui „ Scriptores asserunt, quibus suffragatur vetus indiculus Romanorum „ Pontificum Liberij tempore contextus, quem penes nos habemus. „ Huic annos XI. menses 2. cum diebus aliquot assignant, ut anno „ Christi 78. decesserit. Cui Cletus deindè successit .... ac duodecim „ annis sedit, mensibusque septem, & martyrium fecit anno Christi „ 91. ac successorem habuit Clementem. „

Epiphan. Eusebius. Labbeus.

252. Quod verò admittatur, plures fuisse simul constitutos à Petro Romanos Episcopos, exinde garriunt hæretici cum Salmasio ab Apostolis Ecclesiæ præfectum fuisse collegium Presbyterorum: *Sic* (inquiunt) *Linus, Cletus, Clemens, simul ab Apostolis instituti Episcopi. Scriptores sequentis ævi, dum ad suum morem respiciunt, eos, quos legebant Episcopos fuisse, sibi invicem successisse æstimabant, cum simul fuissent eiusdem ordinis & pares.*

Salmasius.

pares. Scio hæreticorum hæc commenta facilè solvi à Catholicis, attamen hanc de plurium Episcoporum ordinatione per Petrum non fuisse sine obloquio fidelium excogitatam, testis est præfatio sub nomine Ruffini. *Quidam requirunt, quomodo cum Linus & Cletus in urbe Româ ante Clementem fuerunt Episcopi, ipse Clemens ad Iacobum scribens sibi dicat à Petro docendi Cathedram traditam?* Solùm fundamentum asserendi Clementem cum Cleto & Lino simul sacratos Episcopos provenit ex supposititia Clementis epistola, eamque in dubium revocans Epiphanius scribit sustineri posse, si dicantur ad munera episcopalia Romæ obeunda constituti. Post Epiphanium hoc statim amplexus est Auctor Præfationis sub nomine Ruffini, qui ex aliorum ratione scribit se statuere de Lini & Cleti Vicariatu, ac addit in exemplum ipsummet Petrum: *Sicut invenitur etiam apud Cæsaream fecisse, ubi cum ipse esset præsens, Zachæum tamen à se ordinatum habebat Episcopum.* Deviat auctor, qui scribit Zachæum Cæsareensem Episcopum fuisse sancti Petri Vicarium. „ Est „ Zachæus publicanus à Christo Domino conversus (inquit Christia„ nus Lupus in cap. 32. Tertulliani de Præscriptionibus) & ipsum „ fuisse primum Cæsaræ in Palestina Episcopum affirmat etiam au„ ctor Apostolicarum Constitutionum. Verùm sanctus Petrus istic non „ fuit Episcopus, adeoque nec Zachæus fuit eius Vicarius. „ Et ex his fontibus paulatim irrepsit illa de plurium Episcoporum ordinatione sententia, cui nonnihil contribuerunt antiqui Catalogi; quorum prior Consules Pontificatus Petri in Lini Pontificatu numeravit, ac Sanct. Clementem errans secundum à Petro Episcopum, miram circà primos Pontifices confusionem introduxit: Secundus verò Catalogus tempore Justiniani Imperatoris exaratus eosdem Consules retinens parum fusiùs acta Pontificum recensuit, & in Petro addidit: *Hic fecit ordinationes tres, Presbyteros decem, Episcopos tres, Diaconos septem per mensem Decembrem.* „ Quod tres dicatur S. Petrus ordinasse Episcopos (inquit Godefridus Henschenius) intelligendum pro Ecclesia Ro„ mana, ut successivè illi præficerentur, & sunt Linus, Clemens, & „ Cletus. „ At aliter intellexit Auctor Pontificalis, qui sic scribit in Petro: *Hic ordinavit duos Episcopos, Linum & Cletum, qui præsentialiter omne ministerium sacerdotale in urbe Româ populo vel ad se venientibus exhiberent* & infrà: *hic Petrus Beatum Clementem Episcopum consecravit, cui & Cathedram vel Ecclesiam omnem disponendam commisit dicens, sicut mihi gubernandi tradita est &c.* Demum concludit, *hic fecit ordinationes per mensem Decembrem Presbyteros decem, Diaconos septem, Episcopos per diversa loca numero tres.* To per

Præfatio Ruffini.

Præfatio sub nomine Ruffini.

Lupus.

Secundus Catalogus.

Henschen.

Pontificale sub nomine Damasi.

diversa loca; insinuat secundum Catalogum non intelligendum de Episcopis Romanis, hinc auctor Pontificalis sumit suum fundamentum ex epistolâ Clementis ad Jacobum supposititiâ, & de Episcopatu Clementis ex inefficaci testimonio Epiphanij, & incerti cujusdam auctoris nomen Ruffini effingentis præfatione, ut post tantam horum omnium elucidationem pateat, ex quibus fontibus hodierno tempore statuatur ut indubitatum apud plurimos, Linum, Cletum, & Clementē à Petro ordinatos Romæ Episcopos, quem non tres sed plurimos per Occidentē universum ordinasse Episcopos, scribit Innocent. I. quidquid 3. Catalogus in Chronotaxi memoratus statuat de tribus.

253. Accedit his omnibus perplexa circà Pontificatum Clementis difficultas, qui enim dicunt, eum ordinatum à S. Petro Episcopum, admittunt simul, ante Clementem fuisse Linum & Cletum, & pro unico refugio habent illud Epiphanij hæresi 27. cap. 6. Clementem in quâdam epistolâ scripsisse *recedo, exeo, insbet populus Dei*, quibus innuit se Pontificatu cessisse, donec post Lini & Cleti mortem iterùm compulsus fuerit Pontificatum assumere. At notanda sunt verba S. Epiphanij: *Fieri potuit, ut primum Clemente constituto, cum is defugeret, si tamen ita contigit, quod ego opinando potius, quàm asseverando dixerim, posteà Lino & Cleto mortuis, qui duodecim annorum spatio singulatim Episcopatum obtinuerunt, post Apostolorum Petri ac Pauli necem, quæ in annum Neronis duodecimum incurrit, tum demum Pontificatum capessere sit compulsus.* Ex quibus patet primò, S. Epiphanium valde anxiè & potius divinando, quàm asserendo hac in re procedere, sustinentem *liquidò non constare*, an Petrus Clementem ordinarit, *an potius secundum Apostolos ab Episcopo Cleto sit constitutus.* Secundò tam Cletum quàm Linum duodecim sedisse annos, ut post annos 24. ab ordinatione Lini Clemens tantum potuerit assumere Pontificatum, quibus recentiorum accedunt sententiæ: ita Epiphanium secuti Bellarminus, Baronius, Binnius, asserentes Clementem à Petro quidem designatum Episcopum, at oblatum sibi Pontificium post obitum Petri recusasse, quoadusque Linus & Cletus vivebant. Consonant plura testimonia sed non convenit antiquus Catalogus. Hinc id ulteriùs exponit Gottifredus Vendelinus in divinatione suâ de Clementis & ejus epistolarum tempore editâ tomo 1. Conciliorum apud Philippum Labbeum, putatque Petrum post Claudij tempora Romam reversum illic Linum constituisse Episcopum consulatu Neronis & Veteris anno nostro 55. eumque exactis xi. annis cum mensibus 4. & diebus 12. ut etiam habent membranæ Bucheria-

Clemens.

Epiphan.

cherianæ, fuisse mortuum: hinc Petrum, dum ex partium Occidentalium itinere redux erat Romam, invenisse Linum jam mortuum juxtà illud anonymi Scriptoris de certaminibus, peregrinationibus, vitâ, & morte Petri & Pauli: *Duodecimo Neronis anno iterùm Romam redit, ubi Linum iam mortuum inveniens, Clementem loco illius ordinavit invitum dignitatemque istam recusantem.* Factum hoc putat Venedlinus anno vulgari 67. quo circà Pascha Clemens Pontificatum assumpsit, seditque annos 9. menses undecim, dies 12. ut habet indiculus, sicque anno 77. cum Romæ inter fideles orta esset magna dissensio super honore Pontificatus, ne quasi ex testamento Petri successisse videretur Clemens, ac ne posteris hæc principatus ambitio perniciosi exempli haberetur, ultrò se Pontificatu abdicasse, illumque post quatuor dies, 16. Februarij suscepisse electum à Clero Cletum. & hæc est Vendelini illius sententia, quam probat Henschenius in notis ad suos Catalogos in Clemente. At quàm verè scripsit Labbeus hanc esse divinationem, & non solidum aliquod Antiquitatis documentum? Si Clemens annis novem Pontificatum quietè tenuerit, quis quæso primorum fidelium post tanti temporis possessionem quæstionem instituisset circà Clementis Pontificatum? si profectò hic aliquid mali exempli subfuisset, id non post novem annos, sed initio post mortem Petri disputatum fuisset, ut ante Vendilinum credebant periti. Deindè si ex testamento Petri succedere in subsequentium sæculorum scandalum aut destructionem vergebat, ut repetito Vendelini testimonio insinuat Godefridus Henschenius, quis credet S. Petrum hoc non prævidisse, & S. Clementem ad illud permoveri potuisse? prohibitum sanè à sacrosancto Nicæno Concilio scribit Magnus Augustinus, & in Augustini vitâ Possidonius, ne Episcopus sibi viventi alium successorem eligeret: cum autem constet, sacrosanctum Nicænum Concilium renovasse Apostolicos Canones & Traditiones, adeoque hoc consequenter ad illas statuisse censendum sit, quis fatebitur, omnium Apostolorum Principem Petrum sibi elegisse successorem cum tanta fidelium oblocutione, ut post novem annorum Pontificatum ad sedandam contentionem cedere Pontificatu coactus fuisset Clemens?

Anonym. Scriptor.

Augustin.

254. Secundus circà Pontificatum Clementis errandi fons provenit ex confusione Cleti & Anacleti, quam confusionem ab Ireneo introductam tolerandam non esse credidit Auctor Carminum contrà Marcionem libro 3. ideoque circà Tertulliani ævum scriptum reliquit:

Ex

Ex quibus electum magnum plebique probatum
Hâc Cathedrâ, Petrus quâ sederat ipse, Beatum
Maxima Roma Linum Primum considere jussit.
Post quem Cletus & ipse Gregem suscepit Ovilis
Huius Anacletus Successor sorte locatus,
Quem sequitur Clemens.

Auctor Carmins contrà Marcionē.

Cletum lucidè ab Anacleto distinguere cœpit, sed novo errore adhibito, quod Clementi tam Cletum quàm Anacletum præponat, unde & Auctor antiquissimi Indiculi aut Catalogi eidem succurrere statuit, sed Optati ac S. Augustini errorem imitatus est Clementem faciens secundum, ut Cletum & Anacletum postposuerit, & hic sit ordo à Catalogo retentus: Petrus, Linus, Clemens, Cletus, & Anacletus. At impingit hæc sententia non solùm contrà communem Patrum; qui Clementem faciunt ordine quartum, ut statim videbimus, sed etiam contrà plerosque illorum, qui statuunt Clementem à Petro ordinatum. Plerique enim eorum sustinent Linum & Cletum à S.Petro ante Clementem fuisse electos Vicarios aut Chore-episcopos. Ita indicaverat S.Epiphanius hæresi 27. & tanquam Veterum Traditionem statim usurpaverat Auctor Præfationis ad libros recognitionum Ruffino attributæ: *Quod Linus & Cletus fuerint quidem ante Clementem Episcopi in urbe Roma, sed superstite Petro.* Idem Auctor Pontificalis in Petro: *hic ordinavit duos Episcopos Linum & Cletum, qui præsentialiter omne ministerium sacerdotale in urbe Roma populo vel ad se venientibus exhiberent.* Idem planè Chronicon Guilielmi de Nangis: *cessit Clemens Lino & Cleto, qui ante eum scribuntur, eo quod ab ipso Principe Apostolorum fuerant ad sacerdotale ministerium habendum Episcopi ordinati.* Idem demum Albertus Stadensis in Chronico per Patricium Iunium relato: Clemens *quamvis à Beato Petro esset electus, tamen coëgit Linum & Cletum ante se pontificari.* Et sic quoque Cardinales Baronius & Bellarminus, quos cum Binnio secuti sunt plerique periti, idque moti eo fundamento, quod attingit Chronicon Episcoporum Metensium relatum à Christiano Lupo in cap. 32. Tertulliani: scribit tempus Lini & Cleti incurrere in Petri Episcopatum, & addit: *nisi tempora Pontificatus Lini atque Cleti sub spatio Præsulatus Beati Petri comprehenderis, non sibi consonè respondebunt anni Pontificum Romanorum annis Imperatorum.* Verum quidquid sit de hoc Vicariatu gravissimis difficultatibus obnoxio, & ob plures rationes à nobis rejecto, indicant hæc omnia posteriora testimonia, Clementem non tertium sed quartum fuisse Romanorum Pontificum, quod verissimum existimo.

Præfatio sub nomine Ruffini.

Pontificale

Chronicon de Nangis.

Albertus Stadensis.

Chronicon Metense.

 255. Enim-

255. Enimverò in hoc conveniunt quantumcumque circà alia discrepent, Eusebius in Chronico & in Historiâ Ecclesiasticâ, D. Hieronymus libro de Scriptoribus materiam ex professo pertractans rejectâ aliorum sententiâ: *Clemens ..... quartus post Petrum Romanus Episcopus. Siquidem secundus Linus fuit, & tertius Anacletus, tamen etsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem.* S. Epiphanius hæresi 27. qui exagitatis variis circà Vicariatum Lini & Cleti sententiis subdit: *Sed utcumque res se habuerit, Romanorum Pontificum ista est successio Petrus & Paulus, Linus & Cletus, Clemens.* Auctor Præfationis sub Ruffini nomine, uti & Auctor Pontificalis sub nomine Damasi apud plerosque noti, qui ponunt eundem cum Epiphanio ordinem: Petrum, Linum, Cletum, Clementem. Idem jamdudum universa sub cælo Ecclesia in Sacrosanctæ Missæ Canone Commemorationem hoc ordine faciens: *Lini, Cleti, Clementis,* quod vel unicè sufficeret. Accedunt Ado Viennensis in Martyrologio, & plerique alij in suis Martyrologiis. Ivo Carnotensis in Chronico suo M.S. quod extat in Bibliothecâ Regis Angliæ. *In Romanâ verò Sede, .. Cleto Papæ successit Clemens.* Eodem ordine ponit Clementem Chronicon M.S. Hugonis de S. Victore, qui Ivonis deflorator fuit, & Chronicon Guilielmi de Nangis Monachi S. Dionysij, quod expressis verbis habet: *Quartus Ecclesiæ Romanæ præfuit Clemens natione Romanus.* Nicephorus Calistus libro 3. Historiæ cap. 2. *Post Petrum primus Episcopatum suscepit Linus:* Addit, post 12. annos Pontificatum reliquisse Anacleto imbutus errore Eusebij, qui Anacletum cùm Cleto confundit, pergit tamen, Anacleto *successit sapiens ille Clemens,* ut hinc luceat à Nicephoro Clementem constitui quartum. Idem ante 170. annos Nauclerus in Chronico ad annum Domini 70. post Petri mortem *electus est Linus, dein Cletus, & quarto loco Clemens.* Et ante Nauclerum Tubingensem Præpositum Platina libro de vitis Pontificum, ponens post mortem Petri Linum, deinde Cletum, postremò Clementem, ad cujus vitam annotat Onuphrius Panuinus: „ " ut nullo pacto audiendi sint auctores quidam tam Græci quàm „ Latini, qui Cletum cum Anacleto confundunt. „ Omitto recentiores, qui hæc unanimi voce tradunt & amplectuntur, nec solummodò Cletum ab Anacleto distinguunt, sed Clementi quoque ultrò quartum locum concedunt hac tamen differentia, quod nos putemus Linum post Petri mortem electum & Cleto Lini decessori successisse Clementem, ut post Eusebium S. Prosper & plures: alij verò ex caducis fundamentis posterorum auctoritate firmatis sustineant, Clementem

Eusebius. Hieronym. Epiphan. Ruffini præfatio, & Pontificale. Can. Missæ. IvoCarnotensis. Hugo de S. Victore. Guiliel. de Nangis. Nicephor. Calistus. Nauclerus. Platina. Onuphrius Panuin.

mentem aut cessisse Pontificatu, donec Linus & Cletus obierint, aut Linum & Cletum obiisse Vicarios vivente Petro, ut novissimè existimat Christianus Lupus ad caput 32. Tertulliani de Præscriptionibus, ubi scribit: „ Si mihi fiat conjecturandi facultas dicam Linum & Cle- Lupus.
„ tum ad Domini quinquagesimum primum, Claudij Imperatoris
„ nonum, Petri Pontificis septimum annum fuisse consecratos, dum
„ dictus Princeps omnes Judęos proscripsit ex Italia. Tunc Petrus
„ ne Novella urbis Ecclesia maneret sine Episcopo, duos consecravit
„ Vicarios. Et quod Judęos non posset, consecravit Gentiles. Creavit
„ duos: unum in principali urbe, alterum in regione trans Tiberim.
„ Istic enim quod esset Judęorum Domiciliũ, erant plures Christiani.„ Hæc Lupus, qui dum hocce modo difficultatem solvit, alteri difficultati se innodat, & nec Linum nec Clementem veros Pontifices, sed Vicarios dumtaxat fuisse exponit, quod si ita sit, quomodo laudati Episcopi inter Sedis Apostolicæ Pontifices & Petri successores repositi erunt ab antiquioribus Patribus? quomodo universa sub cælo Ecclesia Clementem quartum Pontificem enumerat, & jam inde à temporibus Hieronymi & Epiphanij id ipsum retinendum existimavit? Hæc sanè suadent, veriora esse, quæ nos de Lini, & Cleti non Vicariatu, sed Episcopatu Romano diximus, non statuentes tres simul ejusdem civitatis Episcopos, sed plures sibi invicem juxtà Apostolicam Traditionem, & Ecclesiasticam regulam succedentes Antistites, quos tamen nõ negamus à Petro potuisse ordinari pro alijs civitatibus.

256. Restat nunc paucis de S. Clementis operibus agere, de quibus D. Hieronymus libro de Scriptoribus: *Scripsit ex personâ Romanæ Ecclesiæ ad Ecclesiam Corinthorum valdè utilem epistolam, quæ & in nonnullis locis publicè legitur, quæ mihi videtur characteri epistolæ; quæ sub Pauli nomine ad Hebreos fertur, convenire, sed & multis de eâdem epistolâ non solùm sensibus, sed iuxtà verborum quoque ordinem abutitur. Omninò grandis in utraque similitudo est. Fertur & secunda eius nomine epistola, quæ à Veteribus reprobatur. Et disputatio Petri & Appionis longo sermone conscripta, quam Eusebius in tertio Historiæ Ecclesiasticæ volumine coarguit.* Hæc nec plura Hieronymus de scriptis S. Clementis, inter quæ primo ordine recenset epistolam ad Corinthios, de qua D. Ireneus libro 3. cap. 3. *Scripsit quæ est Romæ Ecclesia potentissimas litteras Corinthijs, ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuncians, quam in recenti ab Apostolis receperant Traditionem.* Et post S. Ireneum Eusebius Cæsareensis lib. 3. Historiæ cap. 32. meminiscens *Clementis, in ea epistola quæ est omnium consensu approbata, quam sub*

Hieronym. | Ireneus. | Eusebius.

sub Romanæ Ecclesiæ personâ ad Corinthiorum Ecclesiam exaravit. Idem jam audivimus à S. Hieronymo suprà, à cujus tempore extasse usque ad sæculum 9. testis est Photius in Bibliothecâ primò quidem Cod. 113. ubi ait de Clemente: *Scripsit idem magni faciendam ad Corinthios epistolam, quæ à plerisque tanto in pretio est habita, adeoque laudata, ut etiam publicè legi soleret.* Et subindè Cod. 126. ubi testatur se legisse libellum, *quo Clementis epistolæ duæ ad Corinthios continebantur.* Verùm has epistolas non extasse in Occidente suo tempore deploravit Sixtus Senensis in Bibliotheca lib. 2. in Clemente. Et post Sixtum Senensem Cardinalis Bellarminus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis aiens: *Epistola prior ad Corinthios non extat.* Idem scribit in Annotationibus ad Pontificale Damasi Severinus Binnius tomo 1. Conciliorum, & demum Eminentissimus Cardinalis Baronius non nisi fragmenta ad nos pervenisse testatur, quæ profert tomo 1. ad annum Christi 95. & ex eo Antonius Possevinus in Apparatu sacro allegans fragmenta ex Clemente Alexandrino, Ireneo, Eusebio, Iustino, & Hieronymo.

Photius. Bellarmin.

257. Verum felicior nostra Ætas ad edenda Veterum Scripta Patrum, & è tenebris educenda quæcumque Antiquorum Monumenta, Ecclesiæ data, in quod mirâ Dei providentiâ ipsos hæreticos in sectarum suarū manifestam perniciem studium impendere sentit, uti & integram ferè epistolam nacta est ope Patricij Iunij Scoti Britanni, qui eam habet ex antiquissimo Codice circà primi Concilij Nicæni tempora manu Theclæ nobilis feminæ Ægyptiæ exarato, quem Codicem refert ex Oriente Dono missum ad Angliæ Regem, publicavitque ex laudato Patricio Iunio anno 1632. tomo 1. Conciliorum Philippus Labbeus, ex qua videre licet, eam ipsam esse epistolam, cujus Veteres meminêre, & in quâ Photius reprehendendum ducit, *quod extrà Oceanum mundos aliquos colloces* respiciens ad hæc verba epistolæ: *Oceanus hominibus impermeabilis, & qui trans ipsum sunt mundi, eisdem mandatis Domini gubernantur,* quæ de Americâ aliisque Insulis tempore Photij ignotis, nunc autem navigatione Hispanorum, Batavorum, aliorumque notissimis, meritò scribi potuerunt. Addit Photius & fortè illud reprehendi posse, *quod Phœnicem avem unicam tanquam pro verissimo adhibes argumento.* Respiciens ad Phœnicis historiam, quam Clemens in eâdem epistolâ considerandam Corinthiis refert in Symbolum Resurrectionis, non asseverans id verissimum esse, sed simpliciter intonans: *Contemplemur signum mirabile, quod in partibus Orientis scilicet in Arabiâ fit. Avis est, quæ Phœnix vocatur. Hæc sui generis sola & solitaria existens, annos quingentos vivit, & cùm morti vicinam*

Photius. Epistola Clementis. Photius. Clemens in epistola.

se

se sensit, è Thure, Myrrhâ & reliquis aromatibus loculum sibi struit, quem completo annorum spatio ingreditur, & vitam deponit: ex carne verò eius putrefactâ vermis quidam nascitur, qui animalis defuncti humore nutritus plumescit, & auctis posteà viribus loculum tollit, in quo ossa parentis recondita sunt, quæ humeris gestans ex Arabica regione in Ægyptum & urbem, quæ Heliopolis dicitur, pervolat, ac spectantibus omnibus diurno tempore advolans, super altare solis illa collocat, atque ita unde venerat, regreditur. Hæc Clemens Papa, quæ immeritò à Photio reprehendi, docet in Scholio ad hoc Photij caput 126. vir eruditus Andreas Schottus, dicens hoc de Phœnice exemplum pro carnis resurrectione pariter adhiberi à Tertulliano lib. de Resurrect. cap. 13. B. Ambrosio lib. 6. in Hexam. cap. 23. S. Gregorio Naianzeno Carm. ad Virgin. S. Epiphanio in Anchorato, S. Cyrillo Catech. 18. quibus Prophanos historicos tàm Græcos quàm Latinos etiam vetustissimos addit Plinium, Tacitum, Xiphilinum, Herodotum & alios. Eam quidem Phœnicis historiam improbat ante Photium B. Maximus martyr lib. ad Petrum illustrem, ut adductis Maximi verbis refert idem Schottus, probat tamen Patricius Junius aiens hæc de Phœnice fabulosis aucta esse, de ave tamen, quæ redivivo suæ carnis humore reparatur, & de suo surgit rogo, sese non ambigere & addit: „ Maloque cum Clemente nostro viro Apostolico, Tertulliano, „ Origine, Cyrillo Hierosol. Eusebio, Naianzeno, Epiphanio, Sy- „ nesio, Hieronymo, Ambrosio, Lactantio, Plinio, Seneca, Mela, „ Solino, Philostrato, Libanio, & alijs errare, quàm Maximum & „ ejus sequacium opinionem sequi. „

Patricius Iunius.

258. Sequitur secunda Epistola Clementis ad Corinthios, de quâ Eusebius lib. 3. cap. 32. *Posteriorem quamdam esse epistolam, quæ Clementis dicitur. Verùm eam non proinde ut priorem approbatam cognoscimus, propterea quod animadvertimus, Veteres illius testimonia non aliquando suis Scriptis intexuisse.* Paucioribus verbis D. Hieronymus suprà: *Fertur & secunda eius nominis epistola, quæ à Veteribus reprobatur.* Idem Photius in Bibliothecâ c. 113. in Clemente. *At quæ secunda dicitur ad eosdem, ut spuria reiicitur.* Quibus consonat Bellarminus in Clemente: *epistola posterior ad Corinthios neque extat, neque ab Ecclesiis probabatur, ut S. Hieronymus testatur,* Et huic consentit Baronius tom. 1. ad annum 95. fragmenta illius epistolæ habemus Latina interprete Vendelino, & cum Græco nuper re-excusa tomo 1. Conciliorum Philippi Labbé, qui ad hujus epistolæ fragmenta notat in margine, à Veteribus reprobari, ut Hieronymo post Eusebium. Quantum ex fragmentis colligitur, continet hæc epistola salutaria Documenta,

Eusebius. Hieronym. Photius. Bellarmin.

Photius. menta, *admonitionemque vitæ melioris continet*, ut scribit Photius in Bibliothecâ Codice 126. at licet Sixtus Senensis Epiphanium adversus Ebionitas primo Panarij libro tradidisse scribat, non unam tantùm sed plures scriptas à Clemente epistolas encyclicas, quæ suo tempore in Ecclesijs legebantur; & huic consonet Hieronymus lib 1. adversus Jovinianum aiens de hoc Clemente quod, *scribit epistolas*, has tamen genuinas non extare persuadeor ex eo, quod D. Hieronymus scribat

Hieronym in illis epistolis: *Omnemque penè sermonem suum de virginitatis puritate contexuit.* Quod certè in 2. ad Corinthios epistolâ non invenitur, in qua multæ apocryphæ Scripturæ exhibentur, signum manifestissimum, illa fragmenta non esse S. Clementis Papæ, sed alicujus Impostoris hæretici. Et hæc de epistolis S. Clementis, nam de reliquis epistolis sub nomine Clementis ad Jacobum aliosque infrà, ubi de epistolis decretalibus sermo erit, latiùs agemus.

259. Multa sunt alia, quæ sub nomine sancti Clementis circumferuntur, sed plerumque apocrypha. De Canonibus Apostolorum à Clemente collectis, & libris octo Apostolicarum Constitutionum jam fusè egimus suprà. Meminit Eusebius libro 3. cap. 32. aliorum ope-

Eusebius. rum non diu ante ipsum Fabricatorum sub nomine Clementis, *quæ quidem disputationes Petri & Appionis continent, quorum apud veteres nulla est*

Hieronym *mentio*, & post Eusebium Hieronymus suprà: *Et disputatio Petri & Appionis longo sermone conscripta, quam Eusebius in tertio Historiæ Ecclesiasticæ volumine coarguit.* Meminit etiam S. Gelasius in Romano 70. Episcoporum Concilio itinerarij Petri, quod D. Athanasius in Synopsi, & Leo 9. in epistolâ contra Nicetem scriptis apocryphis annumerant, quibus consonat Gelasius suprà: *Itinerarium nomine Petri Apostoli, quod appellatur S. Clementis lib.8. apocryphum.* Sixtus Senensis putat idem opus

Epiphan. esse cujus meminit Epiphanius libro 1. Panarij: *utuntur Ebionei & alijs libris, nimirum circuitionis Petri appellatis, per Clementem scriptis, multa corrumpentes in ipsis, & pauca vera relinquentes; velut ipse Clemens ipsos per omnia redarguit in epistolis, quas scripsit, encyclicis, quæ in sanctis Ecclesijs leguntur.* Idem illud opus puto ex quo impij Iconoclastæ suum venenum desumpserant contrà sacras Imagines, & de quo in 7. Synodo legit

Epiphan. Legatus. Epiphanius Thomæ Episcopi Sardiniæ Legatus: *Ex falsis superscriptionibus itinerariorum Sanctorum Apostolorum:* Tot absurdis fabulis & impiis hæresibus hic impletus erat, ut lectis per-paucis, Tharasius

Tharasius. Synodus 7. novæ Romæ Episcopus exclamarit: *Tota conscriptio hæc contraria est Evangelio.* Et Concilium septimum addiderit: *Omnis hæresis in hoc libro pendet,*

pendet, unde & posteà : *igni eum dignum judicamus fore tradendum.*

260. Feruntur & libri recognitionum sub nomine Clementis, de quibus Photius in Bibliothecâ Cod. 113. *Recognitionem adhuc Clementis eiusque Parentis, tum aliorum fratrum. Quamobrem etiam in quibusdam Codicibus hac ei inscriptio tribuitur: Clementis Romani recognitio: in alys tamen uti diximus, epistola præfigitur tanquam ad fratrem Domini Iacobum, & hac neque eadem, neque ut ab eodem profecta; sed in libris nonnullis, veluti à Petro Apostolo ad Iacobum missa, in alys rursus tanquam à Clemente ad Iacobum, alia atque alia, ut modò diximus. Harum prior ostendit ipsummet Petrum res à se gestas conscripsisse, & Iacobo eas postulanti misisse: altera verò refert Clementem Petri jussu easdem res transmisisse. Ex quo coniectura capitur, bis fuisse res gestas S. Petri editas, ac cum temporis longinquitate periisset altera, illam Clementis tandem solam perdurasse. In omnibus enim libris, quos quidem videre mihi contigit, (non paucos illos certè) post diversas illas epistolas atque inscriptiones, idem omninò sine variatione hoc operis initium reperi: ego Clemens, & quæ ordine deinceps sequuntur. Refertur autem hoc opus absurdis nugis, non sine plurimis ex Ary opinione in filium blasphemys.* Hæc Photius cujus conjecturam de duplici opere recognitionum probat Sixtus Senensis in Bibliothecâ exhibens argumenta decem priorum librorum, quos Clemens refert se in urbe Cæsareâ scripsisse de his, quæ à Petro in eadem urbe disserta sunt. Hos libros magna ex parte fuisse ab hæreticis contaminatos, testis est Ruffinus, qui in Apologia Origenis scribit: *Clemens Apostolorum Discipulus, qui Romanæ Ecclesiæ post Apostolos & Episcopus & Martyr præfuit, libros edidit, qui græcè appellantur* Ἀναγνωρισμὸς *id est, recognitio; in quibus cum ex persona Petri Apostoli Doctrina quasi verè Apostolica in quamplurimis exponatur, in aliquibus ita Eunomy dogma inseritur, ut nihil aliud, quàm ipse Eunomius disputare credatur, filium Dei creatum ex nullis extantibus asseverans. Tum etiam illud adultery inseritur genus, ut naturam diaboli, cæterorumque dæmonum non propositi voluntatisque malitia, sed excepta ac separata creatura produxeris qualitas. Sunt & alia nonnulla libris eius inserta, quæ Ecclesiastica regula omninò non recipit: quæ perversi homines ad assertionem dogmatum suorum sub virorum sanctorum nomine tanquam facilius credenda inseruerunt.* Pergit Sixtus Senensis de decem posterioribus cognitionum libris, quorum argumenta quoque adducit, & continent acta & itinera S. Petri: quod occasionem dedit Sixto Senensi existimandi, hos libros esse ipsissimum Itinerarij opus, quo sub nomine circuitionum Petri utebantur Ebionitæ teste Epiphanio, illudque sub falso recognitionum titulo à librarijs ornatum, ne sub Itinerarij nomine damnatum habe-

Photius.

Ruffinus.

 retur

retur apud omnes. Idem existimat Bellarminus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, qui tamen scrupulum movet de Itinerarij libris 8. cum recognitionum sint libri decem: at præterquam, ut indicat Bellarminus, quod id à corruptoribus facilè potuerit mutari, accedunt in cap. *Sancta* Correctores Romani, qui ad Decretum Gelasij Papæ per Gratianum allatum cum istis verbis: *Itinerarium Petri Apostoli libro* 8. adnotant: *Libri* 10. *in Originali.* Ut meritò sancta Inquisitio, teste Sixto Senensi, in indice damnatorum ab Ecclesiâ voluminum illud adscribi jusserit, & rectè animadverterit Antonius Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus in notis ad capitula Hadriani Papæ primi tomo 6. Conciliorum apud Philippum Labbé. „ Recognitionum libros ab antiquis Patribus „ non invenimus relatos atque receptos, quin potius, ut Canones „ Apostolorum, & Clementis itinerarium à Gelasio & Romanâ Sy„ nodo notantur. „

Correctores Gratiani.

Ant. Aug.

CAPUT III.

De Scriptis & Episcopatu S. Dionysij Areopagitæ.

261. *Proponitur Status bipartitæ quæstionis, num Dionysij Scripta genuina sint, & Episcopatum Parisiensem obtinuerit?*

261. INter antiquos Ecclesiæ Patres & Apostolorum Discipulos, omittendus non est Dionysius ille, quem in Actis Apostolorum post Pauli concionem in Areopago apud Athenienses habitam ad Fidem conversum fuisse, indubitato testimonio refert S. Evangelista Lucas. Moventur duæ de hoc Dionysio gravissimæ quæstiones hocce nostro tempore, quorum prima est de scriptis, num genuina sint, quæ sub nomine ejus circumferuntur? secunda de Episcopatu, num hic sit Dionysius Areopagita, qui à S. Clemente Romanorum Pontifice missus fuerit in Gallias, ibidemque Parisiorum Episcopus Martyrij palmam adeptus fuerit? sunt gravissimæ contentiones nunc temporis in Gallia renovatæ, & quia toties de illis disputatum fuit, lubet separatim de iis hîc agere.

ARTICULUS I.

Refelluntur adversantium Scriptis S. Dionysij Areopagitæ argumenta.

261. *Scripta Dionysij referuntur, eaque à pluribus jam annis impugnata ostenduntur ex Hypatij testimonio per Christianum Lupum laudato, qui ad abjudicanda Opera Dionysio moveri potuit scriptis Ioannis Launoij varia obiicientis.*

263. *Prima Launoij obiectio, quod Dionysius mentionem faciat epistolæ S. Ignatij scriptæ sub Traiano, ante quem Dionysium sub Domitiano mortuum fuisse, pluribus probat Sirmondus.*

264. *Secunda, quod cæremoniæ in Libris Dionysij descriptæ tempori ipsius non congruant, uti nec Monachorum distinctio. Quibus addit in operibus Dionysij alios citari Tractatores Ecclesiasticos, qui nulli extiterunt.*

265. *Alia fundamenta Launoij proferuntur, præcipuè ex eo quod Sancti Patres Operum Dionysij non meminerint, tum quod argumenta Operis istis Ecclesiæ temporibus non conveniant.*

266. *Licet magni momenti videantur obiectiones, iis tamen plerique satisfecerunt, non moderni tantùm, sed antiquiores, & signanter Theodorus Presbyter ex Photio allatus, cuius Compendium desiderat Schottus, qui obiectionibus tempore Theodori motis breviter satisfacit.*

267. *Vlteriùs satisfit primæ Antiquorum obiectioni, quod nemo Veterum horum Operum meminerit. cùm aliorum, quæ nunc extant, non meminerunt quoque Eusebius & Hieronymus, ut reponit S. Maximus, & quod plurima Eusebius omiserit, ipsemet fatetur, ut ex illius de Dionysij Operibus silentio nullum argumentum duci possit. Sed neque ex Hieronymo, qui Eusebium dumtaxat secutus est. quod alij non meminerint refellit Suidas Auctor Græcus.*

268. *Secundæ obiectioni de cæremoniis aut ritibus respondetur, plerosque ritus ab Apostolis promanasse, idque variè probatur.*

269. *Vltimæ obiectioni de citatione S. Ignatij Martyris reponitur, verisimile esse, quinimò pluribus Antiquorum testimoniis roboratum, quod S. Dionysius non sub Domitiano aut Traiano, sed Traiani Successore Hadriano occubuerit.*

270. *Opponit se Sirmondus; at refellitur argumentum contrarium Iacobi Sirmondi ex Apologiâ Aristidis Hadriano oblatâ desumptum. Hanc Apologiam non anno Hadriani sexto, sed diu post oblatam, clarè ostenditur. Hinc fugit Ratio Sir-*

mondi, quâ prætenditur non sufficiens tempus assignari posse inter Dionysii obitum, & Quadrati Publii Successoris Episcopatum.

271. *His additur, etiamsi quis ponat S. Dionysium sub Domitiano occubuisse, non sequi Opera Dionysii supposititia esse, cùm Ignatii citatio ex margine in textum irrepserit.*

262. SCripta, quæ sub nomine S. Dionysii circumferuntur, constat esse librum unum de cælesti Hierarchia, alterum de Ecclesiastica Hierarchia, tertium de Divinis Nominibus, quartum de Mysticâ Theologiâ omnes ad Timotheum Presbyterum conscriptos, cui accedunt epistolæ 4. ad Caium, ad Dorotheum I. Sosipatrum I. Polycarpum I. Demophylum I. Titum I. Apollophanem I. & ad S. Ioannem Apostolum I. & de his omnibus refert Sixtus Senensis in Bibliotheca libro 2. quod „ Thomas Presbyter Cardinalis S. Xysti in „ commentariis actuum Apostolorum, & tertii libri Regum opina„ tur, Dionysium Areopagitam nihil omninò ex suprà memoratis „ scriptis reliquisse, inductus aliquot, ut ipse judicat, non levibus „ conjecturis. „ Nec novum est, hæc scripta ab aliquibus impugnari, jam ab anno 533. in collatione Catholicorum Constantinopoli habitâ Severianis Dionysii scripta obiicientibus reponit Hypatius Metropolita Ephesinus: *Illa enim testimonia, quæ vos Dionysii Areopagitæ dicitis, unde potestis ostendere vera esse, sicut suspicamini? si enim eius erant, non potuissent latere B. Cyrillum. Quid autem de B. Cyrillo dico? quando & B. Athanasius, si pro certo scisset eius fuisse, ante omnia in Nicæno Concilio de consubstantiali Trinitate eadem testimonia protulisset adversus Arii diversæ substantiæ blasphemias: Si autem nullus ex antiquis recordatus est ea, unde nunc potestis ostendere, quia illius sint, nescio.* Extat hæc collatio apud Labbeum tomo 4. Concil. & subdit ad Laudatum Hypatii testimonium Christianus Lupus parte 2. Dissertatione de 6. Synodo, cap. 3. „ Hæc est omninò prima apud „ Ecclesias de Dionysii Areopagitæ scriptis memoria è latebris eruta „ ab Eutychianistis ad probandam in Domino IESU CHRISTO unicam „ naturam. Et eorum quædam videntur illis favere. Hinc non solus „ Hypatius, sed cuncti penitùs orthodoxi opera illa in exordio habuêre suspecta. Legitima sint, an spuria longa est quæstio, nec hu„ jus loci. eorum materia quarti sæculi exordium, stylus pompaticus „ non hominem Atticum, sed Asiaticum manifestè olet & sapit. „ Hæc Lupus qui ad abjudicanda Dionysio Areopagitæ potuit induci scriptis Joannis Launoii Parisiensis Theologi, qui inter opuscula sua de

Thomas Card.

Hypatius Ephes.

Lupus.

de duobus Dionysijs anno 1660. Parisijs edita habet opusculum secundum de libris Dionysio inscriptis, in quo ad abjudicanda hæc opera sequentibus utitur argumentis.

263. Primò quod libro de Divinis Nominibus cap. 4. scribat: *Atque visum est quibusdam ex nostris, qui de divinis rebus disseruerunt, amoris, quam charitatis nomen esse etiam divinius, scribit autem & divinus Ignatius, meus amor cruci affixus est*: „ At cum Areopagita sub Domitiano passus „ sit, is laudare non potuit verba epistolæ, quam ad Romanos anno „ decimo Trajani dedit Ignatius. „ Hæc Launoius sentiens cum Jacobo Sirmondo, qui dissertatione de duobus Dionysijs, cap. 8. scribit, Dionysium Areopagitam non sub Traiano vel Hadriano, sed sub Domitiano Martyrium fecisse. Evincit autem hoc modo: Quadratus fuit tertius à Dionysio Atheniensis Episcopus, Successor, (ut alter Dionysius Corinthiorum Episcopus testatur apud Eusebium lib. 4. cap. 22.) Publij Martyris, qui Dionysio Areopagitæ successerat primo Atheniensi Episcopo. Scribit verò Eusebius lib. 4. Historiæ, cap. 3. Ælium Adrianum *quadratus oratione coram habitâ compellat: & apologiam, quam pro nostræ religionis defensione propterea contexuerat, quod nonnulli nequam & perditi homines nostris molestiam facessere conarentur, ei offert.* Obtulit hanc apologiam eodem tempore, quo Adrianus Athenis hyemabat, quando & Aristides apologeticum obtulit, ut confirmat Hieronymus epistola ad magnum: „ Si igitur tertius à Dionysio Quadratus, si inter „ utrumque Publius, quis tam iniquus rerum æstimator, ut cum A„ thenas anno Imperij sui sexto venisse Hadrianum, ibique Hyemem „ exegisse Eusebius in Chronico doceat, & adversarij consentiant, „ nimis angusta Dionysij, & Publij martyrio, Quadratique initijs „ spatia, intrà quinquennium concludi non sentiat? quantò igitur „ congruentius, quantóque verisimilius non modò Dionysium, sed „ ne Publium quidem, qui Dionysio successit, sub Hadriano passum „ dicerent, sed sub Traiano, cuius gravissima & sævissima memora„ tur persecutio, ex qua natus videri queat tantus ille terror, & con„ sternatio Atheniensium Christianorum, quos narrat idem Episco„ pus Corinthiorum, ad defectionem vi procellæ propè abductos, „ studio post & industriâ Quadrati, qui Publio successerat, in viam „ rediisse, pristinumque fidei ardorem recepisse? ad hunc enim mo„ dum plana & distincta, fixaque erunt omnia. Nam & Quadratum, „ quod in confesso est, Hadriano Principe floruisse, & decessorem „ ejus Publium sub Traiano Martyrium consummasse, justumque ad

S. Dionys. lib. de Div. Nom.

Launoius.

Eusebius.

Sirmondus

„ ea, quæ retulimus, ſpatium interceſſiſſe, & quod caput eſt, Diony-
„ ſium Areopagitam, cui Publius ſucceſſit, non ſub Hadriano vel
„ Traiano, ſed ſub Domitiano, ut dictum eſt, vitam poſuiſſe, conſta-
„ bit. „ Hæc omnia Sirmondus, cui conſonat laudatum à Sirmondo cap. 7. ex Synaxario teſtimonium, quod ita habet die 3. Octobris: *Certamen Sancti Patris noſtri Epiſcopi Athenarum Dionyſij Areopagitæ, qui divino Paulo Athenis concionante veritatem agnovit, & credidit in Chriſtum, Athenarumque Epiſcopus ab eodem creatus eſt. Hic ab Ethnicis comprehenſus flammis conſumptus eſt, libris eius una concrematis. Ad Occidentem verò profectus regnante Domitiano, multis editis miraculis capite caſus cum eſſet, ſuum ipſe caput manibus excipiens ad duo uſque millia paſſuum progreſſus eſt. Caſi autem cum eo ſunt Ruſticus & Eleutherius.* Eadem habet Græcorum Menæum apud Petrum Halloix in imagine ſecundi ſæculi, licet pauca alia addita videantur: hancque antiquiorum eſſe ſententiam, collegit Launoius in Opuſculo de vita D. Dionyſij Areopagitæ obſerv. 6.

Launoius. ex S. Maximo, „ qui ut commodè laudatum ab Areopagita Ignatium „ probet, hunc ante Domitianum mortem oppetiiſſe tradit. „ Et in terminis ſub Domitiano paſſum eſſe docent ex Græcis Methodius, & Metaphraſtes: ex Latinis ipſe Hilduinus in Areopagiticis, Hincmarus Metropolita Rhemenſis, Radbertus Corbeienſis, & Hugo Flaviniacenſis Abbas in Chronico quod nuper editum eſt à Philippo

Hugo Flaviniacenſis in Chronico. Labbeo: *Conſummato igitur per martyrij palmam Beato Dionyſio anno ab incarnatione Domini 79. à paſſione autem 64. ætatis verò eius anno 90. Imperij Domitiani Cæſaris ineunte 16. &c.* Et hæc de primo fundamento, quo ſtabilitur, Dionyſium ante Trajanum, ſub quo epiſtola S. Ignatij in libro de Divinis Nominibus citata ſcribitur, Martyrio coronatum fuiſſe ſub Domitiano.

Launoius. 264. Secundò pergit Launoius: „ Publici & ſolemnis Baptiſmi „ deſcriptio, quæ in libri de Hierarchia Eccleſiaſtica capite 2. habe„ tur, Areopagitæ tempori non congruit. „ Addit rationem, quod ritus ibidem deſcripti ad ornatum facientes & decorem non conveniebant ſæviſſimis perſecutionibus, in quibus Chriſtiani latebant. Tertiò autem circa energumenorum & pœnitentium diſpoſitionem, ſancti Sacrificij ſolemnem cum thuris incenſione & omnium ordinum Eccleſiaſticorum cantu. Quartò quod Areopagitæ ſæculo inaudita eſt Monachorum diverſitas, inauditum Monaſticæ conſecrationis myſterium, quæ duo in ejuſdem libri cap. 6. traduntur & poſteriorem Conſtantino ætatem appellant, in qua Monachi non quidem nati ſunt, ſed

sed plures in classes dividi & solemni ritu, qualis hoc in loco depingitur, à Sacerdotibus consecrari cœperunt. Demum quæ ex libris opponuntur de Cælesti & Ecclesiastica Hierarchia, sunt variæ tractatorum sententiæ ut lib. de Cælesti Hierarchia cap. 13. *Nonnulli in ea sententia sunt, ut dicant convenienter iis, quæ iam antè de omnium spirituum communione constituta sunt.* Et libro de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 5. *De divina autem sorte, quæ divinitus Matthiæ obtigit, alij alia dixerunt, non rectè mea quidem sententia. Ego verò meam etiam sententiam exponam.* Habet alia quæ cum de priorum tractatorum sententijs agunt, Areopagitæ tempori successisse horum Scriptorum auctorem ostendunt.

Dionysius

265. Habet denique Launoius alia momenta extrinseca, quorum primum desumitur ex collatione Constantinopoli habitâ cum Severianis, de qua egimus suprà: secundum ex D. Hieronymo, qui epistolâ ad Magnum, & libro de Scriptoribus Ecclesiasticis recensens scripta præcedentium Patrum, etiam meminit Scriptorum Quadrati & Aristidis Philosophi, Ubi & occasio erat referendi scripta Dionysij, quæ nullibi retulit. Absurdum autem est dicere Hieronymum novisse libros, quos non recensuisset, cum recensendi argumentum tractaret, cui accedit Sophronius, qui Hieronymi librum de Scriptoribus Ecclesiasticis Græcè traduxit, & cum nonnullos ei inseruit, quos Hieronymus non inseruerat, Dionysium Areopagitam tamen non inseruerit. Demum quod nec Dionysius Corinthiorum apud Eusebium, nec Cæsarius, nec Ambrosius, nec Chrysostomus, nec Augustinus de Dionysio Areopagitâ loquantur, & D. Gregorius Magnus Scriptorum ejus non aliter meminerit quàm sub dubio, scribens homilia 34. *Fertur verò Dionysius Areopagita antiquus videlicet & venerabilis Pater dicere &c.* Post quæ concludit Launoius abjudicans scripta Dionysio Areopagitæ, quod tum scriptio, tum maximè scribendi methodus Areopagitæ sæculo parum conveniant. Sæculo enim illo versabantur Scriptores potissimùm in tribus, quorum primùm continebat apologias pro Christianis ad Principes: secundùm epistolas ad Christianos in fide corroborandos, vel Ecclesiarum præpositos instruendos, vel Christianæ Doctrinæ utilitatem & terrenarum rerum contemptum docendum, vel fideles pro subeundis Martyrijs inducendis: tertium denique commentarios, quibus fides Christianâ contrà hæreses propugnabatur, quorum nihil planè attingunt libri Dionysij, ideoque à primis sæculis & Dionysij ævo alieni. Et his forsan inductus Thomas Cardinalis auctorem negavit Dionysium Areopagitam Scriptorum, quæ sub ipsius nomine circumferuntur.

Gregor. I.

266. Magni

266. Magni quidem momenti videntur hæc opposita scriptis Dionysij fundamenta, sed maioris profectò sunt, quæ Dionysio Areopagitæ Scripta sua vindicanda statuunt. Viderat opposita argumenta Sixtus Senensis in Bibliothecâ, & quia sæpiùs à Viris eruditissimis soluta credebat, reposuit: „ cùm aliqui plenissimè satisfecerint, ut Anastasius „ Bibliothecarius, Ioannes Schotus, Ioannes Sarracenus, Dionysius „ Carthusianus, Ambrosius Camaldulensis, Marsilius Ficinus, ac ple- „ rique alii eruditissimi Viri; superfluum esset eamdem rursùs telam texere. „ Omisit itaque, aut neglexit recantata toties adversariorum fundamenta Sixtus Senensis, at non neglexit Theodorus Presbyter cùm primò audiri cœperint. Hunc Theodorum licet ante sæculum nonum vixisse certum sit, quo tamen tempore vixerit, non adeò certum est. Petrus de Halloix in Imagine secundi sæculi, quæstione 4 in vitam S. Dionysij insinuat, floruisse circà initium quinti sęculi: „cùm olim „ (inquit) hoc est sub annum Christi 400. orta esset de Operibus S. „ Dionysij Areopagitæ quæstio, nonnullique certis de causis, an eius „ esset legitimus fœtus dubitarent, scripsit Theodorus Presbyter Librum unum, quo docuit illa Opera esse S. Dionysij Areopagitæ,„ &c. Extat in Bibliothecâ Gesneri quidam Theodorus Presbyter *anno* 420. & hunc illum Theodorum Presbyterum existimavit Halloix, qui de Dionysio egit. Extat & apud Gennadium in Catalogo de Viris illustribus *Theodorus Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter vir scientia cautus & lingua disertus*, qui scripsit adversus Apollinaristas & Anomæos de Incarnatione, cujus libros se legisse fatetur Photius & de quo Sixtus Senensis in Bibliotheca, quod floruerit sub Honorio Augusto anno 420. An idem ille sit, qui pro Dionysio Areopagita scripsit, ignoro. Quidquid sit, antiquum fuisse, & opus ejus pro Dionysio Areopagita excellentissimum, indubitatum est ex Photio Patriarcha Constantinopolitano, qui in illustri suâ Bibliothecâ ex totius antiquitatis operibus compilatâ ab hoc Theodoro Presbytero initium facit; sic scribens Codice 1. *Theodorus Presbyter de Scriptis S. Dionysij Areopagitæ. Lectus est Theodori Presbyteri liber, quo docet Germanum esse S. Dionysii opus. Solvuntur autem quatuor potissimum argumenta. Primum quidem: si genuinus est, cur SS. Patrum nemo, qui post secuti sunt, ex eo libro sententias aut testimonia citarit? alterum verò, quomodo Eusebius Pamphili SS. Patrum scripta enumerans, hujus nullam fecerit mentionem. Tertium, quomodo Traditionum earum, quæ in Ecclesia per incrementa, & diuturni temporis spatia creverint, liber hic sigillatim texat narrationem. Magnus enim Dionysius ut ex actis patet Apostolorum, æqualis fuit;* bic

Sixtus Sen.

Halloix.

Gennadius

Photius.

hic verò liber earum maximè Traditionum descriptionem continet, quæ posteà sensim in Ecclesiâ invaluerunt. Non igitur verisimile videri ait, imò falsò confictum, quæ longo post tempore à morte magni Dionysij in Ecclesiâ orta sint, atque excreverint, ea Dionysium describenda suscepisse. Quartum, cur epistolam B. Ignatij hic liber citat? Dionysius enim [ut diximus] Apostolorum temporibus floruit: Ignatius vero Traiano Augusto Imperante, martyrij certamen certavit, & paulo ante mortem eam epistolam, quam hic liber citat, conscripsit. Quatuor his argumentis controversa dissolvere studet Theodorus, efficitque pro virili, legitimum illum esse magni Dionysij partum. Hæc omnia neque plura de hoc Theoro Photius, qui dum eum pro virili effecisse indicat, legitimum S. Dionysij partum pluribus Antiquorum monumentis comprobasse necesse est, rejectis cunctis in contrarium etiam hocce tempore opponi solitis. „ Extaret utinam (subdit ad laudatum Photij ex Bibliothecâ locum ejus interpres Andreas Schottus è nostra civitate oriundus) „ Theodorus iste de legitimis B. Dionysij Areopagitæ libris; aut „ quam vellem inde ἐν ἐπιτομῇ excerpta Photius, ut alibi minus fortasse „ necessaria, repræsentasset. Quoniam verò nostræ tempestatis sectarij „ eadem reciprocando iterant, ac veluti ab inferis revocant, quatuor „ hisce argumentis breviter respondebo. Copiosius alij, ut ad Hil- „ duini Caroli Magni æqualis Areopagitica Mattheus Galenus, & ad „ Pachymere paraphrasin Godefr. Tilmannus: denique tomo 2. An- „ nalium Ecclesiasticorum ad annum Christi 109. Illustriss. Cæsar Ba- „ ronius, sanè de omni sacra Antiquitate, atque adeo militante in ter- „ ris Ecclesiâ Dei Sponsa optimè meritus. Primò igitur à SS. Patribus „ nunquam advocari B. Dionysium inficiamur. Laudat enim frequen- „ ter B. Cyrillus Alexandrinus, Origenes, Damascenus, Agatho, & „ Gregorius I. Pontifices, aliique. Nam & Maximus Martyr, Mi- „ chaël Singelus, & Georgius Pachymerius non modo defendunt à „ calumnijs, sed & scholijs eruditis illustrant. Adde quod infrà quo- „ que in non recenti opere sanctis Scriptoribus adnumeratus legatur. „ 2. Eusebij Pamphylij silentium suspectum meritò esse debet, quod „ Arianismo infectus ille, ejus scripta recensere idcircò cavit, quia „ vel uno S. Dionysio Arij causam jugulari posse videret. 3. Cæremo- „ nias verò ritusque Ecclesiæ jam inde ab Apostolorum temporibus „ exortas, ac veluti per manus traditas in Ecclesiam promanasse, at- „ que in hæc usque tempora apud pios homines perdurasse, nemo „ negabit, nisi qui ab Ecclesiâ Catholicâ Romanâ desciscentes in no- „ vatorum castra transfugerunt. Docetque copiosè Franciscus Tur-

Andreas Schottus.

 rianus

„ rianús noster, itemque Baronius Card. tomo 1. Annalium de Edes-
„ fenis agens. 4. Quod verò B. Ignatij Martyris epistolam citet, qui
„ Traiano Imperante Martyr obijt, nemini mirum videbitur, qui
„ ex eodem illo Baronio B. Dionysium ad ea usque tempora perve-
„ nisse, certò cognorit. Sed nos de his αὐθις copiosius libro de
„ scriptis SS. Patrum in dubium revocatis, ac vindicatis. Huc usque
Schottus, qui num accuratius præstiterit, quod hic compendiosè
retulit se remittens ad librum de scriptis Patrum in dubium revoca-
tis, nondum mihi constat, quæsivi etenim laudatum librum nec in-
ter Schotti Opera typis excusum reperi, etiam Patres Societatis adij,
qui Schotti manuscripta possident, & hac de re instructi esse debe-
rent, nec inveni: unde crederem Schottum laudatum sibi libellum
quidem proposuisse, nunquam tamen elucubrasse. Quidquid sit &
ipsa Schotti responsa indigent ulteriori tractatu, & cum suppleant
Photij defectum in refellendis adversariorum argumentis juxtà men-
tem antiquissimi illius Theodori Presbyteri, adjuvanda sunt alijs An-
tiquorum monimentis & priscorum Patrum testimonijs.

167. Prima itaque objectio, quæ olim in Ecclesiâ tempore Theodori
audita fuit, & ab Hypatio Metropolita Ephesino in collatione Con-
stantinopolitanâ renovata est, nunc verò passim refricari solet, uti &
à Joanne Launoio refricata extitit, quod nemo antiquorum Patrum
nec ipse Eusebius aut post eum Hieronymus meminerint Scriptorum
Dionysij: cui objectioni satisfecit Theodorus Presbyter teste Photio,
& post eum S. Maximus Abbas & Martyr Græcorum doctissimus in
Apologia sua pro scriptis Dionysij ante mille annos *Dicendum* (in-
quiens) *Eusebium quidem quam-plurima omisisse, quæ ad manus eius non per-
venerunt. Etenim nec prorsus omnia se collegisse ait: qui potius profitetur libros,
qui ad se non pervenerunt numero esse superiores. Et sanè multos memorare pos-
sem, quos minimè habuit, & hos quidem suæ regionis, ut Hymenæi & Narcissi,
qui Hierosolymis Sacerdotes fuerunt. Ego quidem sanè in aliquos Hymenæi libros
incidi. Sed nec Pantæni opera descripsit, neque Clementis Romani, nisi duarum
dumtaxat epistolarum, sed nec aliorum plurimorum. Nam Origenes, nescio an om-
nium, vix sanè quatuor mentionem facit.* Hæc, ni fallor, abundè demon-
strant, argumentum ex silentio Eusebij desumptum nimium pro-
bare, & consequenter esse nullum: & reverà mirari lubet Joan-
nem Launoium continuò ex argumento negativo procedere, qui adeo
frequenter in re sibi contrariâ adversarios suos ex locis communibus
argumentantes etiam in hac de Dionysio controversiâ refellit: quantò
verius

S. Maximus.

verius autem ex silentio Eusebij & aliorum argumentum desumens ipse hic refelli possit, testatur in primis Eusebius, qui libro 5. Historiæ, cap. 26. scribit ex versione Christophorsoni: *Aliorum item penè infinitorum lucubrationes, quorum vel tempora scriptis mandare, vel memoriam rerum gestarum persequi (præsertim cum nulla oblata sit occasio) importunum propè videretur, & quanquam alij libri aliorum multorum Ecclesiasticorum Scriptorum verè de religione & fide sentientium (sicut cuiusque expositiones in sacram Scripturam editæ commonstrant) ad nos pervenerunt: tamen quia actores eorum nobis ideò incogniti sunt, quod illorum nomina in libris minimè inscripta reperiuntur, istorum nomina recensere non possumus.* An Eusebius inter lucubrationem infinitorum penè Scriptorum etiam sponté omiserit opera Dionysij Areopagitæ, vel quod librorum istorum materia non spectaret ad suum institutum, vel quod nomen auctoris non haberent annexum, quis dicet? quis iterum certò affirmabit, Eusebium, qui tot opera suorum, quæ S. Maximus recenset, non habuisse videtur, habuisse opera Dionysij? quidquid sit, cum ex silentio Eusebij malè concludatur, Dionysium Areopagitam non scripsisse libros, ponamus Eusebium vel sponté, vel ex ignorantiâ illos prætermisisse, malè adducitur in confirmationem D. Hieronymus, qui in libro Scriptorum Ecclesiasticorum illos dumtaxat refert, qui ab Eusebio memorantur, additis iis, qui post Eusebium ad sua usque tempora floruerunt. Quid mirum ergo, quod post Eusebium D. Hieronymus non meminerit operum S. Dionysij? Quod verò adferatur, SS. Patres non meminisci operum S. Dionysij, respondit Petrus de Halloix, rarissimè loca citari à SS. Patribus, addique posset cum Bellarmino, opera illa alicubi latuisse, ut multa alia sæpè longo tempore delitescunt, pro quo sufficiat hic adjungere testimonium Suidæ authoris Greci ante aliquot sæcula: *Sciendum est autem, quosdam Profanos sapientes, ac maximè Proclum sententiis atque inventis B. Dionysij sæpè esse usos, atque etiam iisdem verbis. Unde suspicari licet vetustiores Athenis Philosophos opera eius, quorum ipse in epistola ad Timotheum meminit, suffuratos occultasse, ut ipsi divinorum eius sermonum auctores haberentur.* Hæc Suidas ad primam objectionem.

Eusebius. Suidas.

268. Secunda aut potiùs tertia obiectio tempore Theodori Presbyteri facta, & nunc temporis renovata, est de cæremoniis & ritibus, cui satisfecit Theodorus Presbyter, & post ipsum breviter & succinctè Andreas Schottus suprà in notis ad Photium, ac cum Baronio Antonius Possevinus in Apparatu sacro verbo Dionysius. Addo plerosque ritus ab Apostolis promanasse, altaria olim & templa extitisse in ipsamet

met urbe Româ, ubi tyrannorum rabies acriùs sæviebat, unde & S. Petrus Cluniacensis adversùs Petrobrusianos Hæreticos primorum sæculorum altaria & loca sacra denegantes: *Nonne & nos ipsi Romæ posui frequenter vidimus in Cryptis antiquissimis oratoria & altaria, qualia eo tempore fieri poterant, quæ ab eodem Apostolo* (Petro scilicet) *constructa & sanctificata (sicut per successionem fama consentiens, ac celeberrima protestatur) in monumentum tantæ sanctitatis fidelibus ostenduntur.* Extant ad hæc tempora altaria & loca sacra subterranea, quæ Romæ invisuntur, & quid vetat ad ista altaria, dum Sacrosanctum Missæ Sacrificium offerebatur, cæremonias quasdam ut thuris incensionem, aliaque in maiorem venerationem adhibita à fidelibus? Quid hic obest tyrannorum sævitia, ubi fideles ista peragebant in locis subterraneis vel occultis non modò Romæ, sed ubique terrarum? quid insuper obest tempori Areopagitæ excludi à Sacrosancto Missæ Sacrificio energumenos & cathecumenos, cùm id adeò Apostolico instituto conveniat, ut Tertullianus, qui circà annum 200. floruit, scribat, Hæreticis proprium esse sine discrimine omnes ad Sacra admittere præsentes: *In primis* (inquit lib. de Præscriptionibus cap. 41.) *quis catechumenus, quis fidelis, incertum est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant.* Quid dicam de Monachis, quid de aliis, quæ obiiciuntur, & primis Ecclesiæ sæculis in usu fuisse, certa sunt? mirum profectò, si ab instituto primitivæ Ecclesiæ aliena fuissent, id non vidissent sæculo 6. non soli Romanæ Ecclesiæ Pontifices, sed & Græcorum Patriarchæ, & doctissimi Patres in Synodis Generalibus adunati, de quibus statim infrà.

Petr. Cluniacensis.

Tertullian.

269. Postrema obiectio, quæ tempore Theodori ultimò fuit proposita, nunc verò à Launoio ante omnia urgetur, est illud ex libro de divinis Nominibus spectans ad citationem S. Ignatij Martyris; cui post Theodorum satisfecit Schottus ex Eminentissimi Cardinalis Baronij Annalibus, qui tomo 2. ad annum 109. è variis Martyrologiis ostenderat, Dionysium non sub Domitiano, sed sub Hadriano Imperatore obiisse. Sic habet Vetus Romanorum Martyrologium diu à Baronio desideratum, & post eius mortem editum ab Heriberto Rosweido ad 5. nonas Octob. *Athenis, Dionysij Areopagitæ sub Hadriano diversis tormentis passi.* Consonat Flavius Dexter, vel quicumque est Auctor Chronici ad annum Christi 130. & Romæ 881. *Sanctus M. Marcellus Eugenius Toletanorum Episcopus, Sancti Clementis legatus ad Gallias Profectus, causâ communicandorum cum Dionysio gravium negotiorum Tolosæ prædicat, & eius urbis Episcopus creatur post necem sancti Saturnini eius urbis Episcopi & Martyris? inde*

Martyrol. Romanum

Chronicon Flavij Dextri nomine

inde profectus sciens Martyrium S. Dionysij condiscipuli sui, id ille celebrat elegantissimo carmine, & propè Lutetiam à Satellitibus Traiani Hadriani, cui ipse carus fuit, pro fidei Patrocinio iugulatur: Cum enim Chronici auctor narret, S. Marcellum Toletanum Episcopum sub Hadriano propè Parisios captum, & in itinere intellexisse mortem S. Dionysij, ipsum quoque Dionysium sub Hadriano Martyrio occubuisse indicat. Idem habet Venerabilis Beda in Martyrologio, ad 3. Octobris: *Natale S. Dionysij Areopagitæ, qui ab Apostolo Paulo instructus credidit Christo, & primus Athenis ab eodem Apostolo Episcopus est ordinatus, & sub Hadriano Principe post clarissimam confessionem fidei, post gravissima tormentorum genera, glorioso Martyrio coronatur.* Eadem repetit Ado Viennensis in Martyrologio ad 5. nonas Octobris, & addit: *Ut Aristides Atheniensis vir fide, sapientiáque mirabilis testis est in eo opere, quod de religione Christiana composuit.* Hujus Aristidis meminit Eusebius libro 4. cap. 3. asserens, apologiam suam pro fide Adriano Imperatori dedicasse, ut ex hoc manifestum sit, Dionysium passum fuisse sub Hadriano, adeoque post Ignatium, qui vivente Traiano jam passus erat.

Bedæ

Ado Viennensis.

270. Scio Sirmondum dissertatione de duobus Dionysijs cap. 8. prætendere, in antiquis Galliæ Martyrologijs non haberi illud, *sub Hadriano Principe.* Sed quid tum? id habet Beda vir gravissimus, & post Bedam id testari Aristidem, scripsit Ado Viennensis Episcopus, & similiter Martyrologium S. Marij Badonensis in Bibliothecâ Mazarinâ servatum. Item Notkerus in Martyrologio, aliique habentes hæc verba: *sub Hadriano.* Hos secutus est novissimè Antonius Possevinus tomo 1. Apparatus sacri in Dionysio scribens cum Baronio, divinâ providentiâ factum, ut plures Apostorum Discipuli diutissimè vixerint, & inter eos fuisse Dionysium Areopagitam, qui cum scribit ad Apollophanem, se tempore mortis Domini habuisse annos 25 „ Si (inquit Possevinus) „ ad Hadriani Imperium dixerimus pervenisse, id „ quod asserunt antiqua Martyrologia, efficitur necessariò, ut valde „ senex obierit. Sanè Suidas plenum dierum migrasse ex hac vita scri- „ bit, qui fuit annus Christi 109. Anacleti Papæ 7. & Hadriani Im- „ peratoris 10. „ Neque obsunt, quæ Jacobus Sirmondus suprà collegit ex temporibus Quadrati, Publij, & Dionysij. Licet enim ponamus, Dionysium non venisse in Gallias, & suo Episcopatu non cessisse ante obitum, adhuc potuit Dionysius pertigisse ad tempora Hadriani Imperatoris, & successori ejus Publio substitui Quadratus, quem Jacobus Sirmondus erravit obtulisse libellum apologeticum

Dionysius Areopagita

 anno

anno Imperij Hadriani sexto, cum Princeps Athenis hyemabat, enimverò bis Hadrianum hyemasse Athenis, scribit Eusebius in Chronico, nec prima vice Quadratum obtulisse libellum apologeticum, sed pluribus annis posteà, clarissimè insinuat Eusebius, ut vidimus in Chronotaxi ad annum 123. hoc autem clarè confirmat D. Hieronymus lib. de Scriptorib. in Quadrato: *Quadratus Apostolorum Discipulus, Publio Athenarum Episcopo ob Christi fidem Martyrio coronato, in locum eius substituitur, & Ecclesiam grandi terrore dispersam, fide & industriâ suâ congregat. Cumque Hadrianus Athenis exegisset Hyemem invisens Eleusinam, & omnibus penè Græciæ sacris initiatus, dedisset occasionem his, qui Christianos oderant, absque præcepto Imperatoris vexare, porrexit ei librum pro religione nostra.* Notanda sunt verba Hieronymi: insinuat enim primò, persecutionem exortam postquam jam Hadrianus exegisset hyemem Athenis, cum autem in illa persecutione mortuus esse potuerit Publius, eligi debuit Quadratus diu posteà, nec potuit Hadriano prima vice hyemem Athenis exigenti libellum tradere. Meminit Hieronymus, id contigisse cum Eleusinam inviseret, cum autem Imperator secunda vice Athenis hyemem egisset anno 15. Imperij, scribit Eusebius: *Eleusina invisit.* Annotat autem Mireus in Chronico Eusebij ad Apologiam Quadrati. *Marianus Schottus hæc ipsa refert ad annum Christi* 132. Et habet S. Prosperi Chronicon, id contigisse sub Consulibus Pontiano & Ruffino, qui concurrunt cum anno 15. Hadriani & Domini 131. ut hinc clarè appareat, non anno 6. sed diu posteà Quadratum Hadriano obtulisse Apologeticum, sicque Ratio Sirmondi fugit de nimis restricto Episcopatus Publij termino. Enimverò potuit initio Imperij Hadriani Martyrio affici Dionysius, ac substitui in ejus locum Publius, qui cum exorta sub Hadriano persecutione occubuisset post 8. vel 10. annorum Episcopatum, potuit durante persecutione circà illud tempus, quo Hadrianus secundò Athenis hyemabat, oratione coram habitâ Apologeticum offerre Quadratus iam primò in Publij locum electus, qui ut insinuat Hieronymus Ecclesiam grandi terrore dispersam congregabat. quod si quisquam hæc non sufficere crederet & anno 6. Imperij Hadriani apologiam obtulisse Quadratum prætenderet, hinc non sequetur, Dionysium sub Hadriano non occubuisse. Enimverò quid vetat anno 1. Imperij Hadriani occubuisse Dionysium, & anno 6. Publium in persecutione Martyrio coronatum, ut cum Princeps Athenis hyemabat, à Quadrato Publij successore noviter electo adiretur, & editâ pro Christianis Apologiâ idem Adrianus mitior reddi-

Hieronym.

Eusebius.

Mireus.

redditus sit. Hęc enim quid absurdi aut inconveniens contineant, nullanus video: potuerunt Romani Pontifices post unum annum Pontificatus Martyrio occumbi, non potuit Publius post tres, quatuorve annos? potuerunt intrà 5. aut sex annos quatuor eligi Pontifices, non potuit post Episcopatum Dionysij morte sua Episcopatum Atheniensem reliquisse Quadrato Publius intrà quinque aut sex annorum spatium? Videant hic aliquod inconveniens qui possunt, ego certè nullum video, quinimò facillimè potuisse contingere, sub Hadriano Dionysium finisse Episcopatum, & post Publium Dionysij successorem suum inchoasse Quadratum, liberè profiteor, & tam diu urgebo, quamdiu Bedæ Martyrologium antiquissimo Romano consentiens id fatebitur, & Adonis Martyrologium non convincetur falsitatis testando, Aristidem, qui sub Hadriano Imperatore post annum 120. floruit, id scriptum reliquisse.

171. Licet præterita æquo judicio modum ponant, ponatur tamen, S. Dionysium non quidem sub Hadriano, sed sub Domitiano mortuum fuisse, quod hinc non sequetur, opera Dionysij esse plenè conficta, ante mille annos docuit S. Maximus in Scholijs ad Dionysium, eo quod nimirum illa verba de S. Ignatio inserta fuerunt operibus S. Dionysij. Pluribus id contendit Petrus de Halloix quæstione 2. in vitam S. Dionysij, ostenditque locum Dionysij melius procedere sine Ignatij citatione, quinimò perversè ex margine in textum irrepisse, aut ab impostore aliquo insertum fuisse. Neque hoc mirum videri debet contigisse in operibus Dionysij Areopagitæ, cum plura Veterum scripta interpolata fuisse, ostendant tot Apocrypha antiquorum opera, & ipse Dionysius Corinthius id de suis litteris factum deploret apud Eusebium lib. 4. cap. 22. idem in ipsis Scripturæ Evangelijs & libris priora sæcula deplorare coacta fuêre: quid mirum ergo, quod in operibus Dionysij id contigisset? Utinam extaret jam Theodorus ille Presbyter à Photio in Bibliothecâ memoratus, forsan appareret, quandonam intrusum fuerit illud de Ignatij epistolâ testimonium, & manifestum fieret, S. Maximum Abbatem & Martyrem Græcorum doctissimum absque fundamento non statuisse, quod ipsum statuisse de interpolato testimonio vidimus suprà. Hoc ipsum verba Dionysij indicare, suadet ex libro 4. de Divinis Nominibus locus, ubi contendit nomen amoris locum habere in divinis, idque constare ex Scripturis. *Ama illam* (inquit Scriptura) *& conservabit te. Aggeribus circumda illam, & exaltabit te. Honora eam, ut te amplectatur. Et quæcumque*

Dionysius Areopagita.

cumque alia amatorus in scriptura sermonibus celebrantur. Atque in primis scripturæ institutionibus aliquem invenies de Divina Sapientia dicentem: amator factus sum formæ illius. Ita ut hoc ipsum amoris nomen non reformidemus. Mihi enim videntur Theologi commune existimare Caritatis & Amoris nomen. Hic habes verba Dionysij optimè sibi cohærentia absque eo, quod testimonium Ignatij insertum sit: quod si inseras, ut habent vulgatæ editiones post illud verbum *dicentem*, quis tam hebes, qui non videat malè inter testimonia Scripturæ positum esse testimonium Ignatij, & non potius ab aliquo interpolatum locum Dionysij, qui dum Scripturas veteris Testamenti enumerare cœpit, non nisi post illas Ignatium adduxisset, si adducere voluisset. Et hinc patet, hæc opera hic & inde potuisse interpolari, prout plurima interpolata fuêre Antiquorum scripta, quæ sufficiant pro refellendis adversariorum argumentis.

ARTICULUS II.

Proferuntur fundamenta pro genuinis S. Dionysij Operibus.

272. *Favent Dionysij Operibus plurima Antiquorum testimonia: Theodori Presbyteri, Auctoris Canonum Arabicorum, Episcoporum in Collatione Constantinopolitana anno 532. Leontij Byzantini, Anastasij Sinaitæ, aliorumque.*

273. *Septimo sæculo Andreas Cretensis, Sophronius, S. Maximus, Synodus Lateranensis sub Martino I. ubi & probata sunt.*

274. *Etiam in Oriente hæc Opera extitisse ostendit Synodus Generalis 6. ex quâ & refellitur Launoius.*

275. *Vltrà citata testimonia extant alia Iobij Monachi, S. Ioannis Damasceni, Pauli primi, Hadriani I. Ioannis Scoti, Anastasij Bibliothecarij, Synodi Generalis octavæ, Hincmari Remensis & aliorum.*

276. *Non sine Ecclesiæ scandalo, Lutherum cœpisse impugnare hæc Opera, lucet ex Povelli testimonio, & Censurâ Sorbonæ Parisiensis.*

277. *Esse quidem plures Eruditos, qui dubitandum existiment, cùm tamen admittant Auctorem Operum esse piissimum & doctissimum, verisimilius concluditur, quod Auctore Dionysio Areopagita confecta sint, licet hinc & inde interpolata esse potuerint.*

272. PRimum sibi locum vindicat Theodorus Presbyter Scriptor planè antiquus, qui teste Photio Cod. 1. Opera hæc Dionysij esse

sij esse pro virili effecit. Antiquus quoque est Collector Canonum Arabicorum, qui sub nomine Concilij Nicæni circumferuntur, & in cap. 31. mentio fit unius ex Orationibus Dionysij Areopagitæ, *Orando*, inquit, *super eum Orationem Dionysij Areopagitæ*. Antiqui sunt Severiani Episcopi, qui anno 532. in Collatione Constantinopolitanâ adduxerunt hæc Opera Dionysij Areopagitæ, quæ licet Hypatius Metropolita Ephesinus cum quibusdam alijs ignorasse videantur, agnoverunt illa alij æquè illustres Episcopi. Et in primis Leontius Bysantinus Episcopus libro 2. contrà Nestorium & Eutychetem, qui dum in præfatione promisisset Catalogum Veterum, quorum testimonijs usus est, statim posteà à Dionysio exordium facit: *Dionysij Areopagitæ ætatis Apostolorum ex libro de Divinis nominibus*. Et Leontio æqualis S. Anastasius Sinaita Episcopus & Patriarcha Antiochenus libro 7. Anagogicarum contemplationum in Hexaëmeron initio: *Celeberrimus ergo & rerum Divinarum Mysta Apostolicus Dionysius Doctor in Sapientissima sua Theologia, quod Deus dicitur* Θεὸς. Et Acephali apud liberatum Carthaginensis Ecclesiæ Diaconum in Breviario. *Cyrillus quatuor libros scripsit, tres adversus Theodorum & Diodorum, quasi Nestoriani dogmatis auctores, & alium de Incarnatione librum: in quibus continentur antiquorum Patrum incorrupta testimonia Felicis Papæ Romani, Dionysij Areopagitæ Corinthiorum Episcopi, & Gregorij Mirabilis.* Scio Catholicæ veritatis defensores libros suprapositos apud Liberatum abjudicasse Cyrillo Alexandrino, at hoc non obest, quo minus habeatur in Liberato, laudatos libros, cujuscumque tandem sint, incorrupta continuisse Dionysij Areopagitæ testimonia. Scribit demum S. Gregorius Magnus homilia 34. in Evangelia: *Fertur verò Dionysius Areopagita antiquus videlicet & venerabilis Pater dicere, quod ex minorum angelorum agminibus foras ad explendum ministerium, vel visibiliter, vel invisibiliter mittuntur.* Et hæc omnia ex testimonijs ab anno 500. ad annum 600. quorum ultimum de S. Gregorio Magno licet Launoius prò sese alleget, ac si cum hæsitatione procedat, nemo tamen eum pro operibus Dionysij Areopagitæ negabit, qui non obstante quorumdam ante sua tempora contradictione, iis accedit, qui operibus Dionysij favebant, nisi enim accederet, nec citasset, nec in dicti sui testimonium & confirmationem adduxisset.

Canones Arabici Nicæni.

Leontius Bysantin.

S. Anastasius Sinaita.

Acephali apud Liberatum.

S. Gregor.

273. Quod si sæculum sextum non sufficiat, Patres septimi sæculi testimonium suum addant, cui non nisi balbutiendo hucusque responsum fuit: post annum 600. floruisse fertur Andreas Cæsareensis in Cappadociâ Episcopus, qui in caput 17. Apocalypsios serm. 10.

Andreas Cretensis. exponit inferiorum Angelorum à prioribus dependentiam *juxta seriem Angelorum ab Dionysio definitam.* Et post illum eodem sæculo Sophronius Patriarcha Ierosolymitanus in epistolâ Synodicâ, quam se legisse scribit in Bibliothecâ Codice 231. Photius: *Legi epistolam Synodicam Sophronij Patriarchæ Ierosolymitani Honorio Romano Imperatori missam.* Errat Photius in Imperatore, nam scripsit istam epistolam Sophronius ad Honorium Romanum tunc temporis Pontificem, & in ea inter plures Patres citatus erat *Dionysius copiosus quidem verbis, copiosior tamen speculatione, discipulus S. Pauli, Christi Martyr, Athenienfium Episcopus.* Post Sophronium ad sæculi 7. medium floruit S. Maximus Martyr & Græcorum sui temporis facilè princeps, qui adeò Monothelitas in Oriente debellavit, sed & Scholijs doctissimis illustravit, & Præfatione apologeticâ contra impugnatores vindicavit asserens inter alia, & ipsa Dionysij Opera in Bibliotheca Romanorum Pontificum suo tempore extasse: *Diaconus quidam Romanus nomine Petrus mihi narravit, omnia divini Dionysij Opera Romæ in Scriptorum sacrorum Bibliothecâ servari.* Hocque verissimum fuisse, lucet ex Lateranensi sub Martino Papa I. centum & quinque Episcoporum Synodo, in quâ anno 149. actione 3. non modò citata sunt loca S. Dionysij ex libro de Divinis Nominibus,& epistolâ ad Gajum, sed etiam probata sunt à Martino primo & totius Occidentis Synodo, cum S. Pontifex dixit: *Codicem S. Dionysij Episcopi Athenienfis hi, quorum interest, actis deducant. Theophilactus Primicerius notariorum Apostolicæ Sedis dixit: secundum iussionem vestræ Beatitudinis afferens de venerabili Bibliothecâ Sedis vestræ Codicem B. Dionysij, præ manibus habeo: quid præcipitis? Martinus sanctissimus ac beatissimus Episcopus S. Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ urbis Romæ dixit: Codex B. Dionysij suscipiatur, & de epistola, quæ ibidem deposita est, ad Gaium directa, locus ille ordinabiliter, de quo agitur, cuius mentionem fecerit Cyrus in suo capitulo ad approbationem novitatis eius, coram S. Concilio relegatur.* Lectus est epistolæ locus, & apparuit Dionysij Areopagitæ sententia à Sergio Episcopo Constantinopolitano in favorem Monothelismi depravata, de quo multam animi tristitiam coram Concilio exponit S. Martinus Papa primus, ex quo certissimum est, & Opera Dionysij Areopagitæ recepta fuisse à Sede Apostolicâ, & servata in Bibliothecâ Pontificiâ, ut ante audivimus à S. Maximo.

Sophron. apud Photium,

S. Maxim.

Concilium Lateranen. sub Martino I. Secret. 3.

274. Ne verò credatur, solummodò in Occidente hæc Opera extitisse, etiam Orientis Bibliothecæ his operibus instructæ fuerunt: cum enim S. Agatho Papa in suggestione ad Heraclium & Tiberium Augu-

Augustos contrà Monothelitas adduxisset S. Dionysij testimonium, hæcque suggestio relecta fuisset in Concilio Generali sexto, actione 6. Georgius Patriarcha Constantinopolitanus interrogatus ab Imperatore Constantino, num admittat suggestionem S. Agathonis? statim reposuit: *Scrutans libros Sanctorum ac probabilium Patrum, qui repositi in venerabili meo Patriarchio, inveni cuncta testimonia Sanctorum & probabilium Patrum, quæ in eisdem suggestionibus continentur, consonantia.* Sicque actione 8. de Patriarchio Constantinopolitano prolatus est Codex *S. Dionysij Episcopi Atheniensis & Martyris.* Et collata ex eo testimonia libri de Divinis Nominibus, & epistolæ ad Gaium, cum iis, quæ citata erant ex iisdem. Ut iam luce clariùs appareat, præcipuas Occidentis & Orientis Ecclesias circà annum 650. habuisse Opera D. Dionysij, eaque non tantum à Sede Apostolicâ, sed & à totius Occidentis Synodo, & universo totius Orbis Concilio fuisse in authoritatem admissa, cui dum Joannes Launoius opusculo de libris Dionysij Areopagitæ occurrere conatur, se ipsum ineluctabili difficultati immergit: „ in Lateranensi „ Concilio (inquit Launoius) & in sextâ Synodo libri Dionysij in- „ scripti laudantur, sed nullâ inquisitione factâ, utrùm sint illius, „ laudantur. „ At quid tum, numquid anteà sufficienter inquisitum erat, an hæc Opera Dionysij forent? num S. Maximus Abbas & Martyr id antecedenter non præstarat? num totius Occidentis & Orientis Patriarchæ ac Episcopi ignorabant, quid de operibus Dionysij sentiendum erat? absint similia, quibus orbis universus imperitiæ arguitur circa illa, quæ isto tempore à S. Maximo tractata ignorare non potuit. Nec ad rem facit adductum Honorij exemplum, in ejus enim sententiâ non erravit Orbis universus, sed Oriens dumtaxat contradicente Sede Apostolicâ & Maximo Martyre cum plerisque Orientis & Occidentis sub Martino Papâ in Lateranensi Synodo adunatis Episcopis. Tanti momenti profectò Concilij Constantinopolitani hac in re judicium existimavit Sixtus Senensis, ut in Bibliotheca libro 2. id unum sufficere existimet ad vindicanda sua Dionysio Areopagitæ Opera, ut adversarijs ante 100. annos reposuit: „ agnovit ac venerata est prædicta Opera, tanquam veros ac pro- „ prios Dionysij fœtus Concilium 3. Constantinopolitanum annis ab- „ hinc suprà nongentis, in cujus actis horum testimonia sub nomine „ sanctissimi Dionysij Areopagitæ pluries ad confutandos hæreticos „ inducuntur. „

Gregorius Patriarcha Constant.

Synodus 6. Actione 8.

Launoius.

Sixtus Senensis.

275. Quid post tam illustria testimonia alios authores congeram?

 refert

refert Photius in Bibliotheca sub Codice 222. Opera Iobij Monachi, qui libro 6. commentariorum de Verbo Incarnato post adductum Pauli testimonium addit : *Huiusque Germanus Discipulus, sapiens ille Dionysius iisdem propemodum testata verbis reliquit, maximè ubi de perfecto & uno agit.* Agit autem libro de Divinis Nominibus cap. 13. Floruit & sæculo octavo Ioannes Damascenus, qui libro de Orthodoxa Fide capite 17. testatum reliquit : *Quemadmodum autem ait, sanctissimus & Theologorum maximus Dionysius Areopagita, omnis Theologia sive Scriptura Cælestis substantias novem nominavit.* Claruit & ante annum 760. Paulus primus Pontifex Romanus, & inter argumenta epistolarum, quæ à Baronio ex Bibliothecâ Vaticanâ memorantur, extat argumentum epistolæ 18. vel alias 25. per quam *mittit libros aliquos Pippino, atque inter cæteros Dionysii Areopagitæ libros Græcè conscriptos.* Extat epistola in Codice Carolino editionis Gretserianæ, & argumentum citatum ex Baronio tomo 6. Conciliorum inseruit Philippus Labbé. Floruit & anno 787. Hadrianus Papa primus, qui in epistola ad Carolum Magnum de Imaginibus pro Synodo Generali 7. obiectioni, quod *nunquam ab Apostolis exemplis aut verbis, ut illi garriunt, imagines adorare institutum sit,* sic respondet : *S. Dionysius Areopagita, qui & Episcopus Athenensis valdè nimirum laudatus est à sancto Gregorio Papa, confirmante eum antiquum Patrem & Doctorem esse. Iste sub temporibus Apostolorum fuit, & in Actibus Apostolorum monstratur. Vnde & à prædictis sanctissimis Prædecessoribus nostris Pontificibus nostris, eius confirmata sunt veridica testimonia.* Quid illustrius? inter cætera affert nominatim epistolam ad S. Joannem & librum de cęlesti Militia aut Hierarchia. Claruit & anno 800. Joannes Scotus S. Benedicti Monachus & Venerabilis Bedæ auditor, qui in epistola ad Carolum Calvum : *Christo Duce, qui est lux mentium & illuminat abscondita tenebrarum, libros S. Patris Dionysii Areopagitæ Episcopi Athenarum, quos scripsit ad Timotheum Ephesinum Episcopum, & epistolas eiusdem de Græco in Latinum transtulimus.* Post medium sæculi 9. Anastasius Bibliothecarius in litteris ad Carolum Imperatorem scribens de libris Dionysij, quod *celsa scripta sua* contexuit. Interfuit hic Anastasius Synodo Generali 8. quam & ipsa Dionysij opera amplexam fuisse, exhibet Canon eius primus, qui constitutiones Patrum veneratur *ut secunda eloquia secundum magnum & sapientissimum Dionysium.* Hunc enim Dionysium esse Areopagitam cujus opera jam per omnem Ecclesiam erant famosissima, rectè animadvertit Christianus Lupus in Scholio addens, „ apud Synodum præsentem fuisse „ summæ authoritatis.„ Ea quoque admiserunt Photius in Oriente & Hinc-

Iobius Monachus.

S. Ioannes Damascen.

Paulus I.

Hadrianus primus.

Ven. Bedæ.

Can. 1. Syn. 8.

Christian. Lupus.

Hincmarus Remensis in Occidente duo præstantissima sui sæculi ingenia, & post illos Suidas auctor Græcus omnia scripta Dionysij enumerans, Georgius Pachimerius sub Michaële Paleogo, qui Scholia in Dionysium Areopagitam confecit. Hugo de S. Victore, Albertus Magnus, D. Bonaventura, S.Thomas, Dionysius Carthusianus, Schotus, Alexander Alensis, Joannis Picus Marandula, Marsilius Ficinus, & ut centenos alios prætercam Eminentissimi Cardinales Baronius in Annalibus, & Bellarminus libro de Scriptoribus dicens, de operibus S. Dionysij Viros doctos & Catholicos nihil dubitare, Sixtus Senensis in Bibliotheca id adeò certum existimans, ut argumenta solvere neglexerit adversariorum: Antonius Possevinus in Apparatu sacro non solùm cum Sigeberto & Trithemio enumerans scripta Dionysij Areopagitæ, sed cum Andrea Scotto refellens quoque cuncta obiici solita, & addens nullam esse Bibliothecam, quæ divini hujus Viri scripta tanquam preciosissimas gemmas non custodierit, & in Appendice ad tomum primum addit „ vix quempiam licet pervicacissimum eidem „ Dionysio jure posse oblatrare, si diligenter ejus scripta perlegerit. „ Quid ulteriùs? id adeò constanter defenderunt tractatores Catholici, ut solem facibus adjuvare sit, huic rei ulterius inhærere.

Antonius Possevin.

276. Post decem sæculorum continuatam sententiam primus calcaneum erigere cœpit hæreticorum signifer Lutherus, sed quanto Ecclesiæ scandalo, lucet ex Povelli testimonio apud D. Bail tomo 2. Summæ Conciliorum, & ex sacræ Parisiensis Facultatis censurâ in eundem Lutherum anno 1521. quam exhibet idem Dominus Bailius Tomo 1. Classe 3. in Præludiis ad Concilium Tridentinum: cùm enim Sorbona Parisiensis adduxisset propositionem Lutheri: *atque mihi in totum displicet tantum tribui Dionysio illi, cùm fermè nihil in eo sit solidæ eruditionis.* Addit libro de Cælesti Hierarchiâ, esse somniis similem, librum de Theologiâ Mysticâ esse perniciosissimum, in quo Dionysius est *plus Platonizans quàm Christianizans.* Et librum de Ecclesiasticâ Hierarchiâ ritus Ecclesiasticos describere, ludendo *allegoriis suis, quæ sunt otiosorum hominum studia.* Ad quæ omnia Vniversitas Parisiensis hanc censuram adnectit: *Hæc propositio est falsa, temerariè & arroganter asserta, ac Viro sancto insigni eruditione claro iniuria: quem Damascenus Divinum Areopagitam Pauli Discipulum, Sacerrimum & Dei Loquentissimum appellat*; An recentiores quidam Doctores Universitatis Parisiensis Matris suæ judicio concordent circà Dionysij Opera, ipsimet videant, non sic profectò Facultas Parisiensis citasset S. Damascenum, nisi illi accedens Librorum auctorem

Lutherus.

Sorbonæ Parisiensis Censura in Lutherum anno 1521.

thorem Dionysium Areopagitam credidisset.

277. Scio quidem Viros eruditos non citare Dionysium Areopagitam Athenienſem aut Parisienſem Episcopum, ſed vel magnum Dionysium cum Petavio, vel cum Lupo in cap. 41. Tertulliani de Præſcriptionibus *antiquum ac eruditum Auctorem*, quod dubitandum existiment de authore, non tamen de authoris eruditione, quæ tanta fuit, ut ſacra Parisienſis Facultas Lutheri calumnias ut falſas & temerarias rejecerit, utpotè *Viro ſancto inſigni eruditione claro* injurioſas; idque, ut perſpiciatur, tantùm oculi iniiciendi ſunt in libros, qui eruditiſſimi ſunt omni pietate & doctrinâ referti, longèque ab omni hæreſi & errore alieni, ut auctor non ſolùm Vir ſanctus, ſed ut Sorbona Parisienſis judicavit, eruditione inſigni quoque præclarus fuerit, quod ſufficit ad præſcribendum contrà adverſarios circà Dionyſij Opera juxtà illud Tertulliani de Præſcriptionibus hæreticorum: *nemo mentitur in ſuum dedecus, ſed honorem.* ſi enim hoc univerſim prolatum ſit à Tertulliano, quantò magis locum habebit in horum operum auctore tam pio & erudito, qui libro de Eccleſiasticâ Hierarchiâ meminit, ſe præceptorem habuiſſe S. Paulum, epiſtolâ ad Apollophanem Philoſophum teſtatur ſe obſervaſſe eclipſim, quæ contigit in Paſſione Domini, ac cum tunc miraretur rem præter ordinem naturæ adeò miraculoſam, poſtmodum à Paulo hac de re edoctum manus dediſſe Catholicæ Fidei: habet alia plura, quibus oſtendit ſe non ſolùm vixiſſe temporibus Apoſtolorum, ſed etiam revera eſſe Dionyſium illum Areopagitam à Paulo Athenis converſum, quæ omnia auctor mentitus fuiſſet in ſuum dedecus, ſi erudita iſta Opera Dionyſio Areopagitæ affinxiſſet, & ſimulaſſet contra proprium honorem, quod adeò abſonum videbatur S. Maximo Abbati Græcorum doctiſſimo, ut vel ex hoc fundamento Opera Dionyſio Areopagitæ vindicanda cenſuit; idque poſt eum Baronius & Antonius Poſſevinus adeò verum exiſtimant, ut ſcripſerint: „ Indigniſſimum porrò ac nefas fuerit exiſtimare tam ſublimem „ & mente divinitus illuſtratum Theologum cæli cardines perambu„ lantem, choros Angelicos perveſtigantem, Divinitatis thronum ad„ euntem tanquam ludionem in ſchena ſuperinductâ larvâ ludere.

Tertull.

Antonius Poſſevinus

ARTI-

ARTICULUS III.

De Episcopatu S. Dionysij Areopagitæ.

278. *Prima sententia in Gallijs à pluribus jam sæculis recepta sustinet, Dionysium Areopagitam à Clemente in Gallias missum, idque ex Clementis ad Iacobum epistola sustinent plures antiquiores.*

279. *Postquam ventilari cœpit hæc quæstio, id sustinent Methodius, Michaël Syncellus, Ludovicus Pius Galliarum & Occidentis Imperator, Hilduinus S. Dionysij Abbas, Anastasius Bibliothecarius, Hincmarus Remensis, Hugo Flaviacensis, & alij.*

280. *Primus in Gallijs obstitit Abailardus S. Dionysij Monachus hanc ob rem è monasterio eiectus, post quem iterùm confirmarunt plures, Dionysium Areopagitam fuisse Parisiensem Episcopum.*

281. *Verum longè recentior opinio est, quæ statuit Dionysium Areopagitam Parisiensem Episcopum, eaque contra antiquiores, qui scribunt Areopagitam aut Martyrio Athenis occubuisse, aut Atheniensem Episcopum extitisse.*

282. *Pluribus id confirmat Iacobus Sirmondus in Annotatione ad Ludovici Pii epistolam, quæ tantum specimen est respectu eorum, quæ alibi contra Areopagitæ Parisiensem Episcopatum tractat.*

283. *Citat Hilduinus pro se Eusebium, Aristarchum, & Visbium, & quia Eusebius non tractat de Episcopatu Parisiensi Dionysij, hoc eis imponere scribit Launoius, cui consonat Sirmondus existimans, neminem ante Hilduinum istius meminisse, quod tamen non probatur, cum ante Hilduinum antiquiora pro Episcopatu Parisiensi Areopagitæ monumenta extiterint, quæ equidem supposititia habentur.*

284. *Quod supposititia sint, probat Sirmondus ex Sulpicio Severo & Gregorio Turonensi.*

285. *Illud subindè confirmat Ioannes Launoius ex Martyrologijs Bedæ & Romanæ Ecclesiæ perantiquo, Vsuardo, Adone Viennensi, & Fulberto Carnotensi Episcopo.*

286. *Addit Sirmondus Martyrologia Galliæ, quæ Launoius enumerat.*

287. *Complura alia fundamenta adferuntur & signanter testimonium Innocentij III. quo ostenditur, hanc de Areopagitæ Episcopatu contentionem relinqui à Sede Apostolicâ disputationi fidelium.*

288. *Proferuntur ex modernis, qui sentiunt Dionysium nunquam venisse in Gallias*

Gallias & inter illos Baronius & Bellarminus afferuntur à Launoio, qui elogium horum Cardinalium vel invitus conscripsit.

278. HÆc est secunda de Dionysio difficultas, eaque gravissimè in Sorbona Parisiensi nunc temporis agitari solita, utrum Dionysius Areopagita in Gallias missus primus Parisiensium Episcopus factus sit? Variant sententiæ, quarum una negat alia affirmat, quæ ultima à plerisque sæculis invaluit in Gallijs, ut Dionysius Areopagita sit ille ipse, qui à Clemente Papâ cum Rustico, Eleutherio aliisque socijs missus fuit in Gallias, & Parisiorum Episcopus effectus ibidem martyr occubuit, ubi in Monte Martyrum ad latus civitatis sito huc usque ejus crypta invisitur. Favet primò epistola Clementis I. ad Jacobum Apostolum & primum Ierosolymorum Episcopum, in qua narratur, à Petro ante obitum præceptum, Episcopos mitti per singulas civitates, *Quod* (inquit Clemens à Petro inchoatum & perfici præceptum) *etiam facere inchoavimus, & Domino opem ferente facturi sumus. Vos autem per vestras Diœceses Episcopos sacrate, & mittite, quia nos ad alias partes, quod idem jussit, agere curabimus. Aliquos verò ad Gallias Hispaniasque mittemus.* Hocque reipsa executioni mandatum ostendit Ivo Carnotensis in Chronico manuscripto, quod extat in Bibliotheca Regis Angliæ. *Cleto Papæ Clemens successit. Iste est Clemens Papa sapientissimus atque sanctissimus, qui magnificos viros in Gallijs ad collocandum destinavit Dominicæ Fidei fundamentum Lugdunensibus Fotinum, Narbonæ Paulum, Turonis Gratianum, Cenomannis Iulianum, & alios per quos per illas Regiones fidei Doctrina profecit, & immensæ multitudinis populus ab idolorum cultura discessit.* Et post Ivonem Hugo de S. Victore in Codice Manuscripto ex Bibliothecâ Ecclesiæ Lichfeldensis. *Iste est Clemens Papa sanctissimus atque sapientissimus, qui multos Viros magnificos ad collocandum Dominicæ Fidei fundamentum destinavit, Lugdunensibus Fotinum, Turonensibus Gratianum, & alios perplures.* Ne verò quisquam putaret, inter alios perplures non extitisse Dionysium Areopagitam, præsto est Flavius Lucius Dexter, quem S. Hieronymo æqualem faciunt, in Chronico ad annum 110. *Haud multò post S. Dionysius Areopagita Hispanias invisit, ut Legatus à B. Clemente totius Occidentis ordinatus.* Et æqualis Gregorio Turonensi Venantius Fortunatus in Hymno de B. Dionysio, cujus meminerat Hilduinus Abbas, & nostro sæculo luci datus est per Jacobum Dubletium libro 1. Antiquitatum:

Clemens.

Ivo Carnotensis,

Hugo de S. Victore.

Lucius Dexter.

Cali

Fortem fidelem militem	*Clemente Roma Præsule*	Venantius.
Cæli secutum Principem,	*Ab urbe missus adsuit:*	
Dionysium Martyrem	*Verbi superni seminis*	
Plebs corde, voce personet.	*Vt fructus esset Galliæ.*	

Omitto cætera Venantij, quæ de S. Dionysij in Gallijs Martyrio tractant, addens Venerabilem Bedam ad 9. Octobris ita testantem: *Apud Parisium natale sanctorum Martyrum Dionysij Episcopi, Eleutherij Presbyteri, & Rustici Diaconi. Qui B. Episcopus à Pontifice Clemente Romano in Gallias directus, ut prædicationis operam populis à fide Christi alienis exhiberet, tandem ad Parisiorum Civitatem devenit, & per annos aliquot sanctum opus fideliter & ardenter executus à præfecto Fescennino Sisinnio comprehensus est, & cum eo S. Presbyter Eleutherius & Rusticus Diaconus gladio animadversi martyrium compleverunt.* Beda.

279. Et hæc quidem, antequam quæstio de Dionysio moveri cœpit in Gallijs, postquam autem ea res cœperat inter Græcos & Francos diligentiùs examinari sæculo 9. fuisse hanc Latinorum & Græcorum unanimem sententiam, fidem faciunt S. Methodius in Martyrio Dionysij, quod *Athenis Romam cælesti ac divinâ ductus voluntate, tanquam Deo dilectus transmeavit:* & infrà: *Misso in Aquitaniæ partes Saturnino, ipse cum S. Luciano & S. Rustico & S. Eleutherio ad urbem Parisios profectus est.* Hæc S. Methodius tractans de Martyrio S. Dionysij, cui consonat Michaël Syncellus Presbyter Ierosolymitanus Panegyricum tractans eiusdem sancti: *Et cum iam annuntiatum esset persecutoribus in urbeculâ Parisijs appellatâ eum esse, cursim insecuti eum inibi comprehenderunt.* Floruerunt duo illi martyres eo tempore, quo Theophilus Iconoclasta sæviebat in Oriente, & Ludovicus Pius Imperator in Occidente res & acta sancti Dionysij Areopagitæ & Parisiensis Episcopi circa annum 834. perquirebat, scribens ad Hilduinum Abbatem S. Dionysij, qualiter omnes sui prædecessores Dagobertus, Carolus, Pipinus, Carolomannus, & sui ipsius Genitor Carolus S. Dionysium venerati fuêre, seque ob beneficia ab eodem S. obtenta desiderare, ut Hilduinus Abbas, *Quidquid de eius notitia ex Græcorum historijs per interpretationem sumptum, vel quod ex libris ab eo Patrio sermone conscriptis, & auctoritatis nostræ iussione ac tuo sagaci studio interpretumque sudore in nostram linguam explicatis, huic negotio inseri fueris congruum, quodque etiam Latinis Codicibus jam inde habes inventum, adiunctis eis, quæ in libello eius passionis continentur, nec non illis, quæ in Tomis vel Chartis vetustissimis armarij Parisiacæ Ecclesiæ, sacræ videlicet sedis tuæ, prolatis inveneras, & obtutibus nostræ Serenitatis ostenderas, secundum quod rerum, causarum etiam & temporum convenientiam noveris, in* S.Method. Mich Syncellus. Ludovicus Pius.

corpus unum redigas. Hæc Ludovicus Pius, cujus mandato ex tot enumeratis antiquorum monimentis obtemperavit Hilduinus S. Dionysij Abbas, qui editis de Dionysio cunctis suo tempore repertis, non solùm Dionysium Areopagitam Martyrem & primum Parisiensem Episcopum probavit, sed & contrarium sentientes refellit addens inter alia, se tam ex antiquissimis quorumdam Scriptorum monumentis, quam ex maiorum suorum continuatis Traditionibus accepisse: *Dionysium subrogato sibi Episcopo Romam adisse, & (ut compererunt) apud Gallorum gentem glorioso martyrio consummatum fuisse. Quod & Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus per legatos suos sollicitè inquisivit, & ita se eam rem habere certus, eandem Atheniensium civitatem Pallio Archiepiscopali.... redonavit.* Hæc Hilduinus Abbas, cui Anastasius Bibliothecarius consonat scribens ad Carolum Calvum: *Cesset ergo jam quorumdam opinio perhibentium, non esse Areopagitam Dionysium eum, qui prope Parisium corpore ac virtutibus redolet: cum hoc quoque & Græcorum stilus cum Latina lingua concordans testetur & predicet:* & coëvus Hincmarus Metropolita Remensis in epistolâ ad eundem Carolum, scribens se mittere hac de re scriptorum exemplar: *Vt si quæ sint illorum reliquiæ, qui negabant Dominum & Patrem nostrum patronum vestrum Dionysium esse Areopagitam à B. Paulo Apostolo baptizatum, & Atheniensium ordinatum Episcopum, & in Gallias à Beato Clemente directum ex his, quæ Græca testificatio & sancta Sedis Romanæ attestatio, & Gallicana intimat contestatio, ratum esse in hac causâ, quod longè ante nos dictum est, recognoscant. Quia veritas sæpè exagitata magis splendescit in lucem.* Hincmarum subsecutus est Hugo Flaviniacensis Abbas in Chronico Virdunensi edito per Labbeum: Clemens *S. Dionysium destinavit Galliarum Populis &c.* Narrat plenius historiam, & idem plerique alij amplexi sunt.

Hilduinus. Anastasius Bibliothecarius. Hincmar. Remensis. HugoFlav.

280. Lapidem, inquiunt, contrà torrentem movere ausus erat Abailardus, qui cùm Monachus esset in Regali Monasterio D. Dionysij in Franciâ, odium omnium incurrit, atque ab Abbate suo ejectus est è Monasterio, hinc qui Dionysium alium nunc temporis ab Areopagita faciunt, accensentur ab hujus sententiæ Scriptoribus Abailardo, quem tot errorum reum devicit Mellifluus Gallicanæ Ecclesiæ Doctor Bernardus, & contrà quem exclamat epist. 189. volare eius libros plenos veneno & novitatibus, eum urbibus & castellis pro luce tenebras proponere, inter quas intellexisse illud de Dionysio, licet non in terminis scribat Bernardus, sufficienter tamen colligitur ex S. Petro Cluniacensi D. Bernardo familiarissimo, qui libro adversùs Petrobrusianos inter Galliæ Apostolos refert, *Parisiis Dionysium.* Concordant ex Græcis ultrà

PetrusCluniacensis.

citatos

citatos Simeon Metaphrastes, Nicephorus Calistus, & quod majoris momenti est, Menæum Græcorum ad 3. Octobris scribens, Dionysium Areopagitam ad partes Occidentales profectum & *multis inibi patratis miraculis, in urbe Parisiis capite plectitur*. Ex Latinis Vincentius Bellouacensis, S. Antoninus, Petrus Equilinus Episcopus, Genebrardus, & Baronius, quorum sententiam ex antiquis Breviariis & Martyrologiis præter plures alios, adeò firmiter novissimè propugnavit D. Bail Parisiensis Propœnitentiarius, ut ferè adversarios nec audiri voluit, & exclamet, eos contrà Traditionem omnium sæculorum, & contrà torrentem niti, Templum Dei fumo obnubilare conati. Ita tomo 2. Summæ Conciliorum in Controversiâ post Concilium Gallicanum in Regali Monasterio sancti Dionysij (non anno 1050, sed 1052, ut observat Gabriel Cossartius tomo 9. Conciliorum) celebratum occasione Monachorum Ratisbonensium, qui dum sese furtim ablatum Corpus S. Dionysij habere allegabant, eoq; invento, Reliquias elevare prætenderent; præcepit Henricus Rex hoc Concilium convenire, quod inventis in Monasterio S. Dionysij eiusdem & S. Rustici & Eleutheri Corporibus, ibidē adhuc esse, non verò furtim sublata judicavit. Ita ex Rigordio Franciæ Historico apud D. Bail, ut ex Anonymo Scriptore Cossartius qui cum Philippo Labbeo Concilia edidit, tomo 9. Addit D. Bail similem contentionem inter Canonicos Ecclesiæ Parisiensis, & Monachos Sandionysianos, de qua Parlamenti Parisiensis Arrestum extat apud Advocatum Pasquierum in Disquisitionibus Galliæ, quo dictum est, Monachos Sandionysianos possidere Corpus Areopagitæ, Canonicos Corpus Dionysij Corinthiorum Episcopi, sicque videmus usque nunc existimare Parisienses Dionysium, quem colunt, esse Areopagitam.

Mæneum Græcor.

Concilium Galliæ.

281. Verum longè recentior est opinio, Dionysium venisse in Gallias, & minoribus Veterum authoritatibus roborata illa extitit, quam illa de operibus Dionysio Areopagitæ inscriptis. Hæc enim jam olim post operum detectionem statim invaluit per omnem Ecclesiam, illa verò de adventu Dionysij in Gallias, octavo præcipuè sæculo audiri cœpit, ut jam videbimus. Habet quidem epistola Clementis Papæ ad Iacobum, missum in Gallias Dionysium, sed hæc epistola missa ad Iacobum fuit, postquam Iacobus diu obierat, quod epistolæ suppositionem arguit, præterquam, quod Philippus Labbeus tomo 1. Collectionis maximæ annotarit, posteriorem epistolæ partem, ubi de missione Episcoporum in Gallias agitur, non haberi in quibusdam Codicibus, & additam esse circà annum 800. quod, quia posteriores non animad-

verterunt, errori causam præbuit: enimverò Dionysius Areopagita primis Ecclesiæ sæculis nunquam habitus fuit Parisiensis Episcopus: eum *primum Atheniensis Ecclesiæ Episcopatum administrasse*, scribit apud Eusebium libro 4. cap. 22. Dionysius Corinthiorum Episcopus, & de eo quoque testatur Aristides Atheniensis Philosophus, qui tempore Dionysij Areopagitæ floruit: Dionysius Areopagita cum Damari uxore sua credens baptizatus est. Hic postmodum ut Aristides Atheniensis Asserit ab eodem Apostolo (Paulo) *Atheniensibus ordinatus est, & post varia virtutum insignia insigni martyrio coronatus est.* Ita apud Ordericum vitalem lib. 2. historiæ Ecclesiasticæ, & consentit teste Hilduino in Areopagiticis numero 10. Martyrologium Constantinopolitanum: *In quo diem natalitij eius designatum, & quia Atheniensium Episcopus fuerit, reperimus notatum.* Consonat Menologium Sirleti, 5. nonas Octob. *Certamen sancti Patris nostri Areopagitæ Episcopi Athenarum*, & antiquissimum Martyrologiũ Romanum ad 5. nonas Octob. *Athenis Dionysij Areopagitæ sub Hadriano diversis tormentis passi.* Et S. Sophronius in epistola ad Honorium Papam apud Photium Cod. 231. *Dionysius copiosus quidem verbis, copiosior tamen speculatione, Discipulus S. Pauli, Christi martyr, Atheniensium Episcopus.* Et in Synodo Lateranensi sanctus Martinus Papa I. Secretario 3. *Codicem S. Dionysij Episcopi Atheniensis hi, quorum interest, actis deducant.* Et in Synodo Generali sexta prolatus est actione 8. *Codex S. Dionysij Episcopi Atheniensis & Martyris*, & Venerabilis Beda in Martyrologio ad 3. Octobris: *Natale S. Dionysii Areopagitæ, qui ab Apostolo Paulo instructus credidit Christo, & primus Athenis ab eodem Apostolo Episcopus est ordinatus, & sub Hadriano Principe post clarissimam confessionem fidei, post gravissima tormentorum genera glorioso Martyrio coronatur.* Eadem planè habet Ado Viennensis, qui in testem adducit Aristidem Atheniensem Philosophum Dionysio æqualem, cujus memini suprà ex Orderico Vitali: quæ omnia ostendunt verum attegisse Christianum Lupum, cum scripsit, Dionysium Areopagitam non Parisiensem sed Athenarum Episcopum primis Ecclesiæ sæculis vocatum.

Dionysius Corinthiorum. *Aristides.* *Hilduinus* *Menolog. Sirleti.* *Martyrol. Romanum* *Sophron.* *Martinus I. in Synodo Lateranẽs.* *Synodus 6.* *Beda.*

282. His accessit Jacobus Sirmondus, qui dum in Concilijs Galliæ adduceret Ludovici Pii ad Hilduinum epistolam, qua jubet Imperator, ut ille vitam Sancti Dionysij conscribat, uti vidimus suprà, addidit hanc notam Ludovici Pii epistolæ: „ *Ludovici epistola ad Hilduinum*: præmitti solet Hilduini Abbatis sancti Dionysij Areopagiticis. Hujus enim epistolæ mandato Hilduinus Areopagitica sua scripsit, primusque omnium Dionysium Parisiensem eundem cum Dionysio Areopagita Episcopo Atheniensium esse docuit, cum ab omnibus

Sirmondus

„ nibus anteà distinguerentur; adeo ut in antiquis nunc etiam omnium
„ Ecclesiarum Galliæ Martyrologijs alius dies natali Dionysij Athe-
„ niensis adsignetur 5. nonas Octobris, alius natali Dionysij Parisien-
„ sis 7. idus eiusdem mensis: atque hoc ipsum utriusque natalis dis-
„ crimen observat etiam in Martyrologio suo Usuardus, qui paulò
„ ante Hilduinum Carolo Magno regnante in ipsa Parisiorum urbe
„ scribebat in Monasterio S. Germani, ubi & vetusta ejus operis, quæ
„ rei fidem faciant, exemplaria servantur. Gallorum autem de Dio-
„ nysio suo sententiam ignorasse vel dissimulasse Usuardum, quis cre-
„ dat? Joannes denique Eriugena, seu Scotus eius ævi scriptor in epi-
„ stola ad Carolum Calvum, quam Latinæ Græcorum Dionysij ope-
„ rum versioni suæ præfixit, ad hanc Hilduini de unico Dionysio no-
„ vam tum sententiam alludens, non veterum sed moderni, hoc est
„ sui temporis hominum assertionem fuisse ait. Tam multa porrò, &
„ tam aperta sunt, quæ Dionysium Parisiensem ab Atheniensi distin-
„ guant, ut mirum sit reperiri aliquos, qui in tanta luce nihil vide-
„ ant. Reclamant tamen, & ut duos Dionysios in unum redigant,
„ vehementer contendunt, nec contrà rem discuti, aut in quæstionem
„ vocari patiuntur: quasi Parisiensium parum sit providere, ut quam
„ Apostolo suo gratiam debent, eam alieno ne tribuant, aut in Eccle-
„ sia levis sit injuria, cum duos sanctitate præstantes Episcopos ha-
„ beant, alterum detrahere. „ Hæc in Gallicanorum Conciliorum
editione Sirmondus, quæ ut observat Launoius in Pręfatione de duo- Launoius.
bus Dionysijs, ita displicuere nonnullis dignitate primarijs, ut chartæ
folium ubi erat observatio, recudi debuerit, atque ab eo sublatum sit,
quod displicuerat. Postmodum tamen Concilia Sirmondi cum lau-
data observatione passim vendita Parisijs, consequenter insinuat, quod
eo usque post acerrimam hac de re in Gallijs disputationem invaluit,
ut Philippus Labbeus in eâ Conciliorum omnium editione, quæ
Parisijs anno 1671. prodiit, tomo 7. laudatam Sirmondi notam post
Ludovici Pii epistolam exhibeat, addens hæc quædam præludia esse,
„ " Si cum iis compares, quæ idem eruditissimus ætatis nostræ Scriptor Labbeus.
„ Sirmondus in cultissimo libello de duobus Dionysijs conscripsit,
„ & post eum alij quam-plurimi utramque in partem magnis animo-
„ rum contentionibus depreliantes. „ Hæc Labbeus respiciens ad Io-
annem Launoium, Morinum, Bosquetum aliosque cum Sirmondo sen-
tientes, de quorum fundamentis hoc sit judicium.

283. Scribit Hilduinus epistolâ ad cunctos Ecclesiæ Catholicæ
filios

filios, si quis curiosiùs de Dionysio Areopagitâ primo Parisiensium Episcopo scire voluerit, *Eusebij Cæsareensis Historiam, & Aristarchi Græcorum Chronographi ad Onesiphorum Primerium epistolam, & Visbij conscriptionem perquiras & relegas.* Verum cum Eusebius ne verbum quidem de Areopagitæ in Gallias adventu aut Parisiensi Episcopatu habeat, sicut de Eusebio ita & Aristarcho & Visbio errare Hilduinum, scribit Launoius in libello, cui titulus *de Areopagiticis judicium*, additque, istos auctores fingi, quorum nemo præter Hilduinum meminit, vel istis auctoribus ut Eusebio affingi, quod tractent Dionysium Areopagitam fuisse Parisiensem Episcopum: huic consonat Sirmondus suprà scribens neminem ante Hilduinum istius meminisci. Verum ut ingenuè edicam, quæ sentio, putarem, Hilduinum primum non extitisse: enimverò de Visbio habet in rescripto ad Imperatorem Hilduinus: *Præcipuè tamen conscriptio Visbij, quæ in tomo satis superque abdito, Parisius divino nutu inventa.* Neque hoc Hilduinum fingere, testatur epistola Ludovici Pii ad eundem, ubi mandat in vita S. Dionysij adjungi illa, *quæ in tomis vel chartis vetustissimis armarij Parisiacæ Ecclesiæ, sacræ videlicet sedis suæ prolatis inveneras, & obtutibus nostræ Serenitatis ostenderas.* Patet jam ni fallor, non solùm Hilduinum vidisse tomum illum satis abditum Visbij, sed Ludovicum quoque Imperatorem. At quid hæreo in Visbio, nunquid fatetur Hincmarus Metropolita Remensis in epistolâ ad Carolum Imperatorem se in Inventute sua à Wandelmaro Clerico & Abbate, *quaterniunculos valdè contritos, & quæ in eis scripta fuerant, penè deleta*, obtinuisse, eaque se descripsisse de Dionysio in Gallias à S. Clemente cum alijs directo. *Qui prædicando & sermonem confirmando sequentibus signis Parisios ducente Domino pervenit*, addit Dionysij Martyrium, ejusque Agonis Historiam per Sanctinum & Antoninum Sedi Apostolicæ indicatam, & per Romanos certiores reddi debuisse Athenienses. Non inficior hæc acta videri suppositicia, ut pluribus evincit Launoius, hæc enim hic non prætendo genuina, sed Hilduino antiquiora: ut pateat tam horum quaterniunculorum auctorem, quàm Visbium, Hilduino antiquiores esse, Hilduinum tamen præcipuè opinionem de uno Dionysio renovasse ex scriptis apocryphis, ut & post Hilduinum Methodius Româ Constantinopolim directus eamdem Dionysij Historiam ex Hilduini scriptis compilarit, testante Baronio ad annum 834: Methodium Hilduini operâ Dionysij historiam Græcè scripsisse, eamque iterùm Latinitate donasse Anastasium Bibliothecarium, cum scribit in epistola ad Carolum Calvum: *Passionem S. Hi-*

Hilduinus.

Hilduinus.

Ludovicus Pius.

Hincmar. Remensis.

S. Hieromartyris Dionysij quondam Areopagitæ postque Athenarum Antistitis, quam Romæ legi cum puer essem, quamque à Constantinopolitanis Legatis audietam secundum jussionem vestram diu quæsitam, tandemque in maximo Cœnobiorum Romæ sitorum repertam, etiam inter diversos languores positus, accepto interpretandi certamine, Latino eloquio tradidi. Et de his demum locutum Hincmarum Metropolitam Remensem in epistolâ ad Carolum Imperatorem: *Lectâ B. Dionysij Passione à Methodio Constantinopolim Româ directo Græcè dictata, & ab Anastasio utriusque linguæ perito, & undecumque doctissimo sanctæ Sedis Apostolicæ Bibliothecario Latinè conscripta.* Ex quibus apparet ad quænam hæc subsequentia Hincmari verba aspiciant: *Vt si quæ sunt illorum reliquiæ, qui negabant Dominum & Patrem nostrum Patronum vestrum Dionysium esse Areopagitam à B. Paulo Apostolo baptizatum, & Atheniensium ordinatum Episcopum, & in Gallias à Beato Clemente directum, ex his, quæ Græca testificatio, & sanctæ Sedis Romanæ attestatio, & Gallicanæ intimat contestatio & in hac causa, quod longè ante nos dictum est recognoscant, quia veritas sæpiùs exagitata magis splendescit in lucem.* „ Testificatio Græca „ (subdit Launoius) ad originem recensa sistit in Methodio, Romanæ „ Sedis attestatio in Anastasio, & Gallicana contestatio in Hilduino, „ sed ita sistit ut Græca testificatio, & Romanæ Sedis attestatio ab „ Hilduini unius fide pendeant. „ Cum autem Hilduini fundamenta genuina non sint, facilè assentior, Hilduini scriptis alios in errorem inductos non modò Methodium, Sincellum, & Metaphrastem Græcos, sed & Anastasium, Hincmarum Remensem, quinimò Æneam ipsum Parisiensem tractatum adversus Græcos ita incipiendo: *Æneas Parisiensis urbis Episcopus, quo primus præsedit S. Dionysius à Paulo Apostolo Atheniensium consecratus Archiepiscopus, sed à Clemente totius Galliæ constitutus Apostolus.* Edidit hunc tractatum Lucas d'Acherius in Spicilegijs, & ante eum, locum citatum laudaverat Sirmondus.

Anastasius Bibliothecarius.

Hincmar. Remensis.

Launoius.

Æneas Parisiensis.

284. Habet idem Sirmondus dissertatione de duobus Dionysijs, capite primò præcipuum fundamentum ex Severo lib. 2. sacræ Historiæ, ubi persecutionem commemorat, quæ Antonini Veri temporibus Lugdunensem Ecclesiam & Viennensem duodequinquaginta Martyrum sanguine illustravit, martyresque ante id tempus in Galliâ nullos fuisse testatus est: *Sub Aurelio Antonini filio persecutio quinta agitata. Ac tum primum intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes Dei religione susceptâ.* Quod si martyres Gallia M. Aurelio antiquiores nullos habuit, & Dionysium Parisiensem in Galliâ passum nemo nesciat, liquet profectò, diversum ac posteriorem Areopagita fuisse, qui Parisijs

Sulpicius Severus.

occu-

occubuit. Addit Sirmondus cap. 2. testimonium Gregorij Turonensis Episcopi, qui libro 1. Historiæ cap. 26. ex actis sancti Saturnini fideliter ad sua tempora servatis scribit, sub Decio dumtaxat, hoc est post annum Christi 250. S. Dionysium aliosque in Gallias venisse: *Hujus* (inquit cap. 28. Decij) *tempore septem viri Episcopi ordinati ad prædicandum in Gallias missi sunt, sicut historia passionis sancti Saturnini martyris denarrat. Ait enim sub Decio & Grato Consulibus, sicut fideli recordatione retinetur, primum ac summum Tolosana civitas sanctum Saturninum habere cœperat sacerdotem. Hi ergo missi sunt, Turonicis Gatianus Episcopus, Arelatensibus Trophimus Episcopus, Narbonæ Paulus Episcopus, Tolosæ Saturninus Episcopus, Parisiacis Dionysius Episcopus, Arvernis Austremonius Episcopus, Lemovicis Martialis est destinatus Episcopus. De his verò B. Dionysius Parisiorum Episcopus diversis pro Christi nomine affectus pœnis, præsentem vitam gladio imminente finivit.* Hæc ex ipsius Saturnini Episcopi actis referendo S. Gregorius Turonicus sæculo 6. suum fecit, cujus authoritatem omni studio & conatu vindicandam existimant Sirmondus, Launoius, Morinus, & quotquot Dionysium Parisiensem ab Atheniensi Areopagitâ distinguunt, asseruntque verè Tertulliani testimonium de fide in Gallijs receptâ posse admitti, cum teste Sulpitio jam ab anno 163. sub Aurelio Vero martyres extiterint, & Tertullianus tantummodo circà annum 200. scripserit.

Gregorius Turonensis

285. Addit Launoius Martyrologia antiquissima, ex sæculo 7. Venerabilis Bedæ in Martyrologio inter ipsius opera edito 5. nonas Octobris: *Natale sancti Dionysii Areopagitæ, qui ab Apostolo Paulo instructus credidit Christo, & primus Athenis ab eodem Apostolo Episcopus est ordinatus, & sub Adriano principe post clarissimam confessionem fidei, post gravissima tormentorum genera glorioso Martyrio coronatur.* & 7. idus Octobris: *Apud Parisium natale sanctorum Martyrum Dionisii Episcopi, Eleutherij Presbyteri, & Rustici Diaconi.* Addit Beda, à Clemente in Gallias hunc Dionysium directum fuisse, sed adjectum Clementis nomen ostenditur, nisi velis aliquem alium Dionysium ab Areopagitâ juxtà Bedam in Gallias missum. Accedit Martyrologium Romanum antiquissimum à Rosweido editum, quem Codicem Ado venerabilem & perantiquum appellat: 5. Nonas Octobris *Athenis Dionysij Areopagitæ sub Adriano diversis tormentis passi, ut Aristides testis est in opere, quod de Christianâ Religione composuit: hoc opus apud Athenienses inter Antiquorum memorias clarissimum tenetur.* & 7. Idus Octobris: *Parisiis Dionysij Episcopi cum sociis suis à Fescennino gladio animadversi.* Et sæculo octavo Usuardus Monachus sancti Germani Parisiensis in

Martyrol. Bedæ.

Martyrol. Romanum

Mar-

Martyrologio, quod jussu Caroli Magni composuit. *Calendis Octobris: Civitate Tornaco passio sancti Piatonis Presbyteri & Martyris, qui cum Beato Dionysio, eiusque socijs ab urbe Roma Galliam prædicationis causa expetiit.* Ecce tibi Dionysiũ Comitẽ Piatonis, qui sub Maximiano coronatus est. Et idem Usuardus: *Quinto nonas Octobris: natalis Beati Dionysij Episcopi & Martyris, qui post clarissimam confessionem fidei, post gravissima tormentorum genera glorioso Martyrio coronatus est, ut testatur Aristides Atheniensis, vir fide sapientiâque mirabilis in eo opere, quod de Christianâ religione composuit.* Et 7. idus Octobris: *apud Parisium natalis sanctorum Martyrum Dionysij Episcopi, Rustici Presbyteri, & Eleutherij Diaconi: qui beatus Episcopus à Pontifice Romano in Gallias prædicandi gratia directus ad præfatam urbem advenit, ubi per aliquot annos commissum sibi opus fideliter prosequens, tandem à Præfecto Fescennino una cum socijs suis gladio animadversus Martyrium complevit.* Sæculo 9. Ado Viennensis Episcopus in Martyrologio: 5. *nonas Octobris: natalis sancti Dionysij Areopagitæ, qui ab Apostolo Paulo instructus credidit Christo, & primus apud Athenas ab eodem Apostolo Episcopus est ordinatus, & sub Hadriano Principe post clarissimam confessionem fidei, post gravissima tormentorum genera glorioso Martyrio coronatur, ut Aristides Atheniensis, vir fide sapientiaque mirabilis testis est in eo opere, quod de Christiana religione composuit. Hoc opus apud Athenienses summo genere colitur, & inter antiquorum monimenta clarissimum tenetur, ut peritiores Græci affirmant.* Et 7. idus Octobris. *Apud Parisium natalis sanctorum Martyrum Dionysij Episcopi, Eleutherij Presbyteri, & Rustici Diaconi: qui beatus Episcopus à Pontifice Romano ad Gallias directus &c.* Fulbertus Carnotensis Episcopus, qui & diu Parisijs versatus fuit, dum Cancellarius Roberti Regis erat, in Hymno de S. Piato: *Tornacum versus Piatus se direxit inclytus, cum Parisius iret B. Dionysius.* Et infrà: *at Cæsar Maximianus, ut Piati hausit famam virulentis auribus, comprehendi jussit eum ad necandum protinus.* Et hæc pauca de pluribus.

Usuardus.

Ado Viennensis.

Fulbertus.

286. Habet Iacobus Sirmondus Dissertatione de Duobus Dionysiis aliud argumentum ex omnium Ecclesiarum Gallicanarum Martyrologiis, quæ uno ore sic habent de Areopagitâ 5. Nonas Octobris: *Natale sancti Dionysij Episcopi & Martyris, qui post clarissimam confessionem Fidei, post gravissima tormentorum genera glorioso Martyrio coronatus est, ut testatur Aristides Atheniensis, vir fide sapientiaque mirabilis in eo opere quod de Christianâ Religione composuit.* De Parisiensi verò in hæc verba 7. Idus Octobris: *Apud Parisium natale Sanctorum Martyrum Dionysij Episcopi, Rustici Presbyteri, & Eleutherij Diaconi. Qui beatus Episcopus à Pontifice Romano in Gallias prædicandi gratiâ directus, præfatam urbem advenit. Vbi per aliquot annos commis-*

Martyrol. Galliæ.

sum sibi solerter & ardenter opus persequens, tandem à Præfecto Fescennino una cum socijs gladio animadversus martyrium complevit. Non nominavit Martyrologia Sirmondus, quia omnia Gallicana id afferere testatur. Illa in Responsionis ad dissertationem de duobus Dionysijs discussione producit Joannes Launoius capite 19. ut post sæculum 7. Ecclesiarum Lugdunensis, Remensis, Virdunensis, Arvernensis, Silvanectensis, Atrebatensis, Parisiensis, Rotomagensis, Ebroicensis, Senonensis, Augustodunensis, Aniciensis, Andegavensis, Turonensis, Suessionensis, Ambianensis, Autissiodorensis, Laudunensis, aliarumque tanta multitudine relatarum in Martyrologijs, Hymnis, Litanijs & Calendarijs, ut distinctio duorum Dionysiorum totius Galliæ, sicut Sirmondus scripserat, nunc fusè appareat firmata testimonio.

287. Addit Jacobus Sirmondus alia argumenta, quorum primum est, Dionysij Areopagitæ transitum ab Episcopatu Atheniensi ad Parisiensem Græcis omnibus ignotum olim fuisse ante Methodium, neque Socratem libro 7. cap. 35. in Catalogo Episcoporum translatorum meminisci Dionysij, uti nec Auxilium in libello, quem ad Leonem Nolanum Episcopum scripsit, cap. 22. Hosium proindè in Canone 1. Sardicensi testari, quod *nullus in hac re inventus sit Episcopus, qui de maiore civitate ad minorem transiret*: Neque igitur Dionysius, infert Sirmondus, qui, ne aliquis obiiceret Apostolicæ Sedis authoritatem, etiam Romæ distinctos olim fuisse Dionysios ostendit, nec Areopagitam unquam Parisiensem Episcopum à Romanis Pontificibus vocatum, sed Atheniensem, ut suprà quoque indicavimus. His addit Sirmondus Hadrianum I. epistola ad Carolum Magnum de Imaginibus: *Sanctus Dionysius Areopagita, qui & Episcopus Atheniensis.* Et post Hadrianum Innocentium 3. in literis ad Abbatem & Conventum Dionysij Parisiensis anno Pontificatus 18. conscriptis: *Vtrum gloriosus Martyr & Pontifex Dionysius, cuius venerabile corpus in vestrâ requiescit Ecclesiâ, sit ille censendus, qui Areopagita vocatur ab Apostolo Paulo conversus, diversæ sunt sententiæ diversorum. Quidam namque fatentur, Dionysium Areopagitam in Græcia fuisse mortuum & sepultum, aliumque Dionysium extitisse, qui fidem Christi Francorum populis prædicavit. Alij verò asserunt illum post mortem beati Pauli venisse Romam & à S. Clemente Papa in Galliam destinatum, aliumque fuisse, qui mortuus est in Græcia, & sepultus. Vtrumque tamen egregium in opere & sermone præclarum. Nos neutri volentes præjudicare sententiæ, sed vestrum cupientes Monasterium honorare, sacrum B. Dionysij pignus, quod bonæ memoriæ Petrus sancti Marcelli Cardinalis de Græciâ tulit ad urbem, vobis devotè dirigimus: ut cum utriusque*

Can. 1. Sardicensis.

Adrianus I.

Innocent. III.

utriusque reliquias habueritis, nulla de cætero remaneat dubitatio, quin sacræ beati Dionysij Areopagitæ Reliquiæ apud Monasterium vestrum habeantur. Publicarunt hanc epistolam ex Codice S. Victoris sub num. 873. tomo 1. Aprilis ad 8. ejusdem mensis PP. Henschenius & Papenbrochius, & hæc cum scribat Innocentius tertius, liquidò apparet, quidquid post Hilduinum Anastasius Bibliothecarius, & Hincmarus Remensis scripserint, Sedis Apostolicæ Pontifices disputationi reliquisse hanc de Dionysij in Gallias missionem, pro qua abjudicanda, cum tot militent argumenta, quot extant ferè in Gallijs Martyrologia, totque alia fundamenta reperiantur faventia Dionysij Areopagitæ Martyrio Athenis adepto, ut & Innocentius 3. Reliquias illius è Græcia per Petrum Capuanum Romanæ Ecclesiæ Cardinalem allatas, ad Abbatem & Monachos S. Dionysij miserit in Gallias, quid hic sentiendum sit, Sedis Apostolicæ inprimis judicio, tum & Peritorum sententijs subjicio.

288. Non ignoro Romanum Breviarium hocce tempore secutum esse eorum testimonium, qui Dionysium in Gallias missum à Clemente sustinebant, quod & plures eruditione insignes nostro sæculo defenderunt cum Antonio Possevino in Apparatu sacro: nec ignoro quoque alios amplexos priorem ab Innocentio 3. memoratam sententiam, eamque de factò nunc communem esse in Sorbonâ Parisiensi & Galliâ, cui viam præpararunt Sirmondus tum adnotatione ad Concilia Galliæ, tum in libro de duobus Dionysijs, Joannes Launoius pluribus editis hac de re opusculis anno 1660. Joannes Morinus Presbyter Oratorij parte 2. de sacris Ordinationibus Græcorum, Dionysius Petavius Rationarij temporum partis 1. libro 5. cap. 13. Gratianum, Saturninum, & Dionysium sub eodem Imperatore describens, Bellarminus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in Martiali, quem Socium Dionysij constituunt, cum tamen ut Bellarminus ex Gregorio Turonico scribit, *hic Martialis sub Decio in Gallias venerit.* Ex hoc enim quod Gregorium Turonicum in authoritatem admittat, & posteà ex Sulpitio Severo doceat, *temporibus M. Antonini primum intra Gallias Martyria visa*, sequitur manifestè, Bellarminum existimasse, nec Dionysium Areopagitam in Gallijs Martyrium fuisse adeptum. Affert duos alios Joannes Launoius in animadversionibus ad Joannis Samblacati Palladium, & subdit post citatos Baronium, Bellarminum, Nicolaum Fabrum, & Dionysium Petavium, „ Seligat iste (Samblacatus) „ nobis ex toto orbe Christiano, quos ex his quadrumvis jactatam

Bellarmin.

Launoius.

„ famæ suæ constantiam lubruentibus componat. „ Hæc ille, qui alias ita Cardinalis Baronij, & Bellarmini sententias vilipendendas ducit, quod mecum in aptiorem locum notari expostulo.

CAPUT IV.

De Epistolis S. Ignatij Martyris.

289. *De S. Ignatij Literis scribit S. Polycarpus Smyrnensis Episcopus, cuius testimonium fatetur se legisse Photius: eas numero septem enumerant Eusebius & Hieronymus, iisque accesserunt aliæ quinque simul præterito sæculo impressæ, de quibus Recentiorum proferuntur sententiæ, uti & de tribus Epistolis ad B. Virginem & Ioannem.*

290. *Prima Epistola ad Mariam Cassabolitem, cuius Paulus meminit in epistola ad Romanos. Scribit aliqua S. Ignatius de Anacleti & Clementis Pontificatu, quæ errorem posteris præbuêre.*

291. *Secunda ad Trallianos, cuius meminêre Eusebius & Hieronymus, eius inscriptio Ignatio digna, & exordium meminiscit Polybij Trallianorum Episcopi. Plura attingit de primis Pontificibus & morte Salvatoris, quæ latiùs exponuntur.*

292. *Tertia ad Magnesianos memorata apud Eusebium & Hieronymum, quæ meminiscit Damæ Magnesianorum Episcopi, citat ex ea testimonium Antonius Melissa.*

293. *Quarta ad Tarsenses, quæ incipit ex abrupto cum verbis ex epistolâ forsan ad Romanos desumptis, testimonium ab Anastasio Presbytero allatum non est ex hâc epistolâ.*

294. *Quinta ad Philippenses Eusebio & Hieronymo cognita. Habet locum de celatâ Virginitate* MARIÆ *diabolo, quem citant Origenes & Hieronymus.*

295. *Sexta ad Philadelphienses, & septima ad Smyrneos, quarum meminêre Eusebius & Hieronymus, posterioris ad Smyrneos meminêre plures antiqui Patres. Habet & locum de* CHRISTI *Humanitate, quem laudat Hieronymus. Citatur tamen à Theodoreto locus, qui in hâc epistolâ non extat.*

296. *Octava ad Polycarpum, quæ habet suppositìtiam inscriptionem, & plura alia indicantia non esse eam, cuius meminerunt Eusebius & Hieronymus.*

297. *Nona ad Antiochenos, & decima ad Heronem Ignatio non indignæ.*

298. *Vndecima ad Ephesios, cuius meminêre Eusebius & Hieronymus, & citat ex ea locum S. Athanasius. Habet plura Ignatij stylum sapientia, aliqua tamen inter-*

interpolata, ut illud de effusione sanguinis Ignatij, quod ipsius Martyrium insinuat, & Ignatius non nisi post mortem insinuare poterat

299. *Duodecima Epistola est ad Romanos, quæ omnium certissima est, an una tamen earum fuerit, quas ad Philippenses transmiserit Polycarpus Ignatio æqualis, ignoratur, expenditur interim S.Polycarpi ad Philippenses epistola.*

300. *Ex dictis constare aliquas epistolas interpolatas esse non modò ex duodecim, sed etiam ex septem, quarum meminêrunt Eusebius & Hieronymus, verbo indicatur. De tribus autem sub nomine S.Ignatij ad Deiparam & Ioannem cum communi Recentiorum tanquam suppositiis fertur judicium.*

289. IGnatium Antiochenum Episcopum tot encomijs ab antiquis celebratum scripsisse literas, fidem facit indubitatum testimonium S. Polycarpi Smyrnensis Episcopi & S. Ignatio coetanei, qui in epistola ad Philippenses apud Eusebium lib. 3. cap. 36. in Græcis exemplaribus, & cap. 30. versionis Christophorsoni, disertè scribit: *Ignatij epistolas ad nos ab eo missas, & alias quas apud nos habebamus, ad vos sicuti præcepistis, misimus: quæ quidem sunt huic nostræ epistolæ subjunctæ, è quibus multum percipere poteritis utilitatis. Nam Fidem, Patientiam, & alia quæque ad ædificationem fidei, quæ est in Dominum nostrum, pertinentia complectuntur.* Ignatium epistolas plures scripsisse, refert S. Polycarpus, non tamen eas enumerat, quod eidem epistolæ essent subjunctæ. Eam Polycarpi epistolam suo tempore extasse scribit Eusebius libro 4. cap. 13. eamque & sese legisse fatetur sæculo nono Photius in Bibliothecâ Cod. 126. *Legebatur autem in eodem libello & Polycarpi epistola ad Philippenses multis referta admonitionibus tum perspicuitate ac simplicitate, Ecclesiastici more interpretis. Refert quoque divini Ignatij litteras ad illos se misisse, postulatque certior vicissim fieri, si quid fortè de eo inaudierunt.* An has epistolas à Polycarpo transmissas habuerit Eusebius, non edicit, enumerat tamen loco suprà citato septem S. Ignatij epistolas, *qui ut Smyrnam venit, ubi erat Polycarpus, unam epistolam ad Ecclesiam Ephesinam scribit: in qua Onesimi, qui ibidem Pastor fuit, mentionem facit. Aliam autem Ecclesiæ, quæ erat Magnesiæ (quæ ad Fluvium Meandrum sita est) misit: in qua rursus Daman Episcopum in memoriam redigit. Ecclesiæ item Trallianæ aliam, in qua Polybium, qui tum ibi præfuit, inserit. Ecclesiæ porrò Romanæ dedit litteras, in quibus illos impensè hortatus est, ne martyrium illius deprecando, ipsum spe optata, quam animo habebat, ullo modo privarent.* Et has quidem Smyrna scripsisse epistolas refert Eusebius & pergit: *Iam verò Smyrnâ longius aliquanto profectus ex Troade scribens, non solum cum his, qui erant Philadelphiæ, sed etiam in Ecclesiâ Smyrnensi,*

S. Polycarpus.

Photius.

Eusebius.

& separatim cum Polycarpo, qui illi Ecclesiæ præfuit familiariter per literas collocutus est. Hæc Eusebius, quem subsecutus D. Hieronymus libro de Scriptoribus: *Ignatius Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum Episcopus commovente persecutionem Traiano, damnatus ad bestias Romam vinctus mittitur, cumque navigans Smyrnam venisset, ubi Polycarpus auditor Ioannis Episcopus erat, scripsit unam epistolam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallenses, quartam ad Romanos, & inde egrediens scripsit ad Philadelpheos, & ad Smyrneos, & propriè ad Polycarpum commendans illi Antiochensem Ecclesiam* Et hæc quidem de epistolis, quas enumerat quoque Bellarminus libro de Scriptoribus, ac pergit: „ Præter has inveniuntur „ aliæ quinque ad Mariam Cassabolitem una, ad Antiochenos altera, „ ad Tarsenses tertia, ad Philippenses quarta, ad Heronem quinta. Atque hæ quinque epistolæ, quamvis ad manus Eusebij & Hieronymi „ non pervenerint, tamen ob styli similitudinem, & spiritum verò „ Apostolicum à viris doctis omninò recipiuntur. Tres aliæ circumferuntur, ad B. Virginem Deiparam una, & ad S. Joannem Evangelistam duæ, quibus additur epistola B. Virginis ad Ignatium. Harum primus, (quod sciam) meminit S. Bernardus serm. 7. in Psalmum qui habitat: sed neque in Codicibus Græcis habentur neque gravitatem eloquij S. Ignatij omninò redolent.„ Epistolas Ignatij recenset quoque Eminentissimus Cardinalis Baronius tomo 2. Annalium ad annum 109. ubi scribit eas ad nostram ætatem integras magno Dei beneficio pervenisse, de tribus tamen ad Joannem & Mariam, judicium relinquit lectori: eas omnes enumerat & Antonius Possevinus in Apparatu sacro, ac scribit: „ Licet Hieronymus tantum meminit septem Ignatij epistolarum, duodecim tamen haud dubiæ fidei „ habemus: necdum enim ab Eusebio & Hieronymo potuerant omnes colligi, quemadmodum fit etiam nostra ætate de literis, quæ „ subinde à Martyribus scriptæ tandem ad manus traditæ colliguntur. „ Constat enim certissimè, sicut reliquas, ita eas esse Ignatij, quæ „ Philippus, quæ civitas erat in Macedonia, scriptæ fuerunt ad Antiochenos, ad Heronem, ad Philippenses, ad Mariam Cassabolitem; „ quæ verò tres aliæ feruntur ipsius ad S. Joannem Apostolum, & „ Evangelistam, & ad B. Virginem, cum hujus ad illum epistola, etsi „ non tam certæ fidei sunt, citantur tamen à S. Bernardo, sermone 1. „ in Psal. 90. nec defuere post illum viri docti, qui ipsarum meminerint.„ Demum ut finiam, Petrus de Halloix in Apologia pro epistolis S. Ignatij scribit disertis verbis. „ Epistolarum S. Ignatij inter Catho-

Hieronym.

Card. Bellarminus.

Possevinus

Halloix.

„ Catholicos minimo controversarum Catalogus: ad Mariam vulgò
„ Cassabolitem 1. ad Trallianos 1. ad Magnesios 1. ad Tarsenses 1. ad
„ Philippenses 1. ad Philadelphienses 1. ad Smyrneos 1. ad Polycar-
„ pum 1. ad Antiochenos 1. ad Heronem Ecclesiæ Antiochenæ Dia-
„ conum 1. ad Ephesios 1. ad Romanos 1. Sunt igitur numero 12. in
„ omnibus Græcis exemplaribus à prima editione, itemque in Latinis
„ post earumdem è Valentino Paceo interpretationem, hoc ipso quem
„ posuimus ordine in lucem emisso, quamvis alio conscriptæ. Scio
„ in quibusdam antiquis editionibus addi nonnullas alias, partim ad
„ Virginem Deiparam, partim ad S. Joannem Evangelistam. „ Addit
has non esse æquè certas, & ambiguum esse de illis inter Catholicos
judicium, & hæc quidem de epistolis S. Ignatij antiquorum & recen-
tiorum sententiæ de quibus latiùs à nobis tractandum.

290. Prima epistola ad Mariam vulgò Cassabolitem, cujus quoque meminisse creditur Paulus ad Romanos capite ultimo: *Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis.* Illam enim Mariam fuisse, ad quam scribit Ignatius, hæc eius epistolæ verba indicant: *Ac mihi quidem occurrit dicere, verum esse sermonem, quem de te audivi, cum adhuc Romæ esses apud Beatum Papam Anacletum, cui nunc beatissimus Clemens successit Petri & Pauli auditor.* Vides hanc Mariam Romæ extitisse, ad quam scribit B. Ignatius, qui dum Clementem facit Anacleti successorem, Græcorum errori causam præbuit Cletum cum Anacleto confundendi, & tum Anacletum reputandi ordine tertium, ut fecerunt S. Ireneus, Eusebius, & Hieronymus. Potuit Scriptoris alicujus errore Anacletus loco Cleti ex S. Ignatij epistolâ describi, & ita error ille ad posteros transiisse.

Ad Rom. ult.

S. Ignatius epist. ad Mariam Cassabol.

291. Secunda est epistola ad Trallianos, quæ inscribitur: *Ignatius, qui & Theophorus, dilectæ à Deo Patre &* JESU CHRISTO *Ecclesiæ sanctæ, quæ est Trallibus, electæ & Deo dignæ, pacem habenti in Carne & Spiritu,* JESU CHRISTI *spei nostræ per Crucis & mortis supplicium & resurrectionem, quam Apostolico charactere saluto in plenitudine, & eandem opto plurimum salvere.* Exoritur autem: *inculpatam sine omni simulatione mentem in patientia cognovi habere vos, non perfunctoriè eâ utentes, sed solidè possidentes, quemadmodum significavit nobis Episcopus vester Polybius, qui Smyrnæ affuit, per voluntatem Dei Patris & Domini* JESU CHRISTI *Filij eius, & cooperante Spiritu, ut universam multitudinem vestrum in eo contemplatus sim &c.* Et Ignatium quoque hac in epistola memoriam fecisse Polybij Trallianorum Episcopi; disertis verbis testatur Eusebius lib. 3. cap. 30. & post eum Ni-
cephorus

S. Ignatij epist. ad Trallianos

cephorus lib. 3. cap. 19. ut facilè constet, hanc esse ipsissimam epistolam ab Ignatio conscriptam, quod vel Apostolica scribendi methodus indicaret. Habet in hac epistola B. Ignatius aliqua notatu digna: ac primò quidem: *quid verò Sacerdotium aliud est, quàm sacer cœtus, Consiliarij, & assessores Episcopi? quid verò Diaconi; quam imitatores angelicarum virtutum? qui purum & inculpatum ministerium illis exhibent, ut S. Stephanus B. Iacobo: Timotheus & Linus Paulo: Anacletus & Clemens Petro.* Priora verba ipsi hæreticorum præcipui ut Ignatio digna citant, posteriora manifestant, Linum Paulo, Anacletum & Clementem ut Diaconos Petro ministerium exhibuisse, unde & quorumdam sententia potuerit invaluisse de Lini, Anacleti & Clementis tempore Petri Vicariatu, quem tamen his verbis non admittit. Secundò erat quædam hæresis ipso Ecclesiæ initio, quam Simonis Magi & Menandri sequaces Saturninus Antiochia oriundus, & Basilides finxerunt asserentes Salvatorem *incorporalem & sine figurâ, putativè autem visum hominem.* Ita habes apud S. Ireneum lib. 1. cap. 22. & ut pateat, quàm rectè hæc epistola Ignatio conveniat, debellat ibidem S. Martyr hanc hæresim, & scribit: *verè natus ex vulvâ, qui omnes homines in vulvâ fingit, & corpus sibi fabricavit ex sanguinibus virginis hoc solum excepto, quod nulla viri consuetudo intercesserit. In utero gestatus est, sicut & nos certis mensium circulis, & verè natus est, sicut & nos; & verè lacte pastus est, & cibo potuque communi nobiscum usus est, sicut & nos. Et expletis tribus annorum decadibus verè baptizatus est à Ioanne, non autem opinione hominum aut phantasia, & ubi triennium prædicavit Evangelium, signa & prodigia patravit, à falsis Iudæis & Præside Pilato, judex judicatus est.* Addit verè passum prout latiùs scripserat suprà: *In parasceve itaque horâ tertiâ sententiam accepit à Pilato, permittente id Patre. Sextâ horâ crucifixus est, nonâ expiravit, ante solis occasum sepultus est. Sabbato sub terra in monumento remansit, in quo posuit eum Ioseph Arimatheus. Illucescente Dominico die resurrexit ex mortuis, juxta id, quod dixerat &c.* Et demum concludit fugiendam diaboli propaginem: *Simonem primogenitum illius filium, & Menandrum & Basilidem, & totam illam ipsius malitiæ colluviem.* Ex quibus non solùm habetur eliquatum aliquid de tempore vitæ Christi juxta communem Ecclesiæ Traditionem, sed ipsa quoque nominatim reprobatio hæreticorum, quos tunc venena sua sparsisse insinuat S. Ireneus vir Apostolicorum temporum, & Polycarpi aliorumque Apostolicorum Discipulorum auditor.

S. Ignatius.

Ireneus.

S. Ignatius.

292. Tertia est epistola ad Magnesianos; cuius quoque meminerunt Eusebius & Hieronymus. Scribunt verò Eusebius & Nicephorus

Calli-

Callistus, quod in hac epistola Damam eorum Episcopum in memoriam revocet, & de hoc quoque ipsa epistola fidem facit: *Quoniam itaque dignus fui videre vos per Damam Episcopum vestrum Deo dignum.* Subdit aliqua de obediendo Episcopo licet junioris ætatis viro. *Et vos decet non contemnere ætatem Episcopi, sed juxta Dei Patris arbitrium omnem impertiri illi reverentiam &c.* Locum de adolescentiâ non contemnendâ citat ex hac epistola Antonius Melissa libro 2, quem Abbatem Græcorum fuisse, & circa tempora Joannis Damasceni floruisse scribunt Bellarminus & Possevinus, quamvis ex Possevino testimonia citante, quibus Antonius Melissa utitur, colligi possit, eum floruisse sæculo 9. Habet plura hæc epistola, quæ Ignatij calamum redolent, & longiori tractatu indigerent.

Ignatius epist. ad Magnesianos.

Ant. Melissa.

293. Quarta est epistola Ignatij ad Tarsenses, illius autem non meminere Eusebius & Hieronymus. Incipit cum his verbis: *A Syria Romam usque cum bestijs depugno &c.* Quæ partim extant in epistolâ Ignatij ad Romanos. An inde desumpta sint & loco exordij ex alijs Ignatij epistolis substituta, alijs judicandum relinquo. Exordium hoc non consonat alijs epistolis, quarum meminit Eusebius: illæ enim prius ad fideles Ecclesiarum sermonem instituunt, hæc ex abrupto intonat. Meminisse traditur hujus epistolæ Anastasius Presbyter in ecloge cap. 14. *Ignatius Theophorus ex epistola ad Tarsenses.* At testimonium ab Anastasio prolatum ex epistola 5. ad Philippenses desumptum est. Illud verò ex Codice Græco protulit Jacobus Sirmondus, quod sic vertit Petrus de Halloix: *Si enim filium Dei esse cognovisses, & illud quoque cognovisses, eum qui fecerat, ut quadraginta dies corpus corruptibile cibo non indigeret, etiam in perpetuum id facere posse. Quamobrem igitur esurit? nempe ut demonstret, se verè corpus patibile similiter atque homines suscepisse. Ita enim prius quidem se Deum, per posterius verò se hominem esse ostendit.*

Ignatius epist. ad Tarsenses.

Anastasius Presbyter.

294. Quinta itaque epistola est ad Philippenses, quæ Ignatij scribendi modum observat: oritur sicut in alijs epistolis, quarum meminere Eusebius & Hieronymus: *Memor charitatis vestræ & propensi in Christo erga nos animi &c.* Pluribus in hac epistola diaboli ignorantiam & dementiam arguit Ignatius, & inter alia: *Multa te latuerunt, Mariæ Virginitas, & admirandus ille partus:* & hoc reverà scripsisse Ignatium, testis est antiquus Origenes homiliâ 6. in Lucam. *Eleganter in cuiusdam martyris epistola scriptum reperi, Ignatium dico Episcopum Antiochiæ post Petrum secundum, qui in persecutione Romæ pugnavit ad bestias. Principem sæculi huius latuit Virginitas Mariæ:* Idem testatur D. Hieronymus comment.

S. Ignatius. ad Philipp.

Origenes.

 in

Hieronym. in cap.1. Matthæi: *Martyr Ignatius etiam quartam addidit causam, cur à desponsata conceptus sit, ut partus inquiens eius celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine sed de uxore genitum.* Locus deinde ab Anastasio Presbytero suprà-citatus in hac epistola ex versione Hieronymi Vairlenij

S. Ignatius. & editione Plantinianâ anno 1572. sic sonat: *Si enim cognovisses, quòd Dei filius erat, scivisses quod is, qui quadraginta diebus & totidem noctibus jejunum corpus sine omni mediæ noxâ conservarat, etiam perpetuò itidem conservare poterat. Cur igitur esurit? ut doceret, quod reverâ corpus assumpserat iisdem obnoxium passionibus, quibus reliqui homines. Per illud itaque ostendit se Deum esse, per hoc verò hominem.* Hæc Ignatius in epistola, quæ eadem citat

Anastasius Presbyter. Anastasius Presbyter suprà, excepto quod *quadraginta noctes* omittat & vocem *corruptibile* addat. Et ex his lucet, alias S. Ignatij epistolas extitisse quam illas septem ab Eusebio & Hieronymo adductas.

295. Sexta epistola est ad Philadelphienses, & septima ad Smyrneos, quarum meminêre Eusebius, Hieronymus, & Nicephorus. In priori

S. Ignatius. epist. ad Philad. ad Philadelphienses mentio fit, *Petri & Pauli & aliorum Apostolorum, qui nuptijs operam dederunt.* Sed, *Pauli*, nomen in antiquissimis Codicibus Anglicanis & alijs non extat, unde doctissimi plerique oscitantiam Sciolorum aut Scribarum censent assumentum. In secundâ ad Smyrneos scribit Ignatius, se non solùm ex nativitate & crucifixione habere

Epist. ad Smyrneos. Christum verè carnem induisse, *sed* (inquit) *& post resurrectionem scio eum in carne fuisse, & credo etiam nunc esse: & quando ad Petrum venit, inquit ipsis: accipite & palpate me & videte, quod non sum dæmonium incorporale; spiritus enim carnem & ossa non habet.* Illud autem in hac epistola ad Smyrnenses scripsisse Ignatium, clarè testatur Eusebius lib.3. cap.30.

Eusebius. *Idem* (inquit) *dum ad Smyrnenses scribit, quibusdam de Christo testimonijs (quæ unde sumpserit planè nescio) utitur. Ego (inquit) ipsum Dominum post Resurrectionem in carne apparuisse novi, & credo verè eum fuisse. Qui cum ad Discipulos, qui erant cum Petro accessit, sic illos alloquitur: accipite, tractate, & videte, quod spiritus corporis expers non sum. Et statim illum manibus contrectabant, & credebant.* Clariùs verò D. Hieronymus libro de Scriptoribus

Hieronym. in Ignatio. *De Evangelio, quod nuper à me translatum est, super personâ Christi ponit testimonium dicens: ego verò & post Resurrectionem in carne eum vidi, & credo quia sit. Et quoniam venit ad Petrum, & ad eos, qui cum Petro erant, dixit eis, ecce palpate me & videte, quia non sum dæmonium corporale.* Et hæc posteriora D. Hieronymi verba magis accedunt testimonio citato ex ipsâ Ignatij ad Smyrnenses epistolâ, cujus etiam meminerunt Theodoretus Dialogo 1. S. Maximus Abbas in sententijs, S. Antiochus Mona-

Monachus in homilijs, S. Ephremius Patriarcha Antiochenus in defensione Chalcedonensis Concilij, & S. Damascenus in Paralellis. Habet tamen Theodoretus Dialogo 3. *S. Ignatij Episcopi Antiochiæ & Martyris ex epistola ad Smyrneos: Eucharistias & oblationes non admittunt: quia non confitentur Eucharistiam esse Carnem Salvatoris Nostri* JESU CHRISTI *eam, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater bonitate sua suscitavit.* Hoc testimonium verò non extat in epistola ad Smyrnenses, unde indicium est, adhuc mutilam existere.

Theodoretus.

296. Octava est ad Polycarpum, cum hac epigraphe: *Ignatius Episcopus Antiochiæ & Martyr* JESU CHRISTI *Polycarpo Episcopo, Ecclesiæ Smyrnensis inspectori, imò qui inspectus est potius à Deo Patre &* JESU CHRISTO. Hanc verò epigraphem suppostitiam esse, fatetur Halloix, & id ipsum prodit nomen *Martyris*, quod sibi ante obitum non imposuit Ignatius. Non habet hæc epistola eam, quam Eusebij testimonium requirit, Antiochenæ Ecclesiæ commendationem, hoc unum tamen continet: *Decet beatissime Polycarpe, Concilium cogere sacrosanctum, & eligere, si quem vehementer dilectum habetis, & impigrum, ut possit divinus appellari Cursor, & hujusmodi creare, ut in Syriam profectus laudibus celebret impigram charitatem vestram ad gloriam Dei.* An hæc de ordinando Antiocheno Episcopo scripta sint, liquidò non constat; subdit interim in epistolâ: *Saluto eum qui designandus est, ut in Syriam mittatur: erit cum illo semper gratia, & cum eo, qui mittit illum, Polycarpo.* Hoc autem ultimum non videtur esse S. Ignatij, qui simili modo mentionem non fecisset Polycarpi. Habentur & alia in hâc epistolâ, quæ partim tempori non congruunt, ut illud: *Crebrius celebrentur Conventus, Synodique.* Partim Ignatij ergà Polycarpum reverentiam excedere existimantur, ut tot admonitiones & præcepta: *Maleficia fuge, immò verò de his verba ne facito.* Et similia plura quæ cum proposuisset, ipsos quoque Smyrnenses admonet: *Episcopo attendite, ut & Deus vobis &c.* Quæ insinuant hanc epistolam non esse illam, cujus meminit Eusebius ad Polycarpum conscriptæ.

Ignatius epist. ad Polycarp.

297. Nona epistola est ad Antiochenos & 10. ad Heronem Diaconum, quarum nec Hieronymus nec Eusebius meminêre: prior tamen ad Antiochenos stylum & materiam sapit Ignatio dignam. Scribit inter alia: *Pauli & Petri fuistis Discipuli, ne perdatis depositum. Mementote Evodij beatissimi Pastoris vestri, qui primus post Apostolos gubernacula vestræ Ecclesiæ sortitus est: non simus pudori Patri, simus genuini filii, non autem adulterini. Nostis quomodo vobiscum conversatus sum, quæ præsens dicebam vobis, hæc & absens scribo. Si quis non amat Dominum* JESUM CHRISTUM, *anathema sit.*

Ignatius ad Antioch.

Secunda quoque Ignatio non indigna, præclara habet ad Heronem monita, ac simul insinuat, ipsum post se, ut eventus etiam docuit, futurum Antiochiæ Episcopum : *Esto itaque robustus ô Hero, virili & heroico animo esto : tu enim introduces & educes posthac populum Domini, qui est Antiochiæ, & non erit grex Domini velut oves, quibus non est Pastor.*

Ignatius ad Heronem.

298. Undecima epistola est ad Ephesios, cujus meminere Eusebius, Hieronymus, Athanasius, Theodoretus, Gelasius Cyzicenus, Antonius Melissa, & Nicephorus. Scribunt Eusebius & Nicephorus in ea mentionem fieri Onesimi, & locus in epistola extat : *Posteaquam itaque numerosam vestram multitudinem in Onesimo viro nunquam satis ob charitatem prædicando, vestro autem Episcopo, exceperim &c.* Athanasius verò libro de Synodis Ariminensi & Seleuciensi : *Ignatius igitur ille post Apostolos Antiochiæ constitutus Episcopus & Martyr Christi factus, de Domino scribens dixit : unus & medicus Carnalis & Spiritalis, genitus & ingenitus in homine Deus, in morte vita vera, & ex Mariâ & ex Deo.* Quod testimonium hoc modo invenitur in præsenti epistola : *Medicus autem est solus Deus ingenitus & inaccessus, universorumque Dominus, unigeniti autem Pater & Genitor. Habemus etiam medicum* JESUM CHRISTUM *ante sæcula unigenitum & verbum : posteà verò & hominem factum ex Mariâ Virgine.* Habent & alia testimonia Gelasius & Theodoretus, quæ ad verbum non habentur in hac epistola, licet quoad sensum : unde potuit hæc epistola aliquantum esse corrupta, quinimò interpolata, ut constat ex hisce verbis. *Traditus quidem sum unus è numero eorum, qui propter Christum interempti sunt à sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Ignatij minimi.* Hæc epistola de sanguine Ignatij, antequam sanguinem effuderat, habet interim alia Ignatio dignissima.

Ignatius ad Ephesios.

S. Athanasius.

Ignatius.

299. Duodecima demum epistola ad Romanos scripta, quæ omnium certissima est, & cujus conscriptio extat apud Metaphrastem: *Ignatius, qui & Theophorus, sanctæ Dei Ecclesiæ Antiochiæ Episcopus, Ecclesiæ misericordiam consecutæ in magnificentia Patris altissimi, & Domini* JESU CHRISTI *filij eius unigeniti, sanctificatæ & illuminatæ in voluntate eius, qui fecit omnia, quæ sunt secundum caritatem* JESU CHRISTI *Dei nostri, præsidenti in throno Regionis Romanæ (quam & amplector in nomine* JESU CHRISTI *carne & spiritu cunctis eius mandatis coaptatam, & gratiâ Dei repletam) in* CHRISTO JESU *Deo salutem.* Parum fusior est hæc inscriptio in editione epistolarum Ignatij, sed in idem coincidens. Scribit Eusebius Ignatium in hac epistola hortatum esse Romanos, ne precibus instans suum martyrium averterent, idque reipsa hæc epistola continet, ut patet legenti. Et cum eodem Eusebio citat ex hac epistola locum D. Hieronymus

S. Ignatius ad Rom.

nymus libro de Viris Illustribus, qui iisdem verbis in hac epistola continetur: *A Syria Romam usque terrâ marique cum bestijs depugno, noctu dieque alligatis decem Leopardis, quæ est militaris custodia, qui & beneficio affecti peiores fiunt, &c.* Habet & alia ex hac epistola D. Joannes Chrysostomus, & plures post ipsum Ecclesiæ Patres. Ut hæc forsan una sit ex iis, quas habuit S. Polycarpus, qui plurimas S. Ignatij epistolas se misisse scribit in epistola ad Philippenses Græcè & Latinè extante apud Petrū de Halloix cum hac epigraphe: *Polycarpus, & qui cum eo sunt Presbyteri Ecclesiæ Dei, quæ est Philippis, misericordia vobis & pax à Deo omnipotenti, & à Domino* JESU CHRISTO *Salvatore nostro multiplicetur*: eam epistolam lectam fuisse à Photio, audivimus suprà; fatetur multis refertam admonitionibus, quæ usque nunc extant Polycarpi ævum spirantes. Concludit epistola cum locis ab Eusebio citatis, lib. 3. cap. 30. de literis D. Ignatij, quas se transmittere insinuat. Addit tamen Photius, quod à Philippensibus petierit certior vicissim fieri de S. Ignatio, *si quid forte de eo inaudierunt.* Illud autem non reperitur in epistolâ S. Polycarpi Smyrnensis Episcopi, ut appareat & huic epistolæ aliquid deesse, nec integram ad manus nostras devenisse, ut non obscurè admittere videtur Petrus Halloix, qui in notationibus ad caput 17. vitæ S. Polycarpi scribit, se laudatam epistolam recepisse à viro erudito Jacobo Sirmondo, Sirmondum verò ex Apographo Turriani eam Romæ exscripsisse, de quo Eminentissimus Cardinalis Baronius in suis ad Romanum Martyrologium notis 26. Januarij: „ Extat insignis epistola Polycarpi ad Philippenses, cujus „ meminit S. Hieronymus, quam piæ memoriæ vir doctissimus Fran„ciscus Turrianus Societatis JESU longè prolixiorem illa, quæ ha„betur typis excusa, apud se esse Græcè scriptam, cum viveret, testa„tus est. Speramus eam una cum cæteris egregijs vetustatis monu„mentis, quæ summo labore collegit, propediem esse edendam.„ Hæc Baronius antequam epistola post mortem Turriani edita erat, quod à Petro de Halloix jam peractum ostendimus.

D. Hieron. | S. Polycarpus. | Photius. | Baronius.

300. Pervestigavimus hucusque ex ipsis epistolis, quid de earum auctoritate sentiendum sit, quæ tam ab Eusebio & Hieronymo memorantur numero septem, quam à recentioribus adduntur numero quinque, & ex Officina Plantiniana Græcè & Latinè prodierunt, anno 1572. Scio jam diu antea, cum primum ars impressoria inventa est, anno 1495. Parisijs prodiisse tres epistolas Ignatij Latino sermone, quarum una ad Deiparam, secunda & tertia ad B. Joannem conscriptæ sunt, & quarum meminit Lucij Dextri Chronicon ad annum 116. *Epistolæ*

Lucij Dext. Chronicon

S. Ignatij ad B. Virginem celebres habentur. Nec unam sed plures ad Deiparam à S. Ignatio scriptas epistolas, ex unica nunc usque extante colligit Franciscus Bivarius addens in notis ad laudatum Dextri locum:

Bivarius.

„" Scio apud multos suspectam haberi fidem ejusmodi epistolarum „ eo præsertim, quod Hieronymus, dum in libro de Scriptoribus Ec„clesiasticis egit de Ignatio, inter cæteras ejus epistolas harum non „ meminit; sed argumentum negativum obesse non potest, cum posi„tiva testimonia nobilium authorum adsunt. Ergone opera Dionysij „ appositítia sunt, quia Hieronymus earùm non meminit? absit. Quod „ si Hieronymus siluit, Dexter ejus coævus locutus est & Bernardus, qui „ apocryphis fidem nunquam dedisse comperitur: suscipiunt gravissi„mi viri, Carthusianus, Marianus Victorius, Symphorianus Clam„perius apud Canisium lib. 1. de Deiparâ, cap. 1. Æneas Sylvius li„bro 4. Sixtus Senensis libro 2. Bibliothecæ, Franciscus Arias & in„numeri alij, quos longum esset recensere. „ Hucusque Bivarius, qui quorumdam post D. Bernardum sententiam renovat motus auctoritate Lucij Dextri, quem Chronicon scripsisse testis est D. Hieronymus ipsi æqualis: verum licet non alio testimonio egeremus, si esset indubitatum, cum tamen viri gravissimi meritò dubitent de Chronico per Bivarium sub Lucij Dextri nomine promulgatum, illudque varia contineat à veritate aliena, & Dextri ingenio absona, manet recentiorum scupulus de tribus hisce B. Ignatij epistolis, unâ ad Deiparam, & duabus ad Joannem, quidquid Lucij Dextri Chronicon repetat ad

Dextri Chronicon

annum 426. *Epistolæ Beatissimæ Virginis ad sanctum Ignatium, & ejusdem ad sanctissimam Virginem manibus fidelium nunc teruntur:* meminit quidem Sixtus Senensis harum epistolarum lib. 2. Bibliothecæ, verbo, *Maria*, adducens testimonium Marci Michaëlis Cortonensis Presbyteri ex

Marcus Michael Cortonen. Presbyter.

libro de Viris Illustribus: *Extant & epistolæ ejus ad Ioannem Evangelistam præceptorem suum, & ad Mariam Beatissimam Virginem, & Domini nostri Salvatoris humillimam matrem.* Verum recentiora sunt hæc testimonia, quam ut iis inhærere oporteat contra tot peritorum authoritatem. Habent epistolæ varia, quæ meritò obiici possunt, nec stylum Ignatij redolent, nec materiam tanto viro accommodatam. Habet inter alia epi-

D. Ignatij epistola.

stola prior ad Ioannem:„ Sunt & hic multæ de mulieribus nostris Ma„riam Jesu videre cupientes, & quotidie à nobis ad vos discurrere „ volentes, ut eam contingant, & ubera ejus tractent, quæ Dominum „ Jesum aluerunt, & quædam ejus secretiora percontentur ipsam „ Mariam Jesu.„ Verùm quis credet, hæc scripsisse Ignatium Orientis præci-

præcipuum Episcopum ? habentur alia de Mariæ in fideles misericordiâ, quæ posterioris ætatis auctorem sonant, ut non immeritò Christophorus de Castro in Historia Deiparæ, cap. 23. scripserit: „Has „epistolas ab antiquo aliquo pio & Virgini dedito confictas fuisse.„ Probat id pluribus, & sufficienter id indicant recentiores, qui has tres S. Ignatij epistolas sub dubio dumtaxat admittunt, dum duodecim citatas defendunt, quarum tamen aliquas adhuc interpolatas & mutilas ostendimus, quidquid contra Dom. d'Allie novissimè probet Joannes Pearson in vindicijs epistolarum B. Ignatij septem ab Eusebio & Hieronymo memoratas, esse genuinos Ignatij fœtus: probare id conatur omnium post Ignatium sæculorum testimonijs, aliisque rationibus, & ideo dignum est opus, quod hac in materia consulatur.

Christ. de Castro.

CAPUT V.

De Epistolis Decretalibus primorum Pontificum, an sint supposititiæ?

301. *Epistolæ Decretales, quæ accesserunt collectioni Isidori, ut genuinæ ubique per Ecclesiam sparsæ sunt tempore Riculphi Moguntini Episcopi.*

302. *His refragatum fuisse Hincmarum Remensem, crediderunt plures, ideoque & eum impugnatum ferunt ab Hincmaro Laudunensi, & Nicolao primo.*

303. *Horum testimonijs convictum vela mutasse Hincmarum, constanter docuit Christianus Lupus, at Hincmarum semper in eadem permansisse sententia, & nunquam Decretalium Epistolarum authoritatem improbasse, sed sub certa conditione venerabiliter admittendam docuisse, pluribus efficitur, at in primis ex ipsius Hincmari apologeticis.*

304. *Post Hincmarum Epistolas Decretales admissas fuisse absque ulla penitus contradictione peritorum, ostendit ex variorum testimonijs de Marca.*

305. *Erant in hac opinione fideles usque ad tempora Constantiensis Concilij, quo dum VViclephus eas impugnare cœpit, ab eodem Concilio reprobatus est in propositione 38. unde & periti circa illud tempus ne quidem dubitabant de Epistolarum Decretalium authoritate.*

306. *VViclephum secuti Magdeburgenses, at statim impugnati per Turrianum, qui ex Isidori authoritate, & subsequentium collectionibus argumentum desumpsit. enumerantur collectiones, quæ has epistolas continent, & à Bailio contra Blondelli titulum allata thesium appendix.*

307. Pro

307. Pro gravissimæ difficultatis solutione ostenditur, aliud quid esse inquirere, num epistolæ decretales erroneæ sint, num suppositititiæ, utrumque volunt cum VVicleפho hæretici, posterius dumtaxat suscipiunt eruditiores Catholici, Bellarminus, Baronius, Antonius Augustinus, de Marca, Lupus, & Bailius.

308. Rationes, quæ has epistolas suppositionis arguunt, ex varijs adducuntur usque ad decem.

309. Eæ omnes simul sumptæ tantæ visæ sunt efficaciæ Philippo Labbeo, ut miretur aliquos inveniri potuisse, qui epistolas illas genuinas probare conati sint, cum & illæ necessariæ non sint ad ostendendum Sedis Apostolicæ Primatum, qui aliunde ex indubitatis testimonijs à Perronio probatus fuit contra hæreticos, uti & nos probavimus.

301. INter plura, quæ Isidori Mercatoris collectioni noviter accesserunt & à Gratiano suscepta sunt, fuere decretales epistolæ primorum Pontificum usque ad S. Silvestrum aut Syricium Pontificem, de quibus gravissima nostro sæculo orta est difficultas, num genuinæ sint, num suppositititiæ? ac primò quidem genuinas esse, videtur evincere vetustas collectoris, qui non sua sponte sed rogatus ab octoginta Episcopis opus illud aggressus est, & summo Hispaniæ applausu in lucem edidit: nec intra solos Hispaniæ terminos mansisse, testatur opusculo contrà nepotem cap. 24. Hincmarus Metropolita Remensis: *De libro collectarum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculphus Episcopus Moguntinus in hujusmodi, sicut & in Capitulis Regijs studiosus obtinuit, & istas Regiones ex illo replere fecit.* Circà finem sæculi 8. & initium noni floruit hic Riculphus Moguntinus Episcopus, & à tempore quo ille Isidori collectionem per Gallias divulgavit, regionis illius Bibliothecæ cœperunt ex illa repleti, & fidelium non minus quàm Episcoporum veneratio erga Decretales Romanorum Pontificum epistolas ostendi. Enimverò complures Galliarum Episcopi anno 836. in Concilio Aquisgranensi secundo, cap. 2. titulo 8. *Statutum est,* (inquiunt) *ut vel semel in anno, id est in quinta feria, quæ est in cœnâ Domini, unctio Sancti Olei, in quo salvatio infirmorum creditur, per omnes civitates ab Episcopis non negligatur, sicut nunc usque neglecta est. Sed omni devotione juxtà Traditionem Apostolicam, ac statuta decretalium, in quo de eadem re præcipitur, peragatur.* „ Quæ hic decernuntur (inquit Parisiensis Archiepiscopus de Marca) „ juxtà statuta decretalium, è secunda epistola Fabiani „ hausta sunt, licet tacito Fabiani nomine. „ Unde vides, Decretalia primorum Pontificum tunc in Gallijs fuisse recepta, & longè clarius ex

Isidorus.

Hincmarus Remensis.

Riculphus Mogunt.

Concilium Aquisgran.

De Marca.

ex iis, quæ in tribus ultimis Capitularium libris continentur „ hos (subdit D. de Marca lib. 3. cap. 5. §. 3.) è scrinijs Ecclesiæ Mogun- „ tiacensis in unum corpus compegit Benedictus Levita jussu Autgarij „ ejus Ecclesiæ Episcopi; eosque Lothario, Ludovico, & Carolo no- „ bilissimis Regibus filijs Ludovici Pii inscripsit, circa annum 850. „ In iis libris passim è Clementis, Anacleti, Pii, Evaristi, Fabiani, & „ cæterorum Pontificum . . . . epistolis, quamvis suppresso auctorum „ nomine, auctoritas petitur: quod usurpatum etiam ab auctoribus „ additionum, quæ libris Capitularium adjunctæ sunt. „

Benedictus Levita.

302. Primus, quem hasce Decretales epistolas in dubium vocasse putarunt eruditi, invenitur Hincmarus Metropolita Remensis apud Flodoardum lib. 3. cap. 21. & 22. ubi se opponit capitulis Hadriani primi per nepotem objectis, & ait: *Quærens adinventiones, ut te Metropolitanâ subjectione posses exuere, libellum de Patrum antiquorum scriptis ante sacros Nicænæ Synodi, & aliorum sanctorum Canones editis collegisti, in quibus sententias inter se dissonas, & contra Evangelium & Apostolicam atque Canonicam, & Apostolicæ Sedis auctoritatem immiscuit.* Ex quibus & similibus Hincmarus Laudunensis Episcopus collegit, Hincmarum Remensem planè reiicere authoritatem Decretalium, & simul arguit in responsione sua tomo 2. Hincmari per Sirmondum editi, usurpans eadem verba, quibus Nicolaus Papa I. usus est ad hanc eamdem objectionem contrà Photium, epist. 6. *Cur vos non habere vel observare dicitis, nisi quia vestræ ordinationi contradicunt.* Enimverò sicut Photius sese non habere Decretales epistolas asserebat, sic & Hincmari fautores in Galliâ dicere incipiebant complures: unde & idem Nicolaus I. epistola 47. ad Galliæ Episcopos: *Absit, ut cujuscumque usque ad ultimum vitæ suæ diem, qui in fide Catholica perseveravit, vel Decretalia constituta, vel de Ecclesiasticâ disciplinâ qualibet exposita, debito cultu & cum summa discretione non amplectatur opuscula, quæ dumtaxat & antiquitùs S. Romana Ecclesia conservans nobis quoque custodienda mandavit, & penes se in suis archivis & vetustis ritè monumentis recondita veneratur. Absit ut scripta eorum quoquo modo parvipendenda dicamus, quorum videmus Deo auctore S. Ecclesiam aut roseo cruore floridam, aut rorifluis sudoribus & salutaribus eloquijs adornatam. Si enim ipsorum decreto cæterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur; ita ut, quod Sedes Apostolica probat, hodiè teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur: & quantò potius, quæ ipsa pro Catholica fide, pro profanis dogmatibus repellendis, pro varijs & multifarijs Ecclesiæ necessitatibus & fidelium moribus diverso tempore scripsit, omni debent honore præferri, & ab omnibus prorsus*

Hincmar. Remensis.

Hincmar. Laudun.

Nicolaus I.

in quibuslibet opportunitatibus discretione vel dispensatione magistrâ reverenter assumi: quanquam quidam vestrum scripserint, haud illa decretalia priscorum Pontificum in toto Codicis Canonum corpore contineri descripta, cum ipsi ubi sua intentioni hæc suffragari conspiciunt, illis indifferenter utantur, & solum nunc ad immunitionem potestatis Sedis Apostolicæ, & ad suorum argumenta privilegiorum minus accepta esse perhibeant. Hæc Nicolaus 1. ad Galliæ Episcopos præ cæteris Hincmarum Remensem notare prætendens: unde & Hincmarus Laudunensis hanc epistolam statim objecit Remensi, ut patet ex illius responsione ad epistolam 55. nunc primùm publicatâ ex Codice Laudunensi per Jacobum Sirmondum tomo 2. editi Parisijs Hincmari.

303. Fuerunt tantæ efficaciæ argumenta pro epistolis Decretalibus primorum Pontificum, ut Christianus Lupus parte 2. ad Canonem 2. Concilij Generalis 8. putet, convictum Hincmarum Remensem Palinodiam cantasse. Habet id sæpiùs, ac repetit parte 4. ad Can. 3. dictatus Gregorij 7. „ Hincmari nepos Hincmarus Laudunensis Episco„pus dictas epistolas constanter defendebat uti legitimas & authenti„cas, (inquit Lupus) coëgitque suum patruum ad omnia adversus „ipsas dicta & gesta in Trecensi Synodo coram Ioanne 8. Pontifice „solemniter retractanda. Ita habes in Historia Remensis Ecclesiæ „apud Flodoardum. „ Verum humani quid passus est Lupus ex depravata versione Flodoardi, ut statim videbimus. Hincmarus Remensis nunquam negavit authoritatem epistolarum Decretalium, sed solùm sustinuit, differentiam quandam faciendam esse inter Decretales & Canones, quod Decretales epistolæ, antequam Synodi liberè cœpissent celebrari, pro diversis Regionibus editæ sint, sed post Canones secuta sint Concilia, quæ consideratis circumstantijs temporum & morum pleraque in disciplinâ Ecclesiasticâ mutarint, & inviolabiliter observanda præscripserint. Sicque epistolas decretales scripsit venerandas & recipiendas, in quibus à posterioribus Concilijs non fuerunt mutatæ, & hinc arguit nepotem suum Hincmarum Laudunensem, & apud Flodoardum libro 3. cap. 22. reponit, se recipere epistolarum Decreta à Canonibus recepta juxtà mentem Gelasij Papæ, qui & olim statuerat, Decretales epistolas venerabiliter suscipiendas, & Canones inviolabiliter servandos: *& tu hac discretione* (inquit ad nepotem Hincmarus Remensis) *ut præmisi ex verbis Gelasij, suscipe ad instructionem illas epistolas, quas beatissimi Papæ diversis temporibus ab urbe Roma pro diversorum Patrum consolatione dederunt legendas venerabiliter; & serva sacra* Con-

Lupus.

Hincmarus Remensis.

Concilia, quæ Sedes Apostolica & omnis sequitur Ecclesia inviolabiliter. Et huic opinioni inhæsit Hincmarus apologeticas scribens contrà suos diffamatores, de quibus Flodoardus ex versione Iacobi Sirmondi cap. 21. libri 3. *Scripsit & apologeticum contra obtrectatores suos, qui calumniabantur eum diversis detrectationum appetitionibus, scilicet apud Papam Ioannem, quod nollet in auctoritatem recipere Decreta Pontificum Sedis Romanæ, atque & tunc in Synodo Tricassina, & posteà hoc in apologetico refellens hos convitiatores suos, & se Decretalia Pontificum Romanorum à sanctis Canonibus recepta & approbata recipere & sequi discretè, prout sunt sequenda, depromens.* ,, Ubi luce clariùs patet, Hincmarum nihil retractasse in Synodo Tricassinâ, ut putavit Lupus, sed antiquæ distinctioni inhæsisse, (ut etiam colligitur ex actis Synodi Tricassinæ) & epistolas Decretales recepisse, quas subsequentia Concilia à Pontificibus approbata non infregerunt, sed confirmarunt: unde & libro 3. cap. 29. narrat Flodoardus, de Hincmari Remensis constantia: *Scribit etiam apologiam pro se cunctis eam legere volentibus contra eos, qui calumniati sunt illum apud Ioannem Papam, qui Synodum habuit Tricis, à quo benignè idem Præsul suscipiebatur, quibus & in Synodo tunc respondit pro tempore, postmodum verò excusare se literis non neglexit asserens, se Decretales epistolas Pontificum Romanorum venerabiliter suscipere atque tenere, cum calumniarentur inimici, has eum nolle ad auctoritatem recipere.* Sicque animadvertit D. de Marca lib. 3. cap. 5. §. 3. Hincmarum ipsum Anacleti, Evaristi, Fabiani, Stephani, Lucij, Alexandri, Pii, Callisti, Iulij, Melchiadis testimonijs apertè usum esse epist. 8. & epist. ad Ludov. in Tract. de Divortio Lotgarij, in opusc. cap. 15. quæ manifestè evertunt, quæ idem D. de Marca adjungit §. 5. ac si Gallicani Antistites tunc epistolas Decretales in authoritatem non recepissent: nam totum quod ex Hincmaro potest colligi, est, eum non admisisse Decreta epistolarum antiquata per Canones, ut probè animadvertit in vita Hincmari Laudunensis §. 16. Ludovicus Cellotius, reliqua autem non antiquata tunc in authoritatem recepit cum Hincmaro omnis Gallia, & æquè Codicem Canonum Isidori, ac anteà Dionysij admiserat, venerata est.

Flodoard. Flodoard. De Marca. Cellotius.

304. Quid Hincmarum subsecuta omnis Gallia tenuerit, his verbis fatetur de Marca libro 3. cap. 6. §. 2. ,, Eo deventum est, ut tantis ,, nominibus veterum Pontificum cesserint unâ cum reliquis Episco- ,, pis etiam Gallicanæ Ecclesiæ Rectores, qui in Concilio Remensi ,, ab Hugone & Roberto Regibus Francorum coacto anno 992. Ana- ,, cleti, Julij, Damasi, & aliorum Pontificum epistolas expendunt

De Marca. Concil. Remen.

„ in causa Arnulphi, ac si in Canonum censum receptæ essent. Quare Burchardus Wormatiensis Episcopus, cum novam collectionem Canonum institueret circà annum 1010. eam ex sæculi sui sensu primorum Pontificum epistolis auxit: quibus & selectos ex Augustino, Hieronymo, Gregorio, & Isidoro locos adjunxit. Eandem rationem secutus est Ivo Carnotensis in ea collectione canonum, quam ad Ecclesiæ Gallicanæ usum circà annum 1100. publicavit. . . . successit Gratianus, qui Decretorum corpus novâ quidem methodo adornavit, sed collectionem tam Dionysij Exigui, quam Isidori & Ivonis in partes dissectam in unum corpus industriâ suâ temperatum compegit, & aliquot legibus, constitutionibus novis Pontificum, & Conciliorum & Patrum locis amplificavit, circa annum 1150. in scholis publicè recitatur, & quotidiè perlegitur Gratiani Decretum." Huc usque Parisiensis Archiepiscopus, ex quibus patet, quantâ Gallicanorum Præsulum consensione Decretales epistolæ receptæ fuerint, donec anno 1150. publicè in scholis cœperint recitari, à quo tempore non solæ Romanorum Pontificum epistolæ testimonijs illorum Decretalium abundarunt, sed etiam omnium Doctorum scripta ubique personarunt, quod manifestius patet, quàm ut nostrâ expositione indigeat.

Burchard. Wormat.

Ivo Carnotensis.

Gratianus.

305. Eorum auctoritatem infringere conatus erat hæreticorum antesignanus Ioannes Wiclef, qui palam professus est, Decretales epistolas esse apocryphas, quod adeò graviter tulit sacrosanctum Constantiense Concilium, ut Sessione 8. inter alias propositiones Wiclefi damnarit hanc 38. *Decretales Epistolæ sunt apocryphæ, & seducunt à Christi fide: & Clerici sunt stulti, qui studens iis.* Quasnam Decretales epistolas intellexerit Wiclefus, licet non exprimat Concilium Constantiense, verisimile tamen est, intellexisse priscorum Pontificum, quas econtrà tunc omnis Ecclesia recipiebat ut authenticas, patet id ex scriptis Cancellarij Parisiensis Ioannis Gersonis, qui huic Concilio Constantiensi interfuit, & ex Thoma Waldensi, qui ex professo contrà Wiclefistas de Martini V. mandato circà hæc tempora scripsit, cujus libri abundant Decretalium illorum testimonijs. Idem ostendi posset de Concilio Basileensi, cui interfuit Nicolaus Cardinalis Cusanus, quinimò de Tridentina Synodo, cui præsedit Hosius Cardinalis, qui & Decretalium illorum testimoniis utitur sæpissimè, ut ex ejus operibus apparet.

Conc. Constantiense.

Gersonius.

Waldensis.

Cusanus.

Card. Hosius.

306. Post Wiclefum eius sequaces Hæretici hæc Decretalia quidem

dem debellarunt, sed inventus statim Franciscus Turrianus, qui Magdeburgensium dilueret calumnias, de quo in notis Severinus Binnius: „ Epistolas Decretales antiquitate suâ & totius mundi reverentiâ „ consecratas omni gravitate, doctrinâ, & sanctitate refertas, testimo- „ nio & usu posteritatis omnium sæculorum confirmatas, stylo ac ser- „ mone Apostolicis viris convenientissimo exaratas, sacram Scriptu- „ ram juxtà eum sensum, quem tenuit & tenet sancta Mater Ecclesia „ interpretantes, ad Martyrium tempore persecutionis Christi Domi- „ ni nostri exemplo fortiter sustinendum, ad hæreses sui temporis „ redarguendum utilissimè scriptas, R. P. Franciscus Turrianus So- „ cietatis JESU Theologus præstantissimus, quinque libris solidissimè „ defendit à calumniâ Magdeburgensium. „ Eorum argumenta post Turrianum consequenter refellit Binnius, & ex auctoritate collectoris, quem Turrianus vulgarem secutus rumorem credidit S. Isidorum Hispalensem Episcopum, & ex sæculorum subsequentium acceptatione argumentum desumitur in eorum favorem, unde tomis Conciliorum post Isidori collectionem eas epistolas constanter inseruerunt eorum collectores, ut Iacobus Merlinus Doctor Parisiensis anno 1524. Franciscus Joverius Valentinus an. 1555. Laurentius Surius Carthusianus editis 5. voluminibus Coloniæ 1567. Editio Venetiana Nicolini etiam 5. voluminibus anno 1585. Severinus Binnius Doctor Coloniensis anno 1606: Coloniæ 5. tomis, & in aliâ collectione Græcolatinâ anno 1618. tomis 9. Editio Romana, quæ Pauli 5. authoritate 4. tomis ex Typographia Vaticana prodiit. Collector Regius, qui 37. tomis anno 1644. Concilia Parisijs edidit sumptu Regio. Demum Bailius Doctor & Propœnitentiarius Parisiensis, qui in ultima editione anno 1672. Parisijs Tomo 2. Summæ Conciliorum de hac re quæstionem instituens rem ex utraque parte expendit, & proposito Blondello Calvinistâ, famosissimo Magdeburgensium defensore, titulum istius libri pro illis contra Turrianum anno 1628. Genevæ editum his verbis proponit: „ Pseudo-Isidorus & Turrianus vapulantes, „ seu editio & censura nova epistolarum omnium, quas piissimis ur- „ bis Romæ Præsulibus à B. Clemente ad Siricium &c. Nefando au- „ su, infelici eventu Isidorus cognomento Mercator supposuit, Fran- „ ciscus Turrianus Jesuita adversus Magdeburgensium elenchos acu- „ leato stylo defendere conatus est. „ Huic verò reponit appendicem 9. Thesium anno 1665. à Baccalaureo Facultatis Parisiensis defensam: „ Hierarchiam & disciplinam Ecclesiasticam tuentur Catholici, ab- rogare

Binnius. Turrianus. Merlinus Ioverius Surius. Nicolinus. Binnius. Editio Romana. Collectio Regia. Dom. Bail. Blondellus Appendix Thesium.

„ rogare satagunt homines reprobi circà fidem. Et quia primorum
„ Pontificum epistolæ Decretales testes sunt primævæ Christianorum
„ institutionis : inter eos præcipuæ authoritatis, diffusæ lectionis, &
„ operosæ Scriptionis vir spurias eas pronunciat, scilicet quia mente
„ corruptus Isidorum Hispalensem earum Collectorem negat; con-
„ trarium assero. Falsò consignatas affirmat; mentitur in plusquam 30.
„ Hieronymi versionem usurpare contendit; ipsemet oppositum ple-
„ rumque fateri cogitur : nec etsi id in aliquibus verum esset, valeret
„ argumentum. Identitatem materiæ, styli convenientiam, aliquas
„ etiam sermonis sordes exprobrat; at quorsum hæc? diligentius in-
„ specta nobis magis favent, quam sibi. Tandem bis mille antichro-
„ nismata prætendit; ex posteriorum Scriptorum lacinijs consarcinatas
„ epistolas vociferans : verum quàm frigidè id probet, noverit om-
„ nis, qui tantisper in margines oneratas oculos conjecerit &c. „ Et
hæc sunt, quæ authoritati epistolarum Decretalium favere inveni.

307. Verum gravis est & scabrosa difficultas circà primorum Pontificum Decretales epistolas, quam tamen necesse est distinguere, cùm aliud quid sit inquirere, an erroneis disciplinæ & Fidei dogmatibus repletæ sint, an tantùm ex aliorum testimonijs interpolatæ sint. Utrumque primus, quod sciam, mortalium effutire ausus fuit Hæreticorum antesignanus Wiclefus meritò hanc ob rem à Constantiensi reprobatus Concilio, postremum dumtaxat amplexi sunt eruditiores Catholici, qui Ecclesiam Romanam non indigere suppositiis testimoniis rati, cùm primùm hæc quæstio ventilari cœpit, sedulò indagantes veritatem repererunt, & ingenuè judicarunt, Decretales primorum Pontificum epistolas suppositionis arguendas. Sic Eminentissimus Cardinalis Bellarminus Libro 2. de Romano Pontifice cap. 14. ubi licet in pluribus mentiri Magdeburgenses docuit, de epistolis tamen Decretalibus trium primorum Sæculorum testatum reliquit : „ aliquos „ errores in eas irrepsisse non negarim, nec indubitatas esse affirmare au- „ deam. „ Et post ipsum Eminentissimus Cardinalis Baronius ad annum 865. n. 8. „ Ex multis eas reddi suspectas epistolas, quæ dicta sunt „ secundo Annalium tomo, dum de singulis mentio facta est, satis est „ demonstratum; simulque ostensum, illis non indigere Romanam „ Ecclesiam, ut si falsitatis arguantur, suis ipsa destituatur juribus & „ privilegiis, cùm etsi illis careat, ex legitimis germanisque aliorum „ Romanorum Pontificum epistolis decretalibus, satis superque corro- „ borata consistat,, Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis

Bellarmin.

Baronius.

nensis in notis ad Caput 36. Hadriani Papæ primi loquens de epistolâ Damasi ad Aurelium Carthaginensem Episcopum, „ quæ (inquit) ple- „ risque suspecta est, ut aliç nonnullç antiquiorum Damasi Pontificum„ Parisiensis Archiepiscopus de Marca lib. 7. cap. 20. §. 2. „ Certum qui- „ dem est & omninò indubitatum ex sententiâ omnium Virorum eru- „ ditissimorum, ac Baronii quidem & Bellarmini Cardinalium, eas epi- „ stolas veterum Pontificum Clementis nimirum, Anteri, Evaristi, „ Telesphori, Callisti, Iulij, Damasi, & in universum omnes illas, quæ „ tempora Siricij & Innocentij antecedunt, fabricatas fuisse ab hoc Isi- „ doro. „ Christianus Lupus Doctor Lovaniensis parte 3. ad Canonem 3. dictatus Gregorij 7. ad sublevandam Sedis Apostolicæ authoritatem sæculo 8. admodum depressam „ nescio (inquit) quis pius fi- „ delis finxit sub antiquorum Romanorum Pontificum nomine De- „ cretales istas epistolas, quas passim vocamus collectionem Isidori „ Mercatoris. „ Et ad Canonem 13. dictatus Gregorij 7. „ Suppositi- „ tiæ sunt istæ Decretales epistolæ. „ Idem sæpiùs urget, ac adeò vulgaris est hæc sententia nostro sæculo, ut non solùm pletique periti ad hoc in nostro Belgio conspirent, sed etiam Galli exclamare soleant, quod habetur in quodam eorum libello Gallicè edito anno 1661. *Qui est celuy, per exempel, qui ne juge maintenant, que les lettres attribuées aux premiers Papes, ne sont point de ces Papes.* Ut & D. Bail tomo 2. classe 6. in controversia de primis epistolis Romanorum Pontificum ingenuè fatetur, se moveri Baronij & Bellarmini testimonijs, qui ipsas epistolas dubiæ esse fidei opinantur.

Ant. Aug. De Marca. Lupus. Galli. Bailius.

308. Rationes verò arguendi has epistolas suppositionis, attegit D. de Marca libro 3. cap. 5. §. 1. Primò „ ob verborum sordes à se- „ cundi sæculi, quo datæ dicuntur, elegantiâ & nitore alienas. Secundò „ ob styli similitudinem, & eumdem scribendi characterem, qui „ in omnibus epistolis occurrit; ita ut ab uno auctore, non à diversis „ Pontificibus conscriptæ esse videantur. Tertiò „ ex usu frequentis- „ simo vulgatæ Scripturarum versionis; unde fit ut post Hieronymi „ ætatem effictas esse necesse sit. Quartò quod „ & Hieronymo, qui „ Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogum texuit, & Innocentio, Leo- „ ni, cæterisque Pontificibus, quorum Germanæ epistolæ ad nos per- „ venerunt, omninò fuerunt incognitæ. „ Uti & Dionysio Exiguo, qui dum Romæ magno studio & diligentiâ præteritorum Apostolicæ Sedis Præsulum constituta colligebat tempore Justiniani Imperatoris, à Siricio initium sumpsit. 5. Ex observatione Antonij Augustini Tarraco-

De Marca. Hieronym. Dionysius Exiguus.

raconensis Archiepiscopi, qui in notis ad capitula Hadriani Papæ omnium primus annotavit: „ Ipsa legum Imperatoriarum verba, & quæ „ sub Aniani nomine extant ad Codicem Theodosianum scholia, in „ illis epistolis usurpata fuisse: quamvis Pontifices, quibus epistolæ tribuuntur, duobus & tribus sæculis Codicis Theodosiani editionem „ præcesserint. „ Videri potest Antonius Augustinus in laudatis notis capite 7. & 8. & 16.& seq. 6. Quia Blondelli industria ab aliquot annis eo processerit, ut sententiæ & verba ipsa, ex quibus epistolæ contextæ sunt, à quibus auctoribus petita sunt, accuratissimè demonstraverit. 7. Quod usque ad Hadriani primi tempora nullus Catholicorum Scriptorum, nullus Romanorum Pontificum, Synodorum nullæ testimonium aliquod ex hisce literis adduxerint, quinimò Photius tempore Nicolai I. eas sese in Oriente nusquam vidisse testatus sit, cui, licet earum authoritatem admiserit, favere videtur Hincmarus Metropolita Remensis, qui & ideò frequentiùs à literis Siricij Papæ initium duxit, & in testimonijs subsequentium Siricio Pontificum hæsit. 8. Ex Leone Papa 4. qui ante Nicolaum primum in epistola ad Episcopos Angliæ de his quoque Decretalibus consultus reposuit, Sedem Apostolicam Decretalium regulas admittere, *Id est* (inquit) *qui habentur apud nos simul cum illis in Canone: quibus autem in omnibus Ecclesiasticis utimur judicijs, sunt Canones, qui dicuntur Apostolorum, Nicanorum, Ancyranorum, Neocæsareensium, Gangrensium, Antiochensium, Laodicensium, Constantinopolitanorum, Ephesinorum, Chalcedonensium, Sardicensium, Africanensium, Carthaginensium, & cum illis regulæ Præsulum Romanorum, Sylvestri, Siricij, Innocentij, Zozimi, Cælestini, Leonis, Gelasij, Hilari, Symmachi, Hormisdæ, Simplicij & Gregorij junioris, isti omninò sunt, & per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi simul judicantur.* Hæc circà annum 850. Leo quartus, ubi non epistolas Decretales à Clemente, sed post statuta Sylvestri Papæ, à Siricio inchoat, „ etenim (inquit de Marca lib. 3. cap. 4. §. 5.) „ suppostitijs antiquorum Pontificum epistolis, quæ jam à sexaginta „ annis sub Isidori nomine consarcinatæ per Europam sparsæ vul„ gabantur, locum inter Canones dare noluit. „ 9. Ex Codice Vigilano, quem à Vigila Monacho anno 976. compilatum tradit Garzias Loaisa in Præfatione Conciliorum Hispaniæ, aitque epistolas Decretales continere centum & unam, sed incipere à Damaso, & finire ad Gregorium I. 10. Ex veteri Codice Canonum Ecclesiæ Romanæ iterùm edito Moguntiæ anno 1525. ut adversus Lutherum Ecclesia eo se tueretur. Habet titulus, hunc Codicem ex tribus vetustissimis exempla-

Antonius Augustin.

Leo 4.

De Marca.

Garzias Loaisa.

emplaribus transcriptum, & tamen solas epistolas Decretales exhibet à Siricio usque ad Gregorium Magnum.

309. Hæc omnia simul sumpta tantæ efficaciæ visa sunt Philippo Labbeo viro è Societate JESU eruditissimo, ut tomo 1. collectionis maximæ, anno 1671. folio 78. post allatas Severini Binnij Annotationes subjunxerit: „ Mirum est, viris doctissimis Turriano, Binnio, „ & quibusdam alijs in tantâ eruditionis Ecclesiasticæ luce probari po„ tuisse Decretales illas epistolas, à quocumque seu Mercatore, seu „ Peccatore fabricatas, & antiquis Romanæ urbis Pontificibus circiter „ annum Christianæ epochæ octingentesimum suppositas: adeo enim „ perspicacibus viris deformes videntur hoc saltem tempore, ut nullâ „ arte, nullâ cerussâ, aut purpurisso fucari possint. Eas omnes saltem „ plerasque earum repudiarunt Viri eruditissimi quique Tractatores „ Catholici. Baronius, Bellarminus, Perronius, Contius, Antonius „ Augustinus, Lorinus, Sirmondus, Duceus, Petavius, Marca, Bos„ quetus. Ut alios modo sive antiquiores, sive recentiores silentio „ obvolvam. „ Addit se probare non posse novelli cujusdam studium, „ " qui mala avi, ex zelo quidem, sed minus prudenti & considerato, „ certè non secundùm scientiam, easdem abjectas ac penitus repu„ diatas defendere aggressus est.

Labbeus.

„ *Non tali auxilio, nec defensoribus istis,*

„ indiget, aut unquam indiguit Romana Ecclesia. „ Enimverò, ut ait Baronius suprà „ *Cum etsi illis careat, ex legitimis germanisque aliorum Ro-* „ *manorum Pontificum epistolis Decretalibus, satis superque corroborata consistat.* Nec solùm ex epistolis Decretalibus, quarum paucæ ex tribus primis sæculis ob vastantem gentilium tyrannidem supersunt, ut rectè animadvertit D. Bail, sed etiam ex antiquorum monumentis, ex quibus solis Eminentissimus Cardinalis Perronius contrà Angliæ Regem cap. 25. Romanæ Ecclesiæ Principatum in orbem terrarum abundantius ostendit, quàm ut à nobis repeti necesse sit, licet vel ex dictis Dissertatione primâ Partis 2. colligi possit, plura alia tam Patrum, quàm antiquorum Scriptorum monumenta superesse, quibus Romanæ Ecclesiæ Primatus in orbem Catholicum resplendeat.

Baronius.

ARTICULUS UNICUS.

De Epistolis Decretalibus num erroribus scateant, & obinde penitus improbandæ sint?

310. Primus hanc difficultatem movit damnatus à Constantiensi Concilio VVicle-fus, hinc & Blondelli calumnias increpat de Marca, cujus mentem atrocioribus in Isidorum, quam par est, verbis exposuit Baluzius, constat enim epistolas Decretales plerumque ex Canonibus & sanctis Patribus compilatas.

311. De epistolis Clementis Papæ, cuius una genuina est ad Corinthios, aliæ sex supposititiæ.

312. De epistolis Anacleti tribus, & Evaristi 2. supposititiis

313. De epistolis Alexandri tribus & Sixti 2.

314. De epistolis Telesphori unicâ, Hygini 2. & Pii duabus supposititiis, quibus à Labbeo adduntur aliæ duæ à Baronio editæ.

315. De epistolis Aniceti unicâ Soteris 2. Eleutheri 1.

316. Victoris epistolis Decretalibus duabus aliæ duæ à Baronio editæ accedunt, & Labbeo aliisque supposititiæ habentur.

317. De Zephyrini epistolis 2. Callisti 2. & Vrbani unicâ.

318. De epistolis Pontiani duabus, Anteri unicâ, & Fabiani tribus.

319. De epistolis Cornelij 2. cuius tamen epistola ad Fabium Antiochenum genuina est apud Eusebium, uti & aliæ duæ Cornelij apud S. Cyprianum.

320. De epistolis Lucij unicâ, Stephani duabus, Sixti 2. & Dionysij 2.

321. De epistolis tribus Felicis 1. Eutythiani 2. & Caij unicâ.

322. De epistolis duabus Marcellini & duabus Marcelli.

323. De epistolis Eusebij tribus & Melchiadis unica.

324. De S. Sylvestro cujus non referuntur Decretales epistolæ, sed alia latius examinanda. Hic interim sistit de Priscorum Pontificum Decretalibus indagatio, ex qua lucidè quidem apparet, eas esse suppositas, sed ex aliorum testimonijs aquè urgentibus & momentosis compilatas.

310. HÆc est secunda circa Decretales epistolas difficultas, cuius fundamina jecit hæreticorum antesignanus Ioannes Wiclefus dum primus mortalium effutierit, quod epistolæ Decretales non solùm sint apocryphæ, sed seducant à fide Christi. Hunc subsecuti Magdeburgenses probris & convitijs epistolas Decretales onerare non cessa-

cessarunt, quorum vestigijs inhærens Calvinista Blondellus in Pseudo-Isidoro Genevæ anno 1628. edito pro innato hæreseos veneno nimis acriter præoccupati animi spiravit indicia, ut præclarè animadvertit Parisiensis Archiepiscopus de Marca lib.3.cap.5. §. 1.,, Cui (inquit) ,, in eo suffragari non possum, quod atrocioribus verbis epistolas dila- ,, cerat : quas è sententijs & verbis legum, Canonum antiquorum & ,, sanctorum Patrum, qui quarto sæculo floruerunt, si pauca demas, ,, concinnatas esse constat.,, Hæc præ modesto animi indicio Dominus de Marca, qui dum pauca excipienda ducit, non de erroribus in fide aut moribus, sed de novo jure, ut putabat, contrà antiquum introducto intellexit, prout Mœcenatis sui mentem, licet acriori quam par est stylo, aperit Stephanus Baluzius, in Præfatione ad Antonij Augustini de correctione Gratiani Dialogorum libros:,, Antiquo ,, juri, quod per septingentos & amplius annos valuerat, successit jus ,, novum ex supposititijs sanctissimorum Romanæ urbis Episcoporum ,, epistolis ab impudentissimo illo nebulone Pseudo-Isidoro prolatis ,, compactum.,, Isidorum Baluzius aggreditur, quem omnium primum has epistolas edidisse constat, fabricasse non constat; forsan aliorum authoritate & fide deceptum fuisse Isidorum, suo loco indicavimus, hinc abstineri mallem cum de Marca à nebulonis cognomine. Exclamatur jus istud novum, quo exarmata sunt jura, introductum fuisse Caroli Magni ævo, & si ad originem recenseas, præcipuum caput erit circa appellationes Episcoporum & circa eorum Judicia, quod num jus novum potius quàm antiquum nuncupandum sit, vidimus Parte primâ Dissertatione secundâ, & Deo opem ferente suo loco fusiùs indagabimus.

De Marca.

Baluzius.

311. Restat paucis præcipua singularum epistolarum capita recensere ex quibus dum constabit, cur supposititiæ judicandæ sint, simul & apparebit, quam rectè scripserit de Marca ex antiquorum & sanctorum Patrum, qui quarto sæculo floruerunt, uti & Canonum statutis compilatas esse, indignas profectò ut circa dogmata atrocioribus verbis dilacerentur : ne verò quisquam existimet me primùm ex Catholicis id attentare, post Baronium in collectione Conciliorum cœpit Philippus Labbeus in notis marginalibus cuncta loca supposita indicare, quæ cum in alijs collectionibus desunt, lubet partim ex Labbeo partim ex proprio suppositarum Catalogum attexere. Primus Romanorum Pontificum post Apostolum Petrum, qui epistolas edidisse fertur, est S. Clemens, cujus prima ad Corinthios epistola à S. Ireneo,

Eusebio, Hieronymo alijsque Patribus memorata hucusque extat interprete Junio Patricio, secunda quoque ad eosdem Corinthios quæ ante tempora Hieronymi reprobari solebat interprete Gottifredo Vendelino, ut latiùs videre est capite 3. suprà. Ultrà illas autem ad Corinthios epistolas, feruntur & aliæ quinque Clementis Papæ epistolæ, quarum 1. est ad Jacobum fratrem Domini interprete Ruffino, & incipit: *Notum tibi facio, Domine, quia Simon Petrus &c.* Secunda ad eumdem Jacobum, & incipit: *Quoniam sicut à B. Petro Apostolo accepimus omnium Apostolorum Patre &c.* Tertia ad omnes Episcopos Presbyteros & fideles, ac incipit: *Vrget nos, fratres, multus amor vester.* Quarta *ad Iulium & Iulianum*, ac incipit: *Oportet, fratres, omnes Doctores, qui ad salutem animarum instituti sunt &c.* Quinta demum ad Hierosolymitanos, & incipit: *Communis vita, fratres, omnibus necessaria est &c.* Et de his quinque epistolis notat in margine Labbeus: „ Baronio, Bellarmino, Perronio, „ Petavio, aliisque eruditis Catholicis νόθαι, multis nominibus suspe- „ ctæ.„ De prima epistola ad Jacobum scribit Launoius in responsionis ad dissertationem de duobus Dionysijs discussione, cap. 3. „Hanc epistolam reiiciunt velut apocrypham Comestor, Gobelinus persona, Turrecremata, Cusanus, Baronius, Bellarminus, Perronius, Driedo, Espencęus, „ Binnius „, & præter hos Sixtus Senensis quoque in Bibliotheca notat primam ad Jacobum dubitatam esse apud multos, de cæteris epistolis nihil haberi, nisi quod multa exinde desumpta sint in Decretis Pontificum. Idem planè notat Antonius Possevinus addens, non constare, sintne Clementis nec ne. De quintâ verò epistolâ ad Hierosolymitanos conscriptâ addit non esse Clementis, aut saltem ab aliquo valdè esse corruptam. „ Initio epistolæ fingitur, Clementem Romanorum „ Episcopum scribere fratribus habitantibus in Hierusalem cum Jaco- „ bo. At Jacobus obiit septennio ante Petrum, nec nisi post eum Cle- „ mens fuit Pontifex Romanus. „ Addit Labbæus in notis marginalibus, ea quæ in hâc epistolâ posita sunt de communi usu omnium, esse desumpta ex Faustiniano Ethnico, quem Clemens refellit libro 10. recognitionum: additur in epistolâ exemplum de Zaphirâ & Ananiâ, quos se præsente mortuos delatos testatur. At rectè in margine Labbeus: „ Non videtur tunc Hierosolymis extitisse Clemens natione „ Romanus, qui plures post annos fidem suscepit. „

Epist. 1. ad Iacob. — Epist. 2 ad eundem. — Epist. 3. — Epist. 4. — Epist. 5. — Labbeus. — Launoius. — Possevinus — Labbeus.

312. Clementem subsequitur Anacletus, cujus circumferuntur epistolæ Decretales tres „ quas (inquit Labbeus in margine) Bellarminus non est ausus indubitatas affirmare, nec negat in eas aliquos erro-

„ errores irrepsisse, eruditis verò Catholicis videntur suppositæ.„ Prima epistola est ad omnes Episcopos & fideles, & incipit, *Benedictus Deus & Pater Domini nostri &c.* Meminit auctor in ea Clementis, quem rectè vocat Anacleti antecessorem, at consuta est epistola tam ex locis Scripturæ, quam ex Clementis ad Jacobum epistolis, uti ex Ruffini, Damasi, aliorumque, qui diu post Anacletum vixerunt, testimonijs, secunda epistola est ad Episcopos Italiæ, quæ incipit cum verbis Damasi Papæ in epistola ad Orientales: *Quoniam Apostolicæ Sedis debitam reverentiam erga me Caritas vestra distribuit.* Addita sunt testimonia ex Augustino, Idacio, Gregorio Magno hinc & inde interpolata. Epistola verò tertia ad omnes Episcopos scripta est & incipit: *Benedictus Deus & Pater Domini &c.* Agitque de Patriarchis, quorum nomen primò audiri cœpit circà tempus Chalcedonensis Concilij. Habet integrum testimonium ex Concilio Romano sub Gelasio, & ex aliis posterioribus Patribus, ut Binnius iis vindicandis operam perdiderit & Antonius Possevinus tomo 1. Apparatus sacri in Anacleto has epistolas immeritò à suppositione liberare conatus sit.

Anacleti epist. 1.

Anacleti epist. 2.

Anacleti epist. 3.

Post Anacletum Pontificatum obtinuit Evaristus, cujus duæ ab Isidoro afferuntur epistolæ, „ quæ (inquit Labbeus in margine) „ supposititiæ Contio aliisque eruditis Catholicis.„ Prima epistola incipit cum verbis Innocentij primi. *Consulentibus vobis fratres carissimi, quid super his* &c. addit, *hac cunctis recitanda per omnes Ecclesias Africanas scripta dirigite*, quæ sunt ipsissima verba Innocentij I. epist. 12. ad Aurelium Carthaginensem Episc. sub finem: „ Unde (inquit Labbeus) „ Plagij merito arguas mercatorem, eumve à quo delusus est.„ Subditur in epistola testimonium Ithacij sive Idacij Clari, qui circà finem sæculi quarti floruit, Incipit hoc Idacij testimonium ex libro adversus Warimadum Arianum desumptum ab illis verbis: *Non enim solus Pater sine Filio lucem inaccessibilem habitat*, & finit in istis: *Patrem ab illo non est credendum fieri alienum.* Est ferè media pars totius epistolæ, cui in fine adduntur Consules. *Data 9. Kalendas Aprilis Valente & Vetere Viris Cl. Consulibus.* Addit Labbeus. „ Consules fuerunt anno Christi 96. „ quo nondum obierat S. Clemens.„ Quod procedit juxtà sententiam communem, nam juxtà Catalogum tunc Evaristus Pontificatum obtinuerat. Secunda Evaristi epistola est ad fratres per Ægyptum, & incipit cum verbis S. Leonis 1. *unum vos fratres sentire oportet & agere &c.* Habet testimonia S. Scripturæ ex interpretatione S. Hieronymi qui trecentis post Evaristum annis vixit. Et notam temporis.

Labbeus.

Evaristi ep. 1.

Labbeus.

Idacius.

Labbeus.

Evaristi ep. 2.

Datâ Kal. Novemb. Gallo & Bradua Viris Clarissimis Consulibus. Subdit Labbeus,, anno Christi 108. adhuc vivente Anacleto.,, Et juxtà secundum Catalogum & Pontificale ponentia mortem Evaristi Gallo & Bradua Consulibus sexto Kal. Novembris, quinque aut sex diebus post obitum suum hanc epistolam scripsisset Evaristus.

Labbeus.

313. Post Evaristum sequitur Alexander, cujus referuntur epistolæ tres de quibus in margine Labbeus: *Viris apprimè Catholicis nobilas suspectæ sunt.* Viri autem Catholici sunt Petavius, de Marca, Lupus aliique omnes primorum Pontificum Decretales epistolas reiicientes. Prima Alexandri epistola scripta est ad omnes orthodoxos, & incipit cum verbis Siricij Papæ epist. 3. *Cogitantibus nobis metum Divini judicij*, & habet plura ex alijs subsequentium sæculorum Concilijs & Patribus, sed insignem locum ex Idacio & epistolâ supposititia Benedicti primi incipientem ab illis verbis numero 6. *Si Trinitas non est, quare tertiò sanctus dixerunt*, & finit, *ipsa est Patris & Filij.* Habet verò temporis notam: *Data 9. Kalend. Augusti, Traiano & Æliano Viris Clariss. Consulibus.* Ad quam in margine notat Labbeus: *Iulio Africano & Æliano*, ut subscriptio mendosa sit. Vidit hoc Decretalium propugnator Binnius, ideo & occurrit hic:,, Ipsos Pontifices nullos Consules in fine ,, epistolarum subjunxisse, sed potiùs aliunde subrepsisse.,, Revera aliunde, sed ab eo, qui epistolarum fabricator fuit. Secunda Alexandri epistola ad omnes Episcopos scripta est, & incipit; *nulli, fratres, dubium est.* Habet locum Oseæ 4. ex versione S. Hieronymi, qui trecentis annis post Alexandrum floruit, & notam Consularem, quæ non reperitur in Fastis. *Data 7. Kalend. Novembris, Traiano & Æliano Viris Clarissimis Consulibus.* Tertia epistola ad omnes Sacerdotes incipiens: *Gratia Dei, sumus fratres carissimi &c.* Habet etiam locum Micheæ 2. ex versione Hieronymi, clausulam sermonum S. Augustini, & notam Consularem: *Data Kal. Maij, Æliano & Vetere Viris Clarissimis Consulibus.* Annotat Labbeus anno 116. hos Consules fuisse vivente adhuc Evaristo, at juxtà Catalogum his Consulibus mortuus est S. Alexander 5. nonas Maij: ut tribus diebus ante obitum debuisset scripsisse hanc epistolam; licet enim Godefridus Henschenius usque ad sequentem annum 116. Alexandri Pontificatum extendat, id tamen non habet Catalogus.

Labbeus. Alexand. epist. 1. Benedictus primus. Binnius. Alexand. epist. 2. Epist. 3.

Alexandro successit in Sede Pontificia Sixtus I. cuius epistolæ duæ circumferuntur, quas, inquit Labbeus, Periti suppositionis arguunt nimirum Petavius, Baronius, Sirmondus, de Marca, Lupus, Baluzius aliique

aliique omnes has Decretales epistolas improbantes: prima epistola ad omnes Christi fideles incipit: *Charissimi fideliter agite in omnibus.* Habet testimonia ex Idacio, Enchiridio Xysti Philosophi alijsque, & subscriptionem: *Data 16. Kal. Maij sub Hadriano & Vero.* Quæ nota Consularis falsa est; nam Hadrianus nunquam cum Vero Consulatum iniit. Secunda epistola habet hanc inscriptionem: *Sixtus universalis Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus omnibus Episcopis in Domino salutem*, quæ à Primitivæ Ecclesiæ Præsulibus aliena est, non quod veritati repugnet, sed morem primorum Pontificum excedat. Habet quædam testimonia ex Historia tripartita aliisque, & notam falsam Consularem: *Data Kal. Aprilis Hadriano & Vero Viris Clarissimis Consulibus.* Cui adde, si hæc epistola iisdem Consulibus, quibus supracitata, fuisset scripta, ordine temporis debuisse præponi priori.

Sixti epist. 1.

Epist. 2.

314. Sixto successit Telesphorus, cujus unica Decretalis epistola circumfertur viris eruditis sæpius nominatis supposititia. Est scripta ad omnes Episcopos, & incipit cum verbis Damasi Papæ epist. ad Illyricos. *Credimus S. Fidem vestram in Apostolorum eruditione laudatam.* Habet plura alia ex Damasi epistolis testimonia, item ex Psal. 25. 36. & 51. versionis S. Hieronymi, & teste Labbeo falsam subscriptionem: *Data 15. Kal. Martij, Antonino & Marco Viris Clarissimis Consulibus.* Incurrit tamen in annum 145. Consulatus Antonini Pii 4. & Marci Aurelij Cæsaris, quo tempore juxtà Catalogum jam diu obierat Telesphorus, licet juxtà communem tunc adhuc supervivebat.

Telesphori epist.

Sequitur Hyginus, cuius circumferuntur Epistolæ Decretales duæ viris iisdem, qui suprà, suppositionis suspectæ. Incipit prima: *Carissimi Deus Filium suum misit.* Et statim addit: *Filius non secundùm Deitatem solam*, &c. quod desumptum ex Idacio contrà Warimadum cap. 3. unde fraus patet suppostoris. Habet insuper ex Aniano ad Constit. 15. tit. 1. lib. 9 desumptum testimonium numero 3. & alia ex Ennodio, qui floruit sub Symmacho Papa circà annum 600. & nota consularis est hæc: *Data 17. Kalendas Octobris Magno & Camerino Consulibus*, quæ iterùm falsa est Consulum nota. Secunda epistola Hygini ad Athenienses iisdem Consulibus data est, quibus præcedens, sicque & supposititia ostenditur.

Hygini epist. 1.

Epist. 2.

Subsequitur Pius Papa primus, cuius circumferuntur duæ epistolæ Decretales, datæ *Claro & Severo viris Clarissimis Consulibus.* Hi Consules habentur æra 146. quâ juxtà communem Telesphorus sedebat, & juxtà Henschenium Hyginus. Habet tamen Catalogus tunc Pontificatum initum à Pio, unde ex tunc Vicariatum obtinuisse existimat Henschenius;

Pii epist. Decret.

nius. At qui Vicariatus potestatem exercet, non inscriberet epistolam 1. *Pius Apostolicæ Sedis Archiepiscopus* : & secundam, *Pius Romanæ urbis Archiepiscopus*. Adde ex Codice Theodosiano varia loca 2. epistolæ inserta. Extant tamen duæ epistolæ Pij Papæ ad Iustum Viennensem Episcopum, quas ex Archivo Viennensi desumptas suis Annalibus intulit Eminentissimus Cardinalis Baronius, cum quo Binnius eas legitimas sustinet, & secunda quidem de Martyribus curandis Antiquitatem redolet, licet & Labbeus annotet, eas epistolas ampliùs non probari ab aliis, quàm priores.

Pii epistolæ à Baronio editæ.

315. Post Pium Pontifex factus est Anicetus, de quo circumfertur epistola unica ad Galliæ Episcopos incipiens: *Bonorum operum & spiritualium studiorum Deum auctorem esse*, &c. quæ sunt ipsissima verba Leonis I. epist. 32. Habet alia ex epist. Leonis 89. & Vigilij Papæ epistolâ 2. ac mendacem notam consularem : *Data octavo Kalendas Iunij, Gallicano & Rufino Viris Clarissimis Consulibus*, illud enim par Consulum non reperitur in Fastis.

Aniceti epist.

Sequitur Soter, cuius duæ epistolæ extant apud eruditos Catholicos suppositæ, prior est ad Campaniæ Episcopos incipiens: *Gaudere vos oportet Fratres*, &c. Additur testimonium ex Idacio, & nota consularis: *Data Nonis Maij Rustico & Aquilino Viris Clarissimis Consulibus*. Hi fuerunt Consules anno 162. juxtà communem anno 7. Pij Papæ, & juxtà Catalogum anno Soteris primo. Secunda verò epistola ad Episcopos Italiæ habet varia ex Leone I. & Martino I. ac pro nota consulari : *Data Kalendas Iunij Cethego & Claro Viris Clarissimis Consulibus*. Et hi Consules juxtà Catalogum, sunt illi, quibus mortuus est Soter. Notandum verò, qui hæc supposuit primis Pontificibus; videri habuisse aliquem ex duobus Catalogis, in quibus cùm soli Consules nominantur, quibus Pontifex sedere cœpit & desinit, illos Consules à Suppostore assumi, quod vel alios non cognosceret, vel ut in iis referendis non erraret, sicque passim primo & ultimo anno Pontificatus has Decretales scriptas effinxit.

Soteris epist. 1.

Epist. 2.

Post Soterem Pontificatum obtinuit Eleutherus, cujus unica fertur Decretalis epistola ad Episcopos per Gallias constitutos & incipit : *Magno munere misericordiæ Dei totius Ecclesiæ Catholicæ multiplicata sunt gaudia &c.* Quæ verba desumpta sunt ex S. Leonis epist 54. adduntur plurima ex interpretatione Aniani ad Imperatorum Constitutiones, & nota Consularis : *Data 5. Idus Iulij Paterno & Braduâ Viris Clarissimis Consulibus*. Hi sunt Consules anno 185. quibus à Catalogo mortuus traditur

Eleutheri epist.

ditur Eleutherus. Habet autem *Paternum* etiam ex Catalogo, cum vix aliunde Consules videatur cognovisse, & legere debuerat ex Fastis *Maternum*.

316. Subsecutus est post Eleutherum Victor, cujus duæ extare traduntur epistolæ Viris eruditis æquè, ac Superiores, suspectæ. Prima est ad Theophilum non Alexandriæ sed Cæsareæ Episcopum, ut primus error sit in inscriptione. Inchoat verò cum verbis Leonis 1. epist. 53. *Multa mihi gratulatio est, dilectissimi fratres, quod manifesto &c.* Habet plura loca ex Leone primo & sub numero 3. *Si quis putaverit se à proprio Metropolitano gravari, apud Patriarcham vel Primatem Diœceseos, aut penes universalis Apostolicæ Ecclesiæ judicetur Sedem.* Quæ verba partim desumpta sunt ex Canone 16. Chalcedonensi. Additur testimonium Isaiæ cap. 50. ex versione vulgatâ Divi Hieronymi, & *data*, dicitur, 13. *Kal. Augusti Commodo & Gravione Viris Clarissimis Consulibus*: His Consulibus Pontificatum obtinuisse Victorem, tradit secundus Catalogus, qui legit quoque *Gravione*, cum in Fastis habeatur Glabrione. Secunda epistola est ad universos Africæ Episcopos, & iterùm incipit cum verbis Leonis I. epist. 4. cap. 2. *Semper enim in æterno consilio Dei mansit humani generis, &c.* Habet & locum Isaiæ 24. ex versione S. Hieronymi, & notam Consularem: *Data Kalendis Septembris, Laterano & Rufino Viris Clarissimis Consulibus.* Et hi Consules sunt, quibus à Catalogis mortuus ponitur Victor, à secundo autem Catalogo dicitur sepultus 5. Kalendas Augusti, & sic auctor harum Decretalium aberravit, ut post obitum superiorem epistolam scripsisse feratur Victor. Adfert Baronius ad an. 198. ex Bibliothecæ Floriac. additamentis epistolam 3. Victoris ad Desiderium Viennensem Episcopum, & aliam ad Parocodam Episcopum de quæstione Paschatis, in quarum ultima refertur, Orientalem Ecclesiam propter celebrationem Paschæ ab Occidentali disiunctam, & in priori Presbyteros, qui Apostolos viderunt, usque ad illa tempora rexisse Viennensem Ecclesiam; at inquit Labbeus *utraque suspecta est*, & revera stylum recentiorem sapit.

Victoris epist. 1.

Epist. 2.

Baronius.

Labbeus.

317. Post Victorem sequitur Zephyrinus, cuius feruntur epistolæ duæ Antonio Augustino, Labbeo, aliisque viris eruditis supposititiæ. Prior est ad Episcopos Siciliæ & incipit cum verbis Hilari Papæ epist. 3. *Divinæ circa nos gratiæ memores &c.* Et alia epistola ad Episcopos Ægyptiacos incipiens: *Tantam à Domino hujus sanctæ Sedis & Apostolicæ Ecclesiæ fundatore &c.* Habentur in utraque epistola sententiæ S. Prosperi aliorumque plurimæ, ac subsignatæ sunt iisdem Consulibus *Saturnino &*

Zephyrini epist. 1.

& Gallicano, quibus juxtà Catalogum Pontificatum iniit Zephyrinus juxtà communem verò Pontificatum adhuc obtinebat Victor.

Sequitur Callistus, cujus epistolæ circumferuntur duæ, de quibus Antonius Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus libro 2. de Emendatione Gratiani Dialogo 4. „ Negasse viros selectos Romæ dicebat „ quicquam Callistum primum scripsisse. Fortassè quia Isidoro parum „ credendum putarent, cujus auctoritate illæ epistolæ fulcirentur. „ Quod si Correctores Romani suprà ex Antonio Augustino adducti Isidoro Mercatori parum credendum existiment, quid ulteriùs requiritur ad abjudicandas Decretales epistolas primis Pontificibus? qui enim fabricavit epistolas Callisti, idem omninò auctor fabricavit cæteras. Prima Callisti epistola incipit cum verbis Gelasij epist 9. *Fraternitatis amore constringimur & Apostolico &c.* Habet loca ex S. Prospero, Ambrosio, Leone I. Concilio Romano sub Symmacho, aliisque, & notam Consularem: *Data undecimo kalendas Decembris Antonino & Alexandro Viris Clarissimis Consulibus.* Iisdem Consulibus scripta est secunda Callisti ad omnes Galliarum Episcopos epistola, quæ incipit cum verbis Simplicij Papæ epist. 1. *Plurimorum relatu comperimus &c.* Consules notati sunt illi, quibus juxtà Catalogos obiit Callistus, & juxtà Pontificale Sedem Apostolicam obtinuit.

Antonius Augustin.

Callisti epist. 1.

Epist. 2.

Post Callistum sequitur Urbanus, cujus fertur epistola unica apud eruditos supposititiâ. Scripta est ad omnes Christianos, & incipit: *Decet omnes Christianos.* Consarcinata est ex testimonijs Pomerij, Isidori, Eucherij, aliorumque, & subnotatur: *Data nonis Septembris, id est quintâ die ejusdem mensis Antonino & Alexandro Viris Clarissimis Consulibus.* Antoninus, Heliogabalus & Alexander fuêre Consules anno 222. & cum iis Consulibus Prædecessor Callistus scripsisse feratur Kal. Decembris, colligere licet, quam absonè scripsisse statuatur Urbanus iisdem Consulibus nonis Septembris.

Vrbani epistola.

318. Urbano successit Pontianus, de quo feruntur epistolæ duæ, „ " fictæ itidem (inquit Labbeus) ac suppositæ doctis viris habentur „ ex Gregorij & Sixti præsertim Lacinijs consutæ. „ Prima scripta est ad Felicem Succribonum, & incipit: *Oppidò cor nostrum caritati vestræ congaudet, quod studium sanctæ Religionis &c.* Quæ verba desumpta sunt ex S. Gregorij epist. 95. lib. 7. & subnotatur: *Data 10. Kal. Feb. Severo & Quintiano Viris Clarissimis Consulibus.* Consules memorantur à Catalogo, quibus Pontianus in exilium mittitur. Secunda epistola ad Fideles incipiens: *Gloria in excelsis*, & supradictis Consulibus quoque scripta

Labbeus.

Pontiani epist. 1.

Epist. 2.

scripta est, quod præter citatos à Catalogo alios vix cognoverit suppostor.

Subsequitur Anterus, cujus habetur epistola unica ad Episcopos per Bœticam & Toletanam Provincias, de qua Antonius Augustinus in cap. 62. Hadriani: „ Suspectum nomen est Toletanæ Provinciæ, „ cum illis temporibus Toletum oppidum fuerit minus nobile„ incipit cum verbis Siricij Papæ epist. 2. *Optatum fratres carissimi semper dilectionis & pacis vestræ &c.* Habet de mutationibus sedium signanter Eusebium translatum Alexandriam,& Petrum translatum Ephesum,qui Episcopi ignoti sunt Viris doctis. Habet plura testimonia ex Ennodio,& insignem locum ex D. Hieronymo, qui incipit: *Habeant omnes simplicitatem columbæ.* Et notam Consularem ex M.S. Justelli: *Data 12. Kal. Aprilis, Maximiano & Africano Viris Clarissimis Consulibus.* Habet verò Catalogus Maximino & Africano Consulibus Anterum Pontificatum obtinuisse.

Ant. Aug.

D. Hieron.

Antero successit Fabianus, cujus tres epistolæ feruntur Viris doctis suppositæ. Prima ad Comministros scripta est incipiens cum verbis Leonis I. epist. 4. *Divinis præceptis & Apostolicis monemur institutis &c.* Narrat Novati & Novatiani schisma, à quo cavendum docet, ubi Novatiani ab Ecclesiâ separatio contigit post mortem dumtaxat Fabiani sub Cornelio, ut pluribus docet Baronius ad annum 238. Habet plura testimonia ex Bonifacio Episcopo Moguntino, & *Data* est *Kalendis Iulij Maximino & Africano. V. Cl. Consulibus*, qui Consules numerantur à Catalogo initio Pontificatus Fabiani. Secunda epistola ad omnes Orientales Episcopos incipit: *Exigit dilectio vestra.* Habet plura testimonia ex S. Augustino, Gregorio Magno, & alijs, ac meminit *Curiæ*, cui tradi præcipitur Clericus suo Episcopo infestus, quæ curia valdè suspecta est Antonio Augustino in cap.38. collectionis Hadriani. est hæc epistola sine Consulari nota, quam iterùm tertia ad Hilarium Episcopum incipiens cum verbis Hilari Papæ epist. 3. *Divinæ circà nos Gratiæ memores &c.* Exhibet 7. *Kal. Novemb. Africano & Decio V. C. Consulibus.* Habet Catalogus mortuum fuisse Fabianum Decio & Grato Consulibus, nec meminerunt Fasti Decij & Africani, ut planè mendosa sit adnotatio & loco Grati erroneè substitutus fuerit Africanus.

Fabiani epist. 1.

Epist. 2.

Antonius Augustin.

Epist. 3.

319. Fabiano successit Cornelius, de quo duas Decretales epistolas retulit Isidorus Mercator, Baronio alijsque eruditis æquè ac præcedentes suspectas.Prima est de translatione Corporum B. Petri & Pauli

Cornelij epist. 1. & schismate Novatiani ad omnes fideles, incipiens : *Videns caritatis vestræ benevolentiam &c.* Habet plura loca ex S. Gregorio Magno, & Martino I. ac subnotatur : *Data septimo idus Septembris Decio & Maximo Viris Clarissimis Consulibus.* Et his Consulibus anno 25. nondum Cornelium fuisse Pontificem ob unius anni interregnum, ostendimus in Chronologia. Hinc & secunda epistola ad Rufum Coëpiscopum Orientalem incipiens cum verbis Gregorij Magni epist 32. lib. 12. *Exigit dilectio tua &c.* Suppositítia apparet, quod iisdem Consulibus Decio & Maximo subnotetur, licet & aliunde ex varijs consarcinata suppositionis indicium secum ferat. Extat tamen genuina epistola Cornelij Papæ ad Fabium Antiochenum, apud Eusebium lib. 6. cap. 43. profert & aliam brevissimam ad Lupicinum Viennensem Episcopum Cardinalis Baronius ex Bibliotheca Floriacensi, & extant duæ aliæ Cornelij epistolæ ad Cyprianum inter ipsius Opera editionis Pamelij & Rigaltij 46. & 48. quæ genuinæ sunt, & ex quibus apparet, quid distent æra Lupinis, & subæratæ Merces aureis Veterum scriptis, ut loquitur Labbeus. Habet verò D. Hieronymus libro de Scriptoribus Cornelium scripsisse epistolas ad Fabianum.

Epist. 2.

320. Cornelius pro successore habuit Lucium, de quo producitur epistola unica ad Galliæ atque Hispaniæ Episcopos viris eruditis suppositítia. Incipit cum verbis Leonis primi epist. 28. *Litteras dilectionis vestræ, quas ad B. Petri Apostoli Sedem &c.* Habet plura Conciliorum subsequentium testimonia, locum Psalmi 82. ex interpretatione Hieronymi, Agatonis Papæ verba, & notam Consularem : *Data Kalend. Aprilis Gallo & Volusiano Viris Clarissimis Consulibus.* Qui Consules sunt ipsissimi à Catalogo memorati, sed quibus Consulibus tunc temporis adhuc vivebat Cornelius usque ad 14. Septembris.

Lucij epist.

Subsequitur Stephanus, de quo feruntur epistolæ duæ viris eruditis pariter adulterinæ. Prima est ad Hilarium Episcopum & incipit cum verbis S. Leonis primi epistolâ 46. *Quamquam speremus, dilectionem tuam ad omne opus bonum &c.* Mutuavit complura testimonia ex Aniano in lib. Constit. Codicis Theodos. aliorumque, ac subnotatur: *Data quinto nonas Maij Valeriano & Gallieno Viris Clarissimis Consulibus.* Iisdem Consulibus data est secunda ad universos Episcopos epistola, incipiens cum verbis Leonis primi epistola 40. ac plura loca hausit ex epistolis 25. & 26. Bonifacij, aliorumque, meminit etiam num. 6. Patriarcharum, quod nomen tempore Stephani Papæ nondum usurpatum erat.

Stephani epist. 1.

Epist. 2.

Stepha-

Stephano successit Sixtus secundus, de quo feruntur epistolæ, quæ viris eruditis spuriæ, ut priores: ac prima quidem scripta est ad Gratum Episcopum incipiens cum verbis Leonis primi epistola 31. *Lætari & gaudere me plurimum in Christo &c.* Subdit integrum locum ex Idacio ad Warimadum cap. 12. qui incipit cum illis verbis: *Non ex tempore neque post tempora*, & finit diu post in istis: *Ex tempore vel post tempora nasci non potuit.* Habet parum infrà locum ex Concilio Sardicensi & notam Consularem, quæ non reperitur in Fastis: *Valeriano & Decio* Consulibus. Iisdem supposititijs Consulibus scripta est secunda epistola ad Hispaniarum Episcopos incipiens cum verbis Leonis primi epist. 54. *Magno munere misericordiæ Dei, totius Ecclesiæ &c.* Aliaque subdit ex Gregorio I. S. Prospero & alijs.

Sixti epist. 1. Idacius. Epist. 2.

Sixto 2. successor datus est Dionysius; cujus feruntur similiter epistolæ duæ viris eruditis adulteratæ. Prima est ad Urbanum Præfectum, *Data 4. nonas Februarij Aureliano & Basso Viris Cl. Consulibus.* At errat in primo, qui scribendus erat Emilianus, sub quo traditur à Catalogo sedem obtinuisse Dionysius anno 258. idque, *ex die Kalendarum Augusti*, unde epistola scripta esset ante adeptum Pontificatum, nisi dicere velis scriptam hanc epistolam à Dionysio post mortem Aureliano & Basso Consulibus anno 271. Secunda epistola scripta est ad Severum incipiens cum verbis Leonis primi epist. 24. *Olim & ab initio tantam percepimus à B. Petro Apostolorum Principe &c.* Habet loca ex S. Gregorio Magno, quæ vel parùm versati ex stylo cognoscerent, & subnotatur: *Data 5. idus Septembris Claudio & Paterno V. Cl. Consulibus*, his autem Consulibus mortuus traditur à Catalogis Dionysius.

Dionysij epist. 1. Epist. 2.

321. Post Dionysium Sedem obtinuit Felix I. de quo circumferuntur epistolæ tres viris eruditis supposititiæ, ac prima ad Paternum Episcopum incipiens cum verbis Leonis I. epist. 31. *Gaudere me plurimum & exaltari in Domino.* Habet plura S. Gregorij loca, & notam Consularem omnimodò falsam quamcumque te vertas in partem: *Data nonis Iunij, Claudio & Aureliano V. Cl. Consulibus.* Claudius & Aurelianus memorantur à Catalogo tempore Felicis fuisse Imperatores, non Consules. Secunda epistola ad Galliæ Præsules incipiens cum verbis Leonis primi, epist 32. *Bonorum operum & spiritualium studiorum Deum &c.* Habet locum ex Petro Chrysologo & ex pluribus alijs, ac *Data quinto idus Augusti, Claudio & Paterno Viris Cl. Consulibus.* At istis Consulibus tunc temporis adhuc vivebat Dionysius Papa. Tertia epistola scripta est ad Benignum Episcopum incipiens cum verbis Zachariæ Pontificis epist. 5.

Felicis epistola 1. Epist. 2.

Epist. 3. *Suscipientes fraternitatis tuæ epistolas, quibus me requisisti &c.* Habet testimonia Idacij, quæ sæpiùs in alijs Decretalibus posuerat auctor, idque dissimulare non potuit scribens hic: *Sæpius ista jam diximus, quia secundum hominis formam Filius visibilis dicitur &c.* Id sese sæpiùs dixisse scribit respiciens ad aliorum Pontificum epistolas, quas idem suppostor fabricarat.

Felicem subsecutus est Eurychianus, de quo proferuntur epistolæ duæ Viris doctis spuriæ. Prima ad Episcopos Bœticæ Provinciæ, incipiens cum verbis Symmachi Papæ epist.5. ad Cæsarium. *Hortatur nos æquitas postulationis desiderio fraternitatis tuæ gratanter annuere &c.* Habet plura testimonia ex S. Hilarij libris de Trinitate, ac Canonem Apostolorum citat juxtà versionem Dionysij Exigui. *Data 2. Idus Aprilis, Aureliano & Marcello V. Cl. Consulibus.* Anno 275. quo cœpisse traditur à Catalogo Eutychianus. Secunda Eutychiani epistola ad Episcopos Siculos incipiens cum loco ad Ephesios 1. ex versione mixtâ ex Italicâ & Hieronymianâ: *Benedictus Deus & Pater Domini &c.* Habet aliud testimonium versionis D. Hieronymi ex Psal. 33. & locum ex Codice Theodosiano, ut subodoratus est Antonius Augustinus in notis ad collect. Hadriani I. *Data 13. Kalendas Octobris Caro 2. & Carino V. Cl. Consulibus.* Quibus Consulibus anno 283. Eutychianus à catalogis occubuisse memoratur, ac si primi illi Pontifices nullam ferè Decretalem epistolam scripsissent nisi anno primo, & ultimo Pontificatus.

(Eutychiani epist. 1.) (Epist. 2.)

Successit Caius à Pontificali Gaius nuncupatus, de quo fertur epistola unica ad Felicem Episcopum incipiens cum verbis Vigilij Papæ epist.3. *Directas nos tuæ caritatis epistolas plenas Catholicæ inquisitionis &c.* Et inter alia habet hæc epistolâ locum de verbo ad verbum ex S. Leonis epistolâ 97. & incipit, *Quicumque illi sunt ita obcæcati &c.* Circà initium numeri 4. & desinit cum numero 5. his verbis, *assumptum est in gloria*; unde luce clarius agnoscitur fraus auctoris, qui integras ferè aliorum Pontificum epistolas primis Pontificibus supposuit. Data est *Kalendis Martij, Diocletiano 6. & Constantio 2. Viris Cl. Consulibus.* Anno nimirum 296. quo à Catalogis mortuus ponitur Caius.

(Caii epist.) (Leo I.)

322. Caius pro successore habuit Marcellinum, cujus referuntur epistolæ duæ Viris eruditis supposititiæ. Prima scripta est ad Salomonem Episcopum incipiens cum verbis Leonis I. epist. 93. *Quam laudabiliter pro Catholicæ fidei veritate &c.* Consarcinata est ex testimonijs Idacij ad Warimadum cap.51.52.53.& 55.& Hormisdæ Papæ epist.24.25. aliisque. *Data 8. Idus Septembris, Diocletiano 6. & Constantio V. Cl. Consulibus.*

(Marcellini epist. 1.)

Iis

Iis nimirum quibus juxtà Catalogum cœpit Pontificatum. Secunda autem scripta est ad Orientales Episcopos incipiens: *Quid tam dulce &c.* Addit statim, *quid tam religiosis conveniens institutis &c.* Quæ verba desumpta sunt ex epistolâ Hormisdæ 65. quæ vel unica suppositionem oculis omnium exponit. *Data* 5. *Idus Septembris Diocletiano* 7. *& Maximiano* 6. *V. Cl. Consulibus.*

Epist. 2.

Sequitur Marcellus, de quo epistolæ duæ pariter supposititiæ. Ac prima quidem ad Episcopos Antiochenæ Provinciæ incipit: *Sollicitudinem omnium Ecclesiarum.* Statimque subdit loca ex Acacio Constantinopolitano Episcopo, Hilaro, Innocentio, Gregorio, Leone & aliis, ac subnotatur: *Data Kalendas Aprilis Maxentio & Maximo V. Cl. Consulibus.* At Marcellus jam obierat 16. Kalendas Januarij, ut hanc epistolam post obitum scripsisset. Secunda est ad Maxentium incipiens cum verbis S. Gregorij epist. 114. lib. 7. *Magistra bonorum omnium caritas, quæ nihil rapit extraneum &c.* Habet aliorum loca complura, & Scripturas ex versione D. Hieronymi, scriptaque dicitur: 16. *Kal. Februarij Maxentio, & Maximo V. Cl. Consulibus*, quando jam moriebatur ipse Marcellus.

Marcelli epist. 1.

Epist. 2.

323. Marcello successor datus est Eusebius, de quo tres epistolæ confictæ, ac spuriæ omnes, ut notat Labbeus. Prima data est ad Episcopos Galliæ incipiens cum verbis S. Gregorij lib. 11. epist. 36. *Scripta sanctitatis vestræ &c.* Habet plura ex Ennodio, ac subnotatur *data* 6. *Kal. Augusti, Constantino Consule.* Sub Constantino Imperatore non Consule mortuum Eusebium, habet Catalogus. Secunda epistola ad Ægyptios incipit cum verbis Pauli. *Benedictus Deus & Pater &c.* Addit plura alia Pauli loca, ex quibus sibi invicem pro more suppostoris subjunctis integra ferè Epistola composita est: habet quoque locum satis amplum ex quintâ Romanâ sub Symmacho Synodo, & data est eodem Constantino Consule. Tertia epistola est ad Episcopos Tusciæ & Campaniæ incipiens cum verbis Hormisdæ Papæ epist. 25. *Benedictus Dominus noster, qui per misericordiam suam Romanam Ecclesiam &c.* Habet complura aliorum loca, ac meminit inventionis S. Crucis ex duobus posterioribus Catalogis, quod est contra omnes historicos, cum tempore Eusebij Papæ Crux nondum inventa fuerit. Data est eodem, quo supracitatæ epistolæ, Consule Constantino.

Eusebij epist. 1.

Epist. 2.

Epist. 3.

Eusebium subsecutus est Melchiades, de quo habemus epistolam unicam ad Hispaniæ Episcopos, quæ incipit: *Apostolici præcepti verba sunt apud Judæos,* &c. Additur locus ex Cælestini-Papæ epistolâ ad Gallos,

Melchiad. epist. 1.

Gallos, *Hoc quisquis Christianus.* Utitur & versione Hieronymi, & habet insignem locum ex Eucherio Homiliâ de Pentecoste Eusebio Emiseno passim sed falsò tributâ. Incipit Eucherij testimonium cum illis verbis: *Advertamus summas divitias bonitatis Dei*, &c. numero 2. epistolæ. Et *Data Kalendis Martij Volusiano & Rufino V. Clar. Consulibus.* Kalendis verò Martij Melchiadem fuisse mortuum anno 314. vidimus in Chronotaxi.

324. Melchiadi successit Silvester, de quo non feruntur Decretales Epistolæ, sed alia suo loco discutienda: & hic finem impono primorum Pontificum epistolis, quas ab aliquo suppositas esse, post tot illustria documenta cuique facilè innotescet, eas tamen ab erudito quodam Catholico ex antiquis Patrum Scriptis, & S. Scripturæ testimoniis desumptas fuisse, ostendunt tot S. Leonis, Hilari, Symmachi, Gregorij Magni, Hormisdæ, Zachariæ, aliorumque Pontificum testimonia, quinimò S. Ambrosij, Eucherij, Hilarij, Augustini, Prosperi, Idacij, Petri Chrysologi, Isidori, aliorumque tam frequentia loca, ex quibus & sacris Scripturis juxtà versionem D. Hieronymi ac Legum Imperialium juxtà Observationes Aniani flatutis integræ epistolæ consutæ sunt, ut quantumcumque de Suppositione constet, de veritate tamen sententiarum ambigere vix liceat, sicque pateat, quàm verè scripserit Parisiensium Archiepiscopus de Marca loco suprà citato, malè atrocioribus verbis epistolas Decretales dilacerari: „ quas è sententiis & „ verbis Legum, Canonum antiquorum, & sanctorum Patrum, qui „ quarto saltem sæculo floruerunt, concinnatas esse constat. „ Hic aures erigat, quicumque has epistolas detestandas proclamat: suppositas primis Pontificibus fateor, sed illorum Pontificum loco succedunt sacræ Scripturæ, Canones Conciliorum, sanctissimi Pontifices & Patres, qui quarto & quinto sæculo floruerunt, ut subsequentia sæcula facilè potuerint decipi in primorum Pontificum nominibus, cùm videbant in epistolis eorum nomine propositis sacra Antiquitatis vestigia, & orthodoxa Veterum elucere dogmata. Hinc tempore Isidori Peccatoris luci datas suscepit omnis Hispania, hinc & à Riculpho Moguntino allatas in hasce partes venerata est cum Hincmaro Remensi ad hoc usque sæculum omnis Gallia, hinc demum & oblata Hadriano I. non rejecit Sedes Apostolica, cuius Pontifices uti eruditiores Catholici eis frequenter usi sunt solo errore Authoris, non veritate sermonis.

De Marca.

CAPUT

CAPUT VI.

De Baptiſmo Conſtantini, num Romæ à S. Silveſtro, num Nicomediæ ab Euſebio collatus fuerit, an potiùs & Romæ & Nicomediæ?

325. *Epiſtola de munificentia Conſtantini Melchiadi adſcripta mentionem facit Baptiſmi Conſtantini à Silveſtro ſuſcepti, ſed quia ſuppoſititiam eſſe conſtat, quæritur num & ſuppoſititius ſit Baptiſmus in eâ memoratus? Antiquum de Baptiſmo illo diſſidium oſtenditur ex Theophane, qui pro Baptiſmo Romæ ſuſcepto militat argumentum deſumens ex Baptiſterio Conſtantini Romæ adhuc uſque tempora extante.*

326. *Confirmant id varia Antiquorum teſtimonia, Prudentij, Sulpicij, Catalogi ſexto ſæculo exarati, Gregorij Turonenſis, Hadriani I. Theophanis, Anaſtaſij Bibliothecarij, Leonis 9. Nicephori Calliſti, aliorumque, quibus ſubſcribit Romana Eccleſia.*

327. *Conſtantinum tamen Nicomediæ in extremo vitæ baptizatum non minus urgentia teſtimonia convincunt Euſebij, Theodoreti, Sozomeni, Socratis, Libelli Synodici, Ambroſij, Hieronymi, & Patrum Ariminenſium, quorum teſtimonium elucidatur, & quorum ſententia nunc communiter recepta eſt in Galliâ.*

328. *Dum hæc ab oppoſitarum ſententiarum defenſoribus in utramque partem diſputantur, incidit poſſibile fuiſſe, Conſtantinum & Romæ primò, & Nicomediæ ſubinde baptizatum, idque non novum eſſe, ſed à centum annis Iacobatium, à 260. Zenum Patavinum Epiſcopum, à 600. Marianum Scotum, tradidiſſe, quinimò ab Euſebio Cæſareenſi inſinuatum fuiſſe, oſtenditur.*

329. *Conjecturas ex Euſebio deſumptas videtur confirmare D. Hieronymus in Chronico, cum Euſebium circa Baptiſmum Conſtantini Nicomediæ corrigit, ſcribens, eum baptizatum ad dogma Arianum declinaſſe. Dogma autem illud non videtur eſſe aliud quàm rebaptizatio, unde & Mariani Chronicon legit, rebaptizatum.*

330. *Confirmat inſuper Arianiſmus Euſebij Nicomedienſis, quandoquidem Arianos rebaptizaſſe varijs antiquorum monimentis doceamur. Licet autem probari non poſſet, tempore Euſebij Nicomedienſis Arianos rebaptizaſſe, adhuc ſubſiſtere poſſet teſtimonium Hieronymi, ſi ipſius tempore hoc dogma Ariani amplectebantur.*

331. *Mirum quidem videbitur, Conſtantinum fuiſſe rebaptizatum, at magnum*

illum Imperatorem circa finem vitæ deliquisse in dogmate cum D. Hieronymo iisdem verbis refert S. Prosper Augustini Discipulus, & ex S. Isidoro Hispalensi Episcopo refert Elipandus Toletanæ civitatis Antistes, cuius verba probat Carolus Magnus in epistolâ actis Concilij Francofurdiensis insertâ.

332. *Hæc tamen omnia de Constantini rebaptizatione non adeò certa existimo, quin aliorum ulteriori indagini relinquam, quanquam ex Hieronymo & Prospero constet, Eusebium non rectè scripsisse, Constantinum Baptismo Nicomediæ suscepto à peccatis liberatum se meritò beatum prædicasse, quinimò & constet, magnum Constantinum in finæ vitæ Eusebii Nicomediensis consilia & acta vituperasse, dum ipso contrarium suadente D. Athanasium revocarit.*

Epistola Melchiadi adscripta.

325. Extat epistola sub nomine Melchiadis de primitivâ Ecclesiâ & munificentiâ Constantini Magni, in qua baptisatus innuitur Constantinus ante Nicænum Concilium hisce verbis: *Cum inter turbines & adversa mundi succresceret Ecclesia, eousque pervenit, ut non solum gentes sed etiam Romani Principes, qui penè totius orbis Monarchiam tenebant, ad fidem Christi & Baptismi Sacramenta concurrerent: è quibus vir religiosissimus Constantinus primus Fidem veritatis patenter adeptus licentiam dedit per universum Orbem sub suo degentes Imperio non solum fieri Christianos, sed etiam fabricare Ecclesias &c.* Verum cum certum sit Constantinum tempore Melchiadis nondum fuisse baptizatum, certum quoque esse debet, hujus epistolæ auctorem non fuisse Melchiadem. Ad supracitata verba de Romanis Principibus ad Fidem conversis, & eorum omnium Primo Constantino oculos vertit Labbeus, & annotat in margine: „ Auctorem „ hæc notant Constantino Magno eiusque successoribus posteriorem „ anno 590. quo electus est S. Gregorius Papa. „ Consonat Binnius, qui ex eo, quod hæc epistola mentionem faciat Nicæni Concilij, eamdem falsò adscriptam Constantino fatetur, „ verius itaque est (inquit) „ ipsum Isidorum compilatorem potius, quàm collectorem, auctorem „ esse hujus epistolæ quam ex 3. Canone Concilij Chalcedonensis & „ fragmento quodam epistolæ 24. lib. 1. Gregorij Papæ, & Nicæni „ Concilij Historia compilatam esse constat. Baronius anno 312. num. „ 80. „ Hæc Binnius, qui utinam in cæteris Decretalibus abjudicandis eandem viam ingressus fuisset. Quæstio est, cum hæc epistola suppositiria sit, num auctor rectè insinuarit, Constantinum Romæ à S. Silvestro baptizatum? est antiquissimum inter Occidentales & Orientales Ecclesias dissidium, quod Theophanes apud Anastasium Bibliothecarium in Chronologiâ tripartitâ suo tempore exagitatum fuisse

Labbeus.

Binnius.

verbis

verbis lucidissimis describit, & pro Baptismo Romæ suscepto: *Octavo decimo sanè Imperij sui anno (ut quidam dicunt) Constantinus cum Crispo filio suo Romæ à Silvestro baptizatus est, quotquot enim in Seniori Româ consistunt, usque hodiè Baptisterium habent in testimonium, quoniam à Silvestro Romæ baptizatus est post tyrannorum peremptionem.* Idem illud pro Baptismo Constantini Romæ suscepto urgendum duxit præterito sæculo Reginaldus Polus Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Concilij Tridentini Præses in ea quæstione, quam de Baptismo Constantini conscripsit, & nuperrimè tomo 14. Conciliorum edidit Philippus Labbeus, ubi additur, vel hoc unicum sufficere, quod etiamsi rationes deficerent, lapides clament & testimonium reddant. Et hæc quidem de Baptisterio nunc usque extante & juxtà ædes Lateranas omnium fidelium oculis exposito.

Theophanes.

Card. Polus.

326. Confirmatur verò ex Baronio à Binnio authoritate actorum Silvestri, Liberij, Concilij Romani 1. & Nicæni à Dalmatiano Cyziceno Episcopo collecti, ut videre est apud Baronium tom 3. Annalium & apud Binnium in notis ad Eusebium. Et adstipulantur Prudentius apud Thomam Bozium libro 2. de Signis Ecclesiæ, cap. xi. qui ita introducit loquentem de Constantino super Maxentium triumphante Theodosium: *Iamque ruit paucis Tarpeia in rupe relictis ad sincera virum penetralia Nazareorum, atque ad Apostolicas Evandria curia fontes.* Sulpitius Severus circà annum 400. libro 2. Historiæ, cap. 47. finis Diocletianæ persecutionis *fuit abhinc annos* IX. *&* LXXX. *à quo tempore Christiani Imperatores esse cœperunt. cap.* 48. *namque tum Constantinus rerum potiebatur, qui primus omnium Romanorum Principum Christianus fuit.* Christianum eum vocat sæpiùs ante narrationem de obitu Sulpitius, cum verò nemo Christianus nisi per Baptismum, etiam diu ante obitum baptizatum insinuat. Antiquus Romanorum Pontificum Catalogus tempore Justiniani Imperatoris circà annum 530. conscriptus in vitâ Silvestri: *Hic in exilio fuit in montem Soraclem persecutione Constantini concussus: & postmodum rediens cum gloriâ baptizavit Constantinum Augustum, quem curavit Dominus pro Baptismo à leprâ.* S. Gregorius Turonensis Episcopus ad finem sæculi sexti qui dum agit de Baptismo Clodovei Francorum Regis: *Procedit* (inquit) *novus Constantinus ad lavacrum deleturus lepræ veteris morbum, sordentesque maculas gestorum antiquorum recenti latice delecturus.* Hic alludit manifestè S. Gregorius ad acta Silvestri testantia de Constantini leprâ, & mundatione per Baptismum à Silvestro susceptum. Hadrianus Papa primus circa ann. 786. in epistolâ ad Constantinum Imperatorem & Irenem ejus matrē lectâ in Synodo Generali 7.

Acta Silvestri in tomis Concil.

Prudentius

Sulpitius Severus.

Catalogus tempore Iustiniani conscriptus.

S. Gregor. Turonensis

& ejus actioni 2. insertâ, ubi narrat Constantini conversionem, & ex Petri & Pauli præscripto trinâ immersione à S. Silvestro baptizandum: *Hunc* (inquit ex verbis Petri & Pauli, de Silvestro in monte latente ad Constantinum) *cum ad te adduxeris, ipse tibi piscinam ostendet, in quam dum tertio merseris, omnis te valetudo deseret lepræ.* S. Theophanes Abbas Græcorum & Miraculis in Oriente clarus: *Mihi autem verius apparet, quod Romæ à Silvestro fuerit baptizatus, & quod nominatæ constitutiones, quæ ad Melchiadem feruntur, ab Arianis fictæ sint, qui gloriam hinc sibi festinant acquirere, vel etiam piissimum Principem lacerare, dum scilicet ex hoc volunt eum non baptizatum ostendere, quod est irrationabile atque falsissimum. Si enim non erat in Nicæna Synodo baptizatus, ergo nec divinorum participator mysteriorum: nec orabat cum sanctis Patribus, quod nequissimum est & dicere & sentire.* Ita Theophanes in chronologiâ tripartitâ, quam compilavit Anastasius Bibliothecarius vir suo sæculo eruditissimus, qui & Concilio Generali octavo interfuit, nec solum in chronologia Theophanis, sed etiam in Pontificali Damasi inseruit hujus rei testimonium: *Hic in exilio fuit in monte Serractensi* (inquit in vitâ S. Silvestri) *& postmodum rediens cum gloriâ baptizavit Constantinum Augustum, quem curavit Dominus leprâ.* Leo nonus in authoritatem admittens Constantini Imperatoris Donationem aut Decretum, ex quo epistolâ 9. ad Michaëlem Patriarcham Constantinopolitanum laudat: *Baptismatis sui enucleatam commendationem.* Nicephorus Callistus ante 360. annos, qui dum omnes historicos Græcorum perlegerat, scribit libro 8. cap. 3. de Constantino leprâ percusso, ad quam abluendam Principes Apostolorum pro sanguine infantium aquam baptismalem suadent à Silvestro adhibendam: *Principes Apostolorum se ei spectandos exhibent, Romanæque urbis Antistitem accersere jubent, piscinam apud eum esse ostendentes, cujus lavacro ablutum illum salvum subito & incolumen fore dicunt. Advenit ille, quæ opus sunt, refert, Imperatorem baptizat &c.* Latius hæc confirmat libro 7. cap. 35. & post fundamenta hanc ob rem proposita concludit, *quod Ecclesia à Silvestro eum Romæ baptizatum esse certò prædicat. Quapropter testatum omnibus esse volo, ut hic sic etiam ipsi tuto & opinentur & credant.* Hæc homo Græcus & schismaticus in omni antiquitate versatissimus, cui accedunt Georgius Cedrenus, Zonaras, Balzamon aliique Græci à Cardinali Polo relati. Quos sequuntur Romanæ Ecclesiæ Cardinales Baronius, Bellarminus, Jacobatius, aliique passim ex antiquis Romanæ Ecclesiæ Codicibus & Breviarijs, juxtà quorum fidem hucusque Romana Ecclesia in Breviario suo à pluribus Pontificibus recognito retinet Baptismum Constantini Romæ susceptũ à Silvestro Pontifice.

Hadrian. I.

Theophanes.

Anastasius Bibliothecarius.

Leo 9.

Nicephor Callistus.

327. Et

327. Et hæc quidem momentosa pro Baptismo Romæ, at non minus urgentia pro Baptismo Constantini Nicomediæ, de quo omnium præcipuè Eusebius istorum temporum Scriptor Cæsareensis in Palestina Episcopus libro 4. de vitâ Constantini, cap. 61. & cap. 62. testatur verbis Constantini, se Baptismum ad Jordanis aquam distulisse, at nunc exoptare cum ægritudo corporis finem vitæ prænuntiaret. *Vt vero* (inquit Eusebius) *ei in mentem venit extremus eius vitæ dies, existimaretque hoc tempus oportunum esse ad delenda illa errata, quæ, quoniam mortalis erat, admiserat: crederetque arcanorum mysteriorum efficaciâ, & salutaris lavacri initiatione mentem expiari: hæc, inquam, cum ei in mentem venirent, humi procumbens genibus, & in ipsa martyrum æde errata sua confessus, supplicem se Deo offerebat. Vbi primum manuum per precationem impositione dignus habitus est. Inde discedens ad suburbana Nicomediæ civitatis pervenit: & convocatis Episcopis, ita ferè ad eos locutus est: quam ego fratres &c.* Exponit desiderium, quod habuerat in Jordane suscipiendi Baptismum, & eo exposito pergit Eusebius: *Illi vero sacrorum Religione consummatâ, adhibitisque statis divinæ institutionis cæremonijs, arcanorum Mysteriorum eum participem faciunt.* Hæc Eusebius, quæ se legisse in Eusebio confirmat Photius Codice 127. pertractans Eusebij de vitâ Constantini libros: *Refert ergo hic Nicomediæ baptizatum magnum Constantinum, hactenusque lavacrum distulisse, quod in votis haberet, in Iordane Baptismo tingi, quis verò baptizarit, silentio præterit.* Eusebium subsecuti sunt Theodoretus Cyri Episcopus libro 1. Historiæ, cap. 32. versionis Valesianæ: *Imperator Nicomediæ degens, morbo corripitur: cumque incertum esse exitum vitæ animadverteret, divini lavacri gratiam suscepit. Quod quidem ad id usque temporis distulerat, cum in Iordane illud suscipere desideraret.* Sozomenus libro 2. cap. 34. Constantinus *affecta corporis valetudine Helenopolim Bithyniæ perrexit, ut aquis illic suaptè naturâ calidis uteretur. Sed cum morbus ingravesceret, Nicomediam deportatus est. Ibi in suburbano degens, Baptismi Sacramenta suscepit. Quâ re mirum in modum exhilaratus, gratias egit Deo.* Socrates libro 1. cap. 39. *Cum morbum ingravescere sensisset, lavacrum quidem distulit, Helenopoli autem abscedens, Nicomediam profectus est. Illic in suburbano degens, Christianum Baptisma suscepit: quo vehementer exhilaratus testamentum condidit.* Libellus Synodicus ante 700. annos editus apud Philippum Labbeum tomo 2. Conciliorum fol. 88. *Constantinus igitur Christianus Imperator, posteaquam exilio Athanasium mulctasset, Nicomediam veniens, cum in ægritudinem incidisset baptisatus est. Et cum iam ad Dominum peregrinaturus esset, testamento facto revocari ab exilio divinum Athanasium jussit.* Ex Latinis magnus Mediolanensium Antistes Ambrosius

Eusebius. Photius. Theodoretus. Sozomen. Socrates. Libellus Synodic.

Ambrosius brosius sermone de obitu Theodosij: *Quando* (inquit) *Constantinus adhæret, cui licet Baptismatis gratia in ultimis constituto omnia peccata dimiserit, tamen quod primus Imperatorum credidit, & post se hæreditatem Fidei Principibus dereliquit, magni meriti locum reperit.* Notanda: *Baptismatis gratia in ultimis constituto*, hæc enim important, circà finem vitæ baptisatum fuisse. D. Hieronymus in Chronico expressè scribens, *Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus.* Quæ verba adeò clara sunt, ut Severinus Binnius nihil aliud opponendum habuerit, quàm „" subreptitium esse, & ab alio potius quàm à S. Hieronymo suppositum.„ Verum cum absque ullo penitus fundamento asseratur, hæc in Chronico D. Hieronymi supposita esse, manet testimonium Chronici inconcussum, & auctoritate D. Hieronymi fultum. Demum Concilium Ariminense 400. Episcoporum in Synodica ad Constantinum Imperatorem anno 359. quam Theodoretus lib. 2. cap. 19. Socrates lib. 2. cap. 29. Hilarius Pictaviensis in Fragmentis, Cassiodorus in historia tripartita, aliique sed corruptè citarunt. Ex eorum enim relatione vix agnoscitur, num de Constantio loquantur potius, quàm Constantino, unde eorum versiones præteriens, epistolam Ariminensis Concilij à Sozomeno lib. 4. cap. 18. accuratius editam in medium adfero: *Nefas enim duximus, rectè & justè sancitorum aliquid mutilare, & eorum, qui in Nicæno Tractatu consederant una cum gloriosæ memoriæ Constantino, Patre Pietatis tuæ. Qui Tractatus manifestatus est, & insinuatus mentibus populorum, & contra hæresim Arianam tunc oppositus invenitur, ut non solùm ipsa, sed etiam reliquæ hæreses inde sint expugnatæ. A quo si aliquid demptum fuerit, venenis hæreticorum aditus panditur. Ideo Ursacius & Valens in suspicionem eiusdem hæreseos Arianæ venerunt aliquando, & suspensi erant à communione. Sed rogaverunt veniam, sicut eorum continent scripta: quam quidem meruerunt tunc temporis à Concilio Mediolanensi, adsistentibus etiam legatis Romanæ Ecclesiæ. In hoc igitur Tractatu, cum magno examine fuisset conscriptum Constantino præsente, quod tenens baptizatus ad quietem Dei commigravit, nefas putamus inde aliquid mutilare.* Hæc Patres Ariminenses apud Sozomenum lib. 4. cap. 18. versionis Valesij, ex quibus corruptæ aliorum auctorum lectiones nitidè restituuntur. Hinc enim patet, Patres Ariminenses non voluisse, quod Constantinus adfuerit Mediolanensi Concilio, neque ibi conscriptam esse Fidei formam cum magno examine, ut indicat Hilarius Pictaviensis Episcopus suprà in Fragmentis, sed Tractatum Fidei Nicænę præsente Constantino magno Constantij Patre conscriptum, omnibus fuisse propositum, adeo ut Valens & Ursacius Ariani vela vertentes

Hieronymus.

Binnius.

Patres Ariminenses in Synodica apud Sozomenum.

tentes in Concilio Mediolanensi coram legatis Pontificijs eumdem admiserint, sicque in communionem recepti sunt. Et in hoc fidei tractatu Constantino præsente cum magno examine à Nicænis Patribus conscripto, nihil sese mutilare velle profitentur Patres Ariminenses Constantino Ariano Constantinum Patrem opponentes, qui Fidem illâ tenens baptisatus ad quietem Dei commigravit: ac si dicerent, usque ad finem vitæ tenuisse, sicque baptisatum ad quietem Dei commigrasse. Hæc videtur genuina Patrum Ariminensium lectio, ut post tot Veterum testimonia non sine fundamento Theologi Parisienses inclinare videantur in hanc opinionem, quam Theophanes Orientalibus adscribit: *Orientales autem apud Nicomediam aiunt, eum circa mortem ab Eusebio Nicomediensi Ariano baptizatum, ubi & contigit eum dormisse, differebat enim inquiunt, Baptismum sperans in Iordane flumine baptizari.* Neque soli Orientales, sed cum Ambrosio, Hieronymo & Patribus Ariminensibus id recentiores quoque amplexi sunt, & inter alios Cuspinianus in vitâ Constantini: *Quod lavacrum Baptismatis in extremum vitæ tempus distulerit:* & Dionysius Petavius libro 6. Rationarij Temporum, cap. 1. anno 337. ,,Ipso Pentecostes die moritur Constantinus in suburbano Nicomediæ ubi paulò ante mortem baptizatum esse, plerique Veterum ,, affirmant: quibus Cardinalis Perronius nuper adstipulatus est, dum ,, post Nicænam Synodum baptizatum ab Eusebio Nicomediensi ,, Constantinum asseruit.,,

Theophan. Cuspianus. Petavius. Perronius.

328. Gravis ut patet ex relatis utriusque sententiæ fundamentis & antiquissima est de Baptismo Constantini difficultas, pro qua dum anxiè in utramque partem à Theologis Parisiensibus queri, unumque ex præcipuis punctis in quotidianis eorum disputationibus ventilari animadverterem, incidit possibile fuisse Constantinum & Romæ & Nicomediæ baptizatum, cum pro utroque tam urgentia militent testimonia, & unum cum alio possimus admittere, si baptizatum Romæ, rebaptizatum Nicomediæ velimus defendere. Fateor quidem cum istud Viris eruditis Parisijs proponebam, tanquam novum ac inauditum aliquid fuisse susceptum, at re graviori lance perpensâ inveni, quàm verissimum sit illud sapientissimi Salomonis divinitùs inspiratum: *nihil esse novi sub sole.* Enimverò quod & ego novum quid existimabam, ante centum annos retulit Eminentissimus Cardinalis Jacobatius libro 10. de Concilio sese ex Jacobo Zeno Patavino Episcopo adducere, & ex tribus, quas refert de Baptismo Constantini peritorum sententias, unam esse eorum, qui Constantinum à Silvestro quidem

Jacobatius. dem baptizatum „ admittunt, sed dicunt eum posteà in Arianam hæ„ resim lapsum, fuisse ab Eusebio Nicomediensi rebaptizatum. Et „ hoc consonat iis, quæ tunc plures viri Catholici dicebant, qui vo„ lebant ab hæresi reversos esse rebaptizandos, ut fuit Cyprianus „ Martyr. „ Ultimis verbis ab ea sententia sese non abhorrere insinuat Jacobatius, & licet ratio, quam allegat, explodenda sit, auctor tamen Zeno magni auctoritatis Episcopus, floruit tempore Martini V. ante ducentos quinquaginta annos, ut ad illum & citatos ab ipso auctores respicere potuerit Platina in vitâ Felicis 2. scribens, à nonnullis rebaptizationem per Eusebium Nicomediensem magno Constantino adscriptam, idque ante hos Marianum Scotum retulisse ab annis sexcentis ostendemus infrà: quinimò simile quid ex ipso Eusebio Cæsareensi colligi posse, ostendendum est. Scribit Eusebius lib. 4. de vitâ Constantini, capite 61. & 62. Constantinum Nicomediæ circa finem vitæ baptizatum: sed cur quæso non indicavit Eusebius, quis eum baptizaverit? *Quis verò eum baptizarit silentio præterit*, inquit Photius loco suprà citato; & vel ex hoc unico patet, Eusebium non omnes circumstantias Baptismi circà finem vitæ suscepti voluisse exprimere, quod sciret ex Eusebij Nicomediensis ministerio hunc Constantini Baptismum apud posteros suspectum fore, & reprobatione dignum. Quidquid sit, non ita se moderari potuit Eusebius, quin alibi hunc Baptismum iteratò collatum insinuare visus sit. Enimverò libro 4. de vita Constantini cap. 17. scriptum reliquit de ejusdem Imperatoris pietate, quâ frequenter *constitutas cum universo Ecclesiæ cœtu preces reddebat*, quod solo baptizato competiisse, lucet ex antiqua Ecclesiæ regulâ, quæ Cathecumenos, multo magis ethnicos, cum fidelibus orare vetabat, unde & Tertullianus libro de Præscriptionibus cap. 40. hæreticos refellit, quod apud eos *quis Cathecumenus, quis fidelis, incertum est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant, etiam ethnici si supervenerint*. Idque usque ad sæculi quinti finem observatum fuisse, testatur Magnus Chrysostomus homilia 79. ad populum Antiochenum, docens ab Ecclesia pro Petro orationem sine intermissione factam, & inquit *Cathecumenis permissum hoc nondum est*, sic in Ecclesia scilicet cum fidelibus orare. Et hæc quoque causa fuit, quod ipse Constantinus lege sanxerit, ut qui ex militibus Fidem secuti erant, diebus Dominicis *possent Ecclesiam Dei frequentare, quo sine ullo impedimento preces Deo persolverent*. Qui verò nondum divinam degustarant Doctrinam, ut diebus Dominicis in campos suburbiorum exirent, atque ibi *eâdem precationis formâ . . . omnes simul uterentur*. Hæc

Zeno Patavinus Episcopus.

Platina.

Photius.

Eusebius.

Tertullian.

Chrysostomus.

Constantinus.

Hæc ipse Constantinus apud Eusebium Cæsareensem libro 4. de vita, capite 19. ut vel ex hoc pateat, quod dum Constantinum sæpiùs cum fidelibus publicè in Ecclesiâ orasse scribit, simul & Romæ à Silvestro baptizatum fuisse insinuet. Sicque etiam intelliges, quantæ efficaciæ sit argumentum S. Theophanis Martyris, qui ab octingentis annis collegit, Constantinum baptizatum fuisse ante Nicænum Concilium ex hocce fundamento: si enim baptizatus non fuisset, inquit, *Ergo nec orabat cum Sanctis Patribus, quod nequissimum est & dicere, & sentire.* Et ante annos 360. Nicephorus Callistus: *Quod si nondum sacri lavacri particeps fuit, consequitur eum neque in Nicæna Synodo cum Patribus congressum esse, & cum eis divina mysteria non participasse. Quomodò verò aliter benedictione eorum dignus reputatus esset, & communis mensæ particeps fuisset, sicuti historia tradit.*

Theophanes.

Nicephor.

329. Conjecturam ex Scriptis ipsius Eusebij desumptam egregiè confirmat eodem sæculo magnus Ecclesiæ Doctor Hieronymus, qui in Eusebiani Chronici Supplemento, scribit: *Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus in Arianum dogma declinat, à quo usque in præsens tempus Ecclesiarum rapinæ, & totius orbis est secuta discordia.* Silentio obvolverat Eusebius, quinam Constantinum baptizarat, at illum in memoriam revocat S. Hieronymus. Scripserat Eusebius Constantinum per Baptismum in fine vitæ à peccatis liberatum, & de cælesti gratiâ gavisum; at Hieronymum, qui tam constanter Eusebium sequi solebat, tantum abest, hic fidem ipsius amplexum fuisse, ut potiùs contrarium prædicet, & hoc Baptismo Constantinum in deteriora lapsum insinuet. Notanda sunt verba Hieronymi, quantum enim ex toto contextu apparet, Constantinus ab Eusebio Nicomediensi baptizatus, ad dogma Arianum declinat in extremo vitæ: at quæso, quonam dogmate Ariano tunc potuit maculari Constantinus? sanè damnatione Athanasij non potuit, quia nec illa dogma fuit, nec in extremo vitæ Constantini contigit, sed anno integro ante obitum & morbum lethalem: errore circa Filij Divinitatem quoque maculari non potuit, cum illi semper Constantinum restitisse certum sit, & hoc propriè voluerint Patres Ariminenses suprà. Communione etiam Arianorum tunc non potuit, quia sic non in fine vitæ sed toto vitæ tempore, quo cum Eusebio communicarat, redarguendus esset, cui adde hanc communionem non rectè vocari Arianorum dogma, in quod circà finem vitæ lapsum fuisse Constantinum, scripsit Hieronymus. Aliud itaque dogma est, quod teste Hieronymo in

Hieronym.

Hieronym. Baptiſmo conſiſtebat: *Baptizatus ad dogma Arianum declinat*, legit verò Marianus Scotus in Chronico, quod anno 1083. conſcriptum ex Bibliotheca Gemblacenſi ad ſe miſſum teſtatur Aubertus Mireus, *rebaptizatus* ad dogma Arianum declinat. Idem annotat Mireus in Chronico Euſebij & Hieronymi à ſe edito, & hoc ſenſu neque alio verificari videntur verba D. Hieronymi. Enimverò dogma Arianum fuit, ſi non tempore Conſtantini, ſaltem tempore Hieronymi, rebaptizare Catholicos, cumque Euſebium Arianum fuiſſe conſtet, nihil vetat, rebaptizatum ab eo Conſtantinum.

Marianus Scotus.

330. Scio reponi poſſe ex Chriſtiano Lupo, Arianos initio non rebaptizaſſe; at præterquam quod ſufficiat pro teſtimonio Hieronymi, hoc dogma de rebaptizatione ſuo tempore ab Arianis fuiſſe propugnatum, ſciendum eſt, non ſolos Donatiſtas olim in Africâ rebaptizaſſe, ut exclamat Magnus Auguſtinus, eos arguens in Pſalmo contrà partem Donati, quod Donatum imitentur, *qui ubique victus cœpit Chriſtianos ubique rebaptizare*, ſed etiam Novatianenſium ſchiſmaticorum imitatores Arianos, ut lucidè teſtatur D. Auguſtinus libro de Hæreſibus cap. 48. *Ab Arianis rebaptizari Catholicos, novimus, utrùm & non Catholicos, neſcio.* Et ignotus authenticus ſcripti Fidei Breviarij auctor: *Ariani, ſi quos de nobis ſubducere poſſint, inconſideranter rebaptizant.* Et D. Ambroſius in ſermone adverſus Valentiniani ſecundi de tradendis Baſilicis edictum, ubi de Auxentio in Mediolanenſem Eccleſiam intruſo Arianorum Epiſcopo: *Cur rebaptizandos Auxentius fideles populos putat, baptizatos in nomine Trinitatis?* Et D. Epiphanius in Panario de Eunomio Cyziceno Epiſcopo Arianorum audaciſſimo: *Eunomius, qui ad hæc tempora ſupereſt, eos, qui baptizati jam fuerunt, iterum baptizat.* Et vita Liberij Papæ temporibus Juſtiniani Imperatoris conſcripta tractans de Conſtantij Ariani Imperatoris in laudatum Pontificem tentamentis circà rebaptizationem, teſtatur Liberium quidem ſubſcripſiſſe damnationi ſancti Athanaſij, non tamen rebaptizatum fuiſſe: *non tamen rebaptizatus eſt.* Et Canon 19. Nicænus ſolos Paulianiſtas baptizari concedens, quod forſan Ariani ex tunc rebaptizationem introducere tentaſſent amplexi errorem Donati, contrà quem poſitus eſt Canon Concilij Arelatenſis primi: *De Afris, qui propriâ lege utuntur, ut rebaptizent*, quem Canonem antiquiores expreſſum habuerunt, *de Arianis*, quod ſcilicet exiſtimatum ſit, Arianos ab initio rebaptizaſſe. Ex quibus omnibus veriſimile ſit Euſebium Nicomedienſem rebaptizaſſe ut Arianum, cum baptizavit Conſtantinum, qui ſeductus exiſtimare potuit, ut inſinuat ex Euſebio

D. Auguſt.

Auctor Anonym.

D. Ambroſius.

Epiphan.

Vita Liberij.

Canon Arelatenſis.

D. Am-

D. Ambrosius, peccata sua hoc modo plenè fuisse remissa, cum tamen augerentur, ut indicat Hieronymus cum S. Prospero.

331. Ne verò quisquam putet, in Constantinum cadere non potuisse tam enorme delictum: respondeo incredibilius non videri, potuisse ab Eusebio Nicomediensi ad rebaptizationem induci, quàm ad subscriptionem damnationis magni Athanasij. Enimverò Athanasium toties ab Arianorum insidijs liberandum statuerat ut innocentem, ubi rebaptizatio utilis persuaderi potuit, sicut utilem existimavit Basilius erroneè existimans, cuncta in contrarium decreta esse alicujus œconomiæ gratiâ, ut suo loco ostendimus. Deinde, magnum Constantinum non semper in Catholicæ Religionis defensione æquè firmiter perseverasse, clamat cum D. Hieronymo S. Prosper in Chronico, & scriptum Elipandi Toletanæ civitatis in Hispaniâ Episcopi, ad quod reponit Carolus Magnus in adducto à Concilio Francofurdiensi rescripto: *Exemplum mihi Constantini Imperatoris proposuistis, cujus initium Beatum Isidorum laudasse dicitis, & finem doluisse: quod ne mihi accidat, per quemdam beatum, quem Antiphrasium cognominastis, benignè suadetis. Hoc etiam divinâ miserante gratiâ præcavere satago: non ab illo tantummodò, sed etiam ab omnibus, qui aliquid rectæ Fidei contrarium docere videntur, assiduaque devotione Dominum deposco, & quoscumque ex filijs sanctæ Matris Ecclesiæ valeo, mihi in hac petitione adiutores convoco; ne me alicuius verbosa adulatio, vel fraudulenta laudatio decipiens, à via veritatis avertat.* Hæc cum ad propositum sibi Imperatoris Constantini exemplum rescripsit Carolus Magnus, sufficienter indicat, Constantinum alicujus verbosâ adulatione, in fine deceptum circa aliquid rectæ Fidei contrarium. Et cujus quæso adulatione, quam Eusebij Nicomediensis Imperatori familiarissimi, adeo ut ad rebaptizationem eundem induxerit, & sic tantum excusari possit verbis Theodoreti Cyrensis Episcopi libro 2. historiæ cap. 33. *Episcopis enim decipientibus credidit, qui malitiam quidam suam tegebant, sed alioqui clari atque illustres erant.*

Carolus M. in epistolâ allatâ à Concilio Francofurdiensi ann. 774.

Theodoretus.

332. Proposuimus hactenus dicta ad sopiendam de Baptismo Constantini controversiam quam licet cum eruditissimis nostri Belgij Viris ut parvi momenti omittendam quandoque censueram, hic tamen parum fusiùs pertractare volui, quod ea forsan ex dictis elucidari possit ab alijs, quorum ulteriori indagini hanc de rebaptizatione Constantini coniecturam relinquo hoc addito, me nihil hac in re ut certum proposuisse, sed potiùs ut dubia omnia, donec re istâ accuratius examinatâ peritorum judicium æquam sententiam pro-

nuntiet, non adeo inhærendo testimoniis Eusebij, quem ex silentio de Baptismi ministro vafrè hic scripsisse constat, ut merito ipsius hac in re fides de liberato per Baptismum in fine vitæ à peccatis Constantino suspecta esse possit, quinimò debeat juxtà Magnum Hieronymum & S. Prosperum Augustini Discipulum, qui dum Eusebium in factis Ecclesiasticis unicè imitari solerent, hic adeo circa Baptismi Constantini circumstantias corrigendum duxerint, ut ab Eusebio Nicomediensi baptizatum ad dogma Arianum declinasse testati sint. Potuit quidem persuasus ab Eusebio Nicomediensi existimare Constantinus, se per Baptismum in fine susceptum ab omnibus suis peccatis absolutum iri; at quam graviter se Eusebij blanditijs deceptum fuisse agnoverit Constantinus, egregiè confirmat eiusdem cogitatio de revocando Athanasio, quem anno 30. sui Imperij Trevirum relegarat, anno verò 31. qui concurrit cum æra 337. instante morte revocari jussit etiam contrà mentem Eusebij Nicomediensis, qui contrarium suadebat: *Magnum autem Athanasium* (inquit Theodoretus libro 1. cap. 32.) *Alexandriam redire jussit, idque præsente Eusebio, & ne hoc fieret magnoperè dissuadente.* Viam nimirum Æternitatis ingressurus Imperator, de actis suis cœpit rationem inire, & præveniens Dei Judicium, de exilio magni Athanasij pœnituit, jubens eum Sedi restitui, quidquid Eusebius Nicomediensis contrarium suadebat, signum manifestissimum quod & Eusebij consilia & acta jam morti proximus vituperabat magnus Imperator, quidni & pœnitebat de omnibus adulatione Eusebij erranter actis, etiam de delicto circa Baptismum commisso, si rebaptizatum sustineas.

Theodoretus.

CAPUT VII.

De Edicto aut Donatione Constantini.

333. *Pro edicto Constantini proferuntur Gelasius primus, acta S. Silvestri Papæ & Eusebius Cæsareensis.*

334. *Accedunt Hadrianus I. Isidorus Mercator, Hincmarus Remensis, Ado Viennensis, & Luitprandus, qui omnes edictum Constantini susceperunt.*

335. *Sæculo undecimo illius quoque meminerunt Leo nonus, & S. Petrus Damiani.*

336. *Sæculo duodecimo ex Græcis Theodor. Balzamon, ex Latinis Gothef. Viterbiensis*

Colle-

Collectores Decretorum ferè omnes, ut Anselmus, Deus-dedit, Ivo Carnotensis, & Gratianus, in cujus correctione huius quoque meminit Antonius Augustinus, quin & in Bibliothecâ Iulij 2. extitisse, uti & nunc in varijs Codicibus Græcis extare in Vaticanâ, testatur Labbeus.

337. *Iis omnibus tamen non obstantibus decretum hoc Constantino suppositum esse, ex Palatio Lateranensi, quod totius mundi Palatiorum splendidissimum errat, rectè collegit Lupus, ex iis verò quæ de Sede Constantinopolitana tradit, post Chalcedonense Concilium fuisse fabricatum, tuetur de Marca, quibus inter alia accedit falsa Consulum nota.*

338. *Quinam hoc decretum Constantino supposuerit? variant periti; Baronius & Binnius existimant, ab homine Græco & schismatico post millesimum Christi annum fabricatum, sicque à Balzamone omnium primo editum fuisse: at Binnium errare latiùs docetur, & ab homine fideli potiùs octavo sæculo confectum fuisse probatur.*

339. *Otho 3. in diplomate circa annum* 1000. *edito putat Romanorum Pontificum operâ per quemdam Ioannem Diaconum fuisse confectum, hunc verò Ioannem Diaconum quidam existimant eum, qui S. Gregorij vitam scripsit, alij eum qui sub Ioanne* 12. *circa annum* 963. *vixit; at hæc omnia improbantur, nisi dicas à quodam Ioanne Diacono hoc edictum aureis literis transcriptum.*

340. *Statuitur demum hoc edictum Pauli* 2. *tempore non quidem à Romanis Pontificibus, sed ab aliquo fideli confictum.*

333. Extat edictum, de quo in præsenti quæstionem instituimus, in tomis Conciliorum, & in codice M. S. Justelli sic *Incipit exemplar constituti Domni Constantini Imperatoris Græcis*. De eo scribit Gratianus dist. 96. cap. *Constantinus Imperator* „ quod in gestis B. Sylvestri „ (quæ beatus Papa Gelasius in Concilio 70. Episcoporum à Catho- „ licis legi commemorat, & pro antiquo usu multas hoc imitari dicit „ Ecclesias) ita legitur: *Constantinus Imperator quartâ die sui Baptismi pri- „ vilegium Romanæ Ecclesiæ Pontifici contulit, ut in toto orbe Romano Sacerdotes „ ita hunc caput habeant, sicut judices Regem.* „ Meminit Gratianus Gelasij Papæ, cujus verba in Decreto Synodico septuaginta Episcoporum hæc sunt: *Item actus B. Sylvestri Apostolicæ Sedis Præsulis, licet eius, qui conscripsit, nomen ignoretur, à multis tamen in urbe Romana Catholicis legi cognovimus, & pro antiquo usu multæ hac imitantur Ecclesiæ.* Et in his gestis S. Sylvestri contineri laudatum Constantini Decretum, etiam scribunt correctores Gratiani ad citatum caput, qui addunt Gelasium sic loqui „ ut videa- „ tur approbare, & in Martyrologio Romano & Usuardi in festo S. Sil-

Edictum Constantini. Gratianus. Gelasius. Correctores Gratiani.

„ Silvestri legitur: *Cuius actus clari habentur.* Inveniuntur verò etiam „ hodie pervetustis literis descripta in Bibliotheca Vaticana & Abba- „ tiæ Nonantulæ: quorum Interpres in Procemio hæc ait: *Historiogra-* „ *phus noster Eusebius Cæsareæ Palestinæ urbis Episcopus, cum historiam Ecclesia-* „ *sticam scriberet, prætermisit ea, quæ in alijs opusculis sunt, vel quæ se memi-* „ *nit retulisse. Nam viginti libros omnium penè Provinciarum, passiones Marty-* „ *rum, Episcoporum & Confessorum, & sacrarum Virginum ac mulierum conti-* „ *nere fecit. Deinde secutus & ab Apostolo Petro omnium Episcoporum nomina &* „ *gesta conscripsit, & earum urbium, quæ arcem Pontificatus per Apostolicas Se-* „ *des tenere noscuntur, ut urbs Roma, Antiochia, Hierosolyma, Ephesus, & Ale-* „ *xandria. Harum urbium Episcoporum omnium præteritorum nomina usque ad* „ *tempus suum, & gesta Græco sermone conscripsit. Ex quo numero unum Episco-* „ *porum urbis Romæ sanctum Silvestrum me de Græco in Latinum transferre præ-* „ *cepisti, Domine sancte ac beate Pater.* Quibus verbis quicumque sit auctor „ istius procemij, eadem gesta ab Eusebio Græcè conscripta fuisse, cla- „ rè profitetur. Quæ etiam in vetustissimis Pontificalibus & Codici- „ bus, in quibus Sanctorum vitæ sunt descriptæ, in vita beati Silve- „ stri referuntur.

Procemiū actorum S. Silvestri.

334. Magni momenti hactenus dicta videri possunt pro defensione edicti, cum argumenta ipsum Constantini nomen præferant, Eusebium Cæsareensem istius temporis Episcopum auctorem faciant, & ad sæculi quinti finem Sedis Apostolicæ Præsulem Gelasium cum 70. Episcopis eiusdem approbatorem constituant. At hic nondum finis: anno 775. Hadrianus Papa primus in epistola ad Carolum Magnum, quæ est 49. in Codice Carolino sic scribit: *Et sicut temporibus B. Silvestri Romani Pontificis à sanctæ recordationis Piissimo Constantino Magno Imperatore per eius largitatem sancta Dei Catholica & Apostolica Romana Ecclesia elevata atque exaltata est, & potestatem in his Hesperiæ partibus largiri dignatus est: ita & in his vestris felicissimis temporibus &c.* Et ad hæc verba subdit Parisiensium Archiepiscopus de Marca lib. 3. cap. 12. §. 5. „ Hadrianus I. „ Pontifex non obscurè meminit hujus Donationis, gratulans Caro- „ lo Magno, quod exemplo Constantini, qui *potestatem Ecclesiæ Roma-* „ *næ in Hesperiæ partibus contulerat*, omnia ipse quoque indulsisset. Non „ loquitur de patrimonijs donatis à Constantino, sed de potestate „ collatâ non in omnem Ecclesiam, ne quis hoc ad dignitatem spi- „ ritualem referat, sed in Occidente, ut de auctoritate & Imperio tem- „ porali hoc intelligeretur, quâ potestatis voce in eam rem quoque uti- „ tur edictum. „ Post Hadrianum I. aut eodem circiter tempore relata est

Hadrian. I.

De Marca.

est etiam hæc Donatio in collectione Isidori Mercatoris, quæ collectio tempore Caroli Magni publicata est. Addit de Marca, Hincmarum Remensem, qui edicti Constantini disertissimè quoque mentionem facit in epistola, quâ Ludovici Balbi Regis institutionem describit anno 887. *Constantinus Magnus Imperator Christianus effectus, propter amorem & honorem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Sedem, suam urbem scilicet Romanam, Papæ Silvestro edicto privilegij tradidit, & sedem suam in civitate sua, quæ anteà Byzantium vocabatur, nominis sui civitatem amplando, ædificavit.* Ado subinde Viennensis Episcopus in commentario ætatis sextæ, qui ad sæculi noni finem scripsit, hujus quoque Constantini edicti meminit, quemadmodum Luitprandus Cremonensis eo respexit in legatione ad Nicephorum.

Hincmar. Remensis.

335. Sæculo undecimo extant testimonia Leonis Papæ noni in epistola ad Michaëlem Constantinopolitanum Patriarcham, ubi numero 13. *Sed ne fortè adhuc de terrena ipsius dominatione aliquis vobis dubietatis supersit scrupulus, neve leviter suspicemini ineptis & anilibus fabulis sanctam Romanam Sedem velle sibi inconcussum honorem vendicare, & defensare aliquatenus: pauca ex privilegio ejusdem Constantini manu cum cruce aureâ super calestis clavigeri venerabile corpus posito, ad medium proferemus, quibus fundetur veritas, & confundatur vanitas.* Addit compendium eorum, quæ initio edicti continentur, & pergit ad edicti testimonium: *utile judicavimus una cum omnibus nostris Satrapis &c.* Et eodem sæculo D. Petrus Damiani in disceptatione Synodali inter Henrici Regis advocatum & Romanæ Ecclesiæ defensorem, *lege* (inquit) *Constantini Imperatoris edictum, ubi Sedis Apostolicæ constituit super omnes in Orbe terrarum Ecclesias Principatum. Nam postquam suprà corpus B. Petri Basilicam Fundator erexit, postquam Patriarchium Lateranense in B. Salvatoris honorem construxit, mox per Imperialis rescripti seriem Romanæ Ecclesiæ constituit dignitatem: ubi nimirum B. Sylvestro, suisque successoribus obtulit, ut regali more &c.* Ad quæ omnia Henrici Imperatoris advocatus: *assentior planè.*

Leo. 9.

D. Petrus Damiani.

336. Sæculo 12. de hoc quoque Constantini edicto scripsisse Gothefridum Viterbiensem in Chronicis parte 5. cap. 2. testantur correctores Romani ad citatum suprà Gratiani caput: hic autem Gothefridus Chronicon suum deduxit usque ad annum Domini 1186. ad quem annum eum quoque scripsisse, refert Cardinalis Bellarminus libro de Scriptoribus. Nec soli Latini habuere, etiam Theodorus Balzamon ex Præfecto Blachernarum Antiochiæ Patriarcha, in expositione Nomocanonis Photij, quam tempore schismatis elaboravit jussu

Impe-

Balzamon. Imperatorio & Patriarchali ad caput 1. tituli octavi: *Caterum cujusmodi sunt privilegia sanctæ Ecclesiæ veteris Romæ, evidenter tradit nobis scriptum illud oraculum ab Apostolis æquali sancto Constantino Magno ad sanctum Silvestrum eo tempore Papam Romanum emissum, quod in hunc habet modum: cum omnibus Satrapis nostris, cum universo Senatu.* Habet magnam partem edicti Greco sermone relati, idemque ex Anselmo Lucensi Episcopo, Deus-dedit Cardinali, & Ivone Carnotensi allatum à Gratiano, annotant correctores, & post ipsos Antonius Augustinus libro 1. Dialogo 6.„ De „ Donatione Constantini Gratianum non reprehendo. Habet enim „ Paleæ nomen adscriptum. Et eam defendes Græcis verbis Balza„ monis ad Photium tit.8. cap.1.& Ivone, atque Anselmo,& alijs col„ lectoribus.„ Addit Philippus Labbeus tomo 1. Conciliorum in observatione ad hanc Donationem, quod Bartholomeus quidam Picernas de monte arduo illam è Græco quodam exemplari Latinè verterit, ea de re scribens ad Julium 2. Romanorum Pontificem: Cum inter „ legendum in hac tua celeberrima Bibliotheca, beatissime Pater, oc„ currisset mihi libellus quidam Græcus, qui Donationem Constan„ tini continebat: æquum mihi visum est, illum è Græco in Latinum „ convertere, & eum tibi, sanctissime Pater, inscribere debere.„ Addit Cardinalem Alexandrinum juris utriusque consultissimum hanc Donationem propugnasse, & concludit Labbeus, se literis P. Petri Possini Româ datis 4. Iunij edoctum, hanc Donationem etiamnum in 4. Vaticanis exemplaribus integram asservari idque Græco sermone conscriptam.

Antonius Augustin.

Barth. Picernas.

337. Verum quidquid sit de plurium hanc Donationem defendentium zelo & ardore, plurima in illâ continentur, quæ aut interpolatam, aut suppositam certò confirmant etiam in illa parte, quam retulit Theodorus Balzamon, scripsisse fertur Constantinus, *tradimus itaque ipsis S. Apostolis beatis Dominis meis Petro & Paulo, ac post illos Beato Silvestro Patri nostro magno Episcopo & Catholico Papæ urbis Romæ, omnibusque successoribus eius, qui ab hodierno die usque ad finem mundi in Solio Beati Petri præsidebunt, Imperatorium nostrum Palatium Lateranense, quod superat atque vincit totius mundi Palatia.* Sed errorem esse illius, qui Donationem Constantino supposuit, clarè ex Baronio ad annum 312. ostendit Christianus Lupus parte 4. in Canonem 8. dictatus Gregorij 7.„ Etenim (in„ quit) Lateranense Palatium possedit Melchiades Pontifex, & in ip„ so Synodaliter damnavit Donatum Episcopum in casis nigris, & „ alios Donatistas, ideoque ipsum Constantinus non dedit sancto Silvestro.

Edictum Constant.

Lupus

„ vestro. Nec verum est ipsum fuisse eminentissimum cunctorum in to- „ to mundo palatiorum. Erat enim Plautij Laterani domus, de qua „ in literis ad Oceanum sanctus Hieronymus, *in Basilica quondam La-* „ *terani, qui Cæsaræano truncatus est gladio.* Fuerat à Nerone Augusto „ percussus, ideoque ipsius in fiscum redactas ædes vel Constantinus „ conjugi suæ, vel filiæ suæ Faustæ dedit Herculius Maximinus, at- „ que ita ipsas S. Optatus Milevitanus Episcopus vocat ædes Faustæ „ in Laterano. Addit S. Hieronymus ad Chronici sui annum trecen- „ tesimum trigesimum primum: Constantinus uxorem suam Faustam „ interficit. Fuit is septimus decimus Sylvestri annus, adeoque non „ Constantinus, sed ipsa Fausta videtur suas ædes donasse Melchiadi. „ Hinc ipsas Romani Pontifices in beneficij memoriam perrexerunt „ titulare ædes Faustæ. „ Hucusque Lupus, qui de edicto scribit: „ esse „ spurium & ficititium, nemo eruditus hodie dubitat. „ eam Constantino quoque abjudicandam docet de Marca libro 3. cap. 12. §. 1. asserens quod jam „ à præclaris Viris confossa & profligata sit. „ Assumit hæc edicti verba: *Decernentes sancimus, ut principatum teneat* (Sedes Romana) *tam super quatuor præcipuas Sedes, Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam. Quamque etiam super omnes in universo orbe terrarum Ecclesias.* „ Hic verò (inquit Parisiensium Archiepiscopus de Marca) „ Constantinopolitana Sedes post Antiochenam, Alexandri- „ nam & Hierosolymitanam recensetur, & Romano Pontifici non „ sola concessus prærogativa, sed etiam principatus in omnes Ecclesias „ & universalis Papæ appellatio tribuitur. Atqui ex hoc articulo ma- „ ximum inscitiæ argumentum trahunt viri eruditi adversus interpo- „ latorem Donationis, eo quod Constantinopolitanam Sedem inter „ Patriarchales recenseat tempore Constantini; cum certum sit, eve- „ ctam tantum fuisse in eam dignitatem à Concilio Chalcedonensi, „ centum triginta & amplius annis post tempus Edicti. „ Addo ego hoc Edictum subnotatum esse, *tertio die Kalendar. April. Domino nostro Flavio Constantino Augusto quater, & Gallicano viris Clarissimis Consulibus.* Et licet hæc nota Consularis falsa sit, nec in Fastis reperta, Constantinus tamen quater & Licinius Augustus quater Consules dicuntur anno 315. sancti Silvestri 2. quo anno necdum Byzantium nomen Constantini mutuaverat, nec thronum Imperiale evaserat, ut vel ex hac parte constet de suppositione Edicti.

Hieronym. De Marca. Edictum. De Marca. Nota Consularis.

338. Restat nunc inquirere, quandonam & quo auctore supposita esset? Eminentissimus Cardinalis Baronius existimavit hoc edictum à -

Græcis confictum, ut Romanæ Ecclesiæ Principatum, ab Imperatore non autem à Christo Domino constitutum probarent. Eadem habet Severinus Binnius in notis ad hoc edictum, scribens ex eo ostendi, à Græcis dolosè depravatum ac mutilatum esse, quod primatum Ecclesiæ Romanæ Constantino Imperatori homini laico acceptum referat, & Patriarchatum Constantinopolitanum ab illo tempore erectum monstraret. Addit hoc edictum de Constantini Donatione ex falsis S. Silvestri actis sub Eusebij nomine confictis fuisse fabricatum ab aliquo Græcorum post millesimum Christi annum, illudque primum edidisse Theodorum Balzamonem, ad quod hanc annotationem marginalem adjunxit Philippus Labbeus: „ Falsum, cum longè „ ante tempora Balzamonis sive annum 1194. Donationem integram „ aut saltem ejus maximam partem suis operibus intexuerit Isidorus „ Mercator, Leo 9. Damianus, Ivo, Gratianus, &c. ut Ottonis 3. „ Diploma & alia omittam. „ Latius hæc omnia exponit Parisiensis Archiepiscopus de Marca, libro 3. cap. 12. qui putat hanc Donationem non ab homine Græco & schismatico excogitatam, sed Latino & fideli. Enimverò auctor translationis memoratus à correctoribus Gratiani merè imponit lectori tribuens hanc Donationem Eusebio, qui licet gesta Silvestri memoriæ tradidisset, quæ Gelasius posteà probavit, hæc gesta tamen non continebant hanc Constantini Donationem, sed ipse potiùs illam gestis istis inseruit non quidem illa confingens, aut ex Græcis referens, sed aliunde Latinitate ante se donata recipiens, ex Isidoro nimirum Mercatore, cujus ævo extitisse, testatus est Adrianus Papa primus. loco superiùs citato: ac post sæculum octavum extra gesta S. Silvestri extitisse, Fidem faciunt subsequentium sæculorum testimonia. Ex gestis S. Silvestri itaque hoc edictum primò productum non fuit, sed aliunde, idque auctore Catholico & Latino, ut patet ex eo, quod Sedi Constantinopolitanæ ultimum dumtaxat locum tribuat, cui homo schismaticus & Græcus secundum aut primum tribuisset, & quod Primatum Pontificij à Christo institutum extollat hisce verbis: *Quoniam ubi Principatus Sacerdotum, & Christianæ Religionis caput ab Imperatore Cælesti constitutum est, justum non est, ut illic Imperator terrenus habeat potestatem.* & infrà: *Iustum quippe est, ut ibi lex sancta caput teneat Principatus ubi sanctarum legum institutor, Salvator noster B. Petrum Apostolatus obtinere præcepit Cathedram; ubi & Crucis patibulum sustinens beatæ mortis sumpsit poculum, suique Magistri & Domini imitator apparuit.* En tantum abest, hujus Donationis auctorem in odium & diminutionem

Labbeus.

Constant. edictum.

rationem Pontificiæ auctoritatis schismatis sui venena evomuisse, ut potius Sedis Apostolicæ auctoritati consuluerit primatum illius Dominicæ institutioni tam patenter referens, quidquid ad executionem divinæ institutionis Constantinianæ Legis præsidio muniri addiderit.

339. De auctore autem, qui Balzamone anterior fuit, scriptum habemus in Diplomate Othonis 3. edito à Marquardo Frehero: *Hac sunt enim commenta ab illis ipsis inventa, quibus Ioannes Diaconus, cognomento digitorum mutuis, præceptum aureis literis scripsit sub titulo Magni Constantini longa mendacij tempora finxit. Hac sunt etiam commenta quibus dicunt quendam Carolum S. Petro nostra publica tribuisse.* Publicaverat hoc Diploma Othonis 3. Cardinalis Baronius tomo 12. Annalium, & cum Baronio tanquam suppostitium neglexit Binnius, quod tamen ut authenticum vindicat Joannes Morinus probante id de Marca lib. 3. cap. 12. §. 1. Quod si Diploma genuinum sit, investigandus est ille Joannes, cui imponit Donationem Constantini Otho 3: Marquardus Freherus in notis ad diploma existimat hunc Ioannem Diaconum eum esse, qui vitam S. Gregorij scripsit Caroli Calvi ætate. Cardinalis Baronius verò refert Othonis verba, ad Joannem quemdam Cardinalem à Joanne 12. abscissis duobus digitis naso & linguâ deformatum circà annum 963. Verum utrumque hoc subsistere non potest, cum abundè pateat Donationem Constantini esse longè antiquiorem, & ab Hadriano I. & Isidoro Mercatore circa annum 775. citatam, ut conjecturæ præcedentes subsistere non possint, nisi interpretentur earum auctores Diploma Othonis tertij, quod Donatio Constantini olim fuerit supposita ad Ecclesiam Romanam contrà Græcos defendendam, & quod illam Ioannes Diaconus posterior transcripserit in membranis aureis literis, ut Caroli Calvi liberalitatem provocaret. Sicque & consonat illud Ioannis 8. epistola 9. Carolum *omne jus Potestatis antiquitùs attributum* (Ecclesiæ Romanæ) *capitulariter renovasse.*

Diploma Ottonis 3. circa ann. 1000.

Ioannes 8.

340. Hisce de Othonis 3. diplomate præmissis, restat de tempore suppositionis difficultas. Affingitur quidem Donatio illa ab Othone Romanis Pontificibus, sed immeritò, cum nunquam Sedis Apostolicæ Præsules simile quid finxisse constet, licet & aliqua ab alijs supposita in facto errantes recepisse ostenderentur, undè nec probare possum, quod scribit Parisiensium Archiepiscopus de Marca, edictum Constantini *jussu Romanorum Pontificum scriptum fuisse.* Oppressa fuerit circa annum 767. à Græcis Romana Ecclesia, & petierint anno 767. Imperatores Orientis per Legatos à Pippino Regiones Italiæ, potuit tunc

De Marca.

tunc aliquis fidelium piâ industriâ conficere laudatum sub nomine Constantini Edictum, & ex varijs quoque antiquiorum monumentis vera suppositit ijs adjungere, illudque hoc modo confectum, Pippino & Paulo 2. offerre, ac statim admissum ab Hadriano primo in authoritatem receptum esse, uti & ab Isidoro Mercatore suæ collectioni insertum: sic enim & salvatur Sedis Apostolicæ authoritas, quæ nihil unquam effingere solet, & retinetur, quod de Marca prætendit ex varijs temporum circumstantijs, id ipsum tempore Pauli Papæ 2: fuisse confectum, prout quoque stylus & scribendi character indicat, qui apprimè convenit cum squallore illorum temporum. *Divalis, Imperialis sacra, pragmaticum constitutum, Satrapæ, Optimates, signa, banda,* & plurima alia in hoc edicto usurpata, quæ & passim occurrunt in Pauli Papæ epistolis, & alijs scriptoribus illius ætatis. Hinc & de Marca lib. 6. cap. 6. § 6.,, Assentior sanè Viris eruditis, qui Donationem illam ,, falsi arguunt, eo in primis argumento, quod à Constantino facta ,, esse dicatur. Fatendum est nihilominùs vetus esse monumentum il-,, lud, & antecedere tempora Caroli Calvi, contra quàm visum est ,, iis, qui antiquitatem ei maximam tribuere se existimant, cum jam ,, in rerum natura fuerit ævo Hadriani I. & Caroli Magni, ut ostendi ,, supra lib. 3. cap. 12.

De Marca.

CAPUT VIII.

De 2. Concilio Romano sub S. Silvestro, an quoque suppostitium sit?

341. *Pro actis secundæ Romanæ sub Sylvestro Synodi facere gesta S. Sylvestri, Capitula Hadriani I. Luitprandum Ticinensem, & Nicolaum primum, patet ex iis, quæ habent de injudicabilitate Pontificis, quæ eadem amplexi sunt complures alij.*

342. *Acta tamen omnia suppositia esse, suadent plura, uti error Epilogi ex gestis S. Silvestri desumptus circa damnationem Photini, alius in Canone 3. de minore à maiore non accusando, quem explodit Hincmarus Remensis, tertius ex Canone 20. qui Regum Christianorum meminit tunc nondum extantium, unde & hanc Synodum reiiciunt de Marca, Labbeus & Launoius.*

343. *Vltrà id quod Launoius probet, hanc Synodum esse suppositiam, etiam oppugnat*

gnat contentam in ea doctrinam de injudicabilitate Pontificis, in quo ultimo eum non sequimur ob rationes suo loco referendas, & sequenti capite attingendas.

341. QUæstio procedit de secunda sub S. Silvestro Romanâ Synodo, quæ Canones 20. statuisse perhibetur anno 324. & Isidorus Mercator exhibuit tanquam excerpta quædam ex Synodalibus gestis S. Silvestri Papæ. Habet inter alia, quod coadunatâ per illum Pontificem numerosâ Episcoporum Synodo, consensu & subscriptione omnium constitutum sit, *ut nullus laicus crimen Clerico audeat inferre. Et ut Presbyter non adversus Episcopum, non Diaconus adversus Presbyterum, non Subdiaconus adversus Diaconum, non Acolythus adversus Subdiaconum, non Exorcista adversus Acolythum, non Lector adversus Exorcistam, non Ostiarius adversus Lectorem det accusationem aliquam. Et non damnabitur Præsul nisi in 72. testibus. Neque Præsul summus à quoquam judicabitur, quoniam scriptum est, non est Discipulus suprà Magistrum &c.* Quæ anno 785. Hadrianus Papa primus de verbo ad verbum inter capitula ex Græcis & Latinis Canonibus, & Synodis Romanis desumpta, Ingilramno Mediomatricæ urbis Episcopo dedit, & reperiuntur capite 72. uti & plura ex iisdem gestis Silvestri in capitibus per Hadrianum eidem Episcopo datis, uti animadvertit in notis ad laudatum Hadriani Capitulare capite 68. Antonius Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus „ sunt verba (inquit) „ Silvestri Papæ in Concilio Romano multorum Episcoporum.„ Idem animadvertit Luitprandus Ticinensis Diaconus, vel quisquis auctor est de vitis Pontificum sub ipsius nomine paulò pòst sæculi noni medium conscriptis: *In qua etiam Synodo* (inquit in vitâ Sylvestri) *consensu & subscriptione omnium constitutum est, ut nullus laicus Clerico crimen inferre audeat, & ut Presbyteri non adversus Episcopum, nec Diaconi adversus Presbyterum, nec aliqui minores gradus adversus quemlibet maiorem gradum habentem, det aliquam accusationem, & non damnetur Præsul quilibet nisi 72. testibus, neque Præsul summus à quoquam judicetur.* Eadem in epistola 8. ad Michaëlem Imperatorem exhibuit Nicolaus Papa primus, ex Synodo Romana S. Silvestri, & paulò antea ex ejusdem Synodi Canone 20. *Neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo judex judicabitur:* additque, *haud dubium quin Ecclesiasticus.* Insuper priora ex Canone 3. renovavit Concilium Moguntinum Canone 12. anno 888. ac collectionibus suis inseruerunt Burchardus Wormatiensis Episcopus, S. Ivo Carnotensis, aliique cum Gratiano in Decreto, ex quibus S. An-

Gesta S. Silvestri.

Hadrian. I.

Antonius Augustin.

Luitprandus.

Nicolaus I.

Concilium Mogunt.

Burchard.

Ivo Carno.

Gratianus.

S. Anton. S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, & post ipsum Cardinalis Bellarmin. Bellarminus lib. 2. de Concilijs cap. 17. argumentum sumpserunt pro Acta. injudicabilitate Romani Pontificis, ipsis actis perhibentibus: *Neque* Canon. 20. *Præsul summus à quoquam judicabitur.* & Canone 20. *Nemo judicabit primam Sedem, quoniam omnes Sedes à primâ Sede justitiam desiderant temperari, neque ab omni clero &c.*

342. Magni quidem momenti videri possent hactenus dicta, nisi ex superioribus plorare cogeremur antecedentium sæculorum in discernendis actis supposititijs incuriam. Enimverò & totum hoc Concilium ab aliquo, fideli licet, ignaro tamen antiquitatis, fuisse suppositum, patet primò ex brevi epilogo de gestis S. Silvestri excerpto & huic Concilio præfixo, in quo habetur per Concilium Nicænum damnatos Arium, Photinum, & Sabellium, cum ex actis Sirmiensis Concilij Photinum longè post hæc tempora damnatum esse constat, quod fatente Binnio de mendacio suspecta reddit excerpta omnia, cum ab eodem imperito provenerint. Lucet 2. ex ipso Canone 3. ubi statuitur, minorem à majore accusari non posse, quod adeò cunctis Canonibus adversatur, ut Hincmarus Metropolita Remensis tempore Nicolai I. suppositionem olfecerit: *Ceterum* (inquit epistola 7.) *quoniam quidam quasi in authoritatem referunt S. Silvestrum Papam decrevisse talia, quæ Catholica Ecclesia inter Synodalia decreta non computat, quæ majores nostri inde nobis tenenda suis posteris reliquerunt, hic necessarium ponere duximus: scriptum namque est in quodam sermone sine exceptoris nomine de gestis S. Silvestri excepto, quem Isidorus Episcopus Hispalensis collegit, cum epistolis Romanæ Sedis Pontificum à S. Clemente, usque ad B. Gregorium, eum S. Sylvestrum decrevisse, ut nullus laicus crimen Clerico audeat inferre &c. Quæ dicta quam adversa à sanctis Canonibus, à patris legibus sint, nemo est qui dubitat, qui hæc dicta cum ratione attenderit, & sacras regulas ac leges diligentius legit.* Pluribus id probat Hincmarus antiquorum testimonijs, & majorem à minore accusari posse, res ipsa clamat. 3. ex Canone 20. qui statuit neque à Regibus judicem supremum judicari, cum tamen Reges tunc in orbe Romano nulli fuerint. Unde Parisiensis Archiepiscopus de Marca lib. 1. cap XI. „ Ariolos esse oportuit Episcopos, qui non solùm ab Augustorum consistorio, qui Romæ tempore Silvestri imperabant, „ sed à Regum judicijs Romanum Pontificem immunem esse decreverunt, cum Reges Romam non tenuerint nisi 200. ferè posthæc „ annis. „ Et Philippus Labbeus in margine ad laudatum Canonem 20. „ Huncce Canonem supposititiam Isidori mercem esse, aut saltem hanc

(Marginal notes: Hincmarus Remensis. — De Marca. — Labbeus.)

„ hanc vocem irrepsisse, nemo dubitaverit, qui sub Constantino nul-
„ los in Imperio Romano Reges agnoverit. Certè abest ea vox ab
„ epistolâ Nicolai Papæ ad Michaëlem Imperatorem Orientis. At
errare hic Labbeum necesse est, vel saltem errasse fateri debet, dum
in epistola Nicolai primi illud, *neque à Regibus*, protulit tomo 8. Liben-
ter subscribit Ioannes Launoius parte 1. epistolâ ad Claudium Sante-
vlium: „ Hic canon 20. (inquit) est Romani sub Sylvestro Conci- **Launoius**
„ lij, quod in observatione primâ ad caput primum libri de curâ Ec-
„ clesiæ pro miseris & pauperibus suppositum esse, pluribus rationum
„ momentis confirmo, iisque adiicio consequentem, quæ sola suffi-
„ ceret: Dionysius qui Romæ Justiniano Imperante Codicem Cano-
„ num confecit, Concilij hujus Canones non refert relaturus sine du-
„ bio, si Concilium vel habitum fuisset umquam, vel Canones edi-
„ disset. Cur enim retulisset celebratorum in Oriente Conciliorum
„ Canones, nec retulisset numerosioris Concilij, quod Romæ habi-
„ tum esset? comparatio hæc, quæ numquam diluetur, rem absolvit.

343. Duo quidem ibi impugnare prætendit Launoius: ac primò actorum Concilij suppositionem; quod licet ex fundamento planè negativo probet, &, si solum esset, nullius momenti foret, tamen, quia non solùm Dionysius Canones hos omisit, sed etiam hoc Concilium tum ex dictis, tum ex falsâ Consulum citatione, tum ex Helenæ subscriptione contra omnium sæculorum praxim, quæ mulieres ab Episcoporum Concilijs & multo magis ab eorum subscriptionibus excludit, tum demum ex numerosissimo Græcorum Episcoporum Catalogo aliisque, suppositionis arguitur, facilè assentior Hincmaro Metropolitæ Remensi, Parisiensium Archiepiscopo de Marca, Christiano Lupo, Philippo Labbeo, ac plerisque Viris eruditis tacitè ab eo citatis, brevem epilogum, & Canones 20. de hoc Concilio, ut fertur restantes, esse suppositos. Secundum autem prætendit Launoius, ex suppositione debellare injudicabilitatem Romani Pontificis, verum illud vanum est, & irritum. Licet enim spuria & ficta sit Synodus, doctrina de injudicabilitate Pontificis non caret aliis fundamentis, ut animadvertit Christianus Lupus parte 4. ad Canonem 19. dictatus Gregorij 7. nam ut addit „ Confictor fuit omninò Catholicus, **Lupus**
„ & vixit octavo sæculo, ideoque juxtà communem sui temporis
„ sententiam est locutus, & regulæ substantia est longè antiquior. „
Possemus id probare ex pluribus cum Parisiensium Archiepiscopo de Marca, Philippo Labbeo, & Christiano Lupo, sed quia huic veritati

suus

suus locus erit, hic sufficiat, unius subsequentis Nicæni Concilij Canonem perscrutari, ex quo abundè restauratur, quidquid per tot testimoniorum suppositiones lædi visa esset Romani Pontificis authoritas, nullius mortalis subdita judicio.

CAPUT IX.

De initio Canonis sexti Concilij Nicæni, *Ecclesia Romana semper habuit Primatum.*

344. *Canonem 6. non agere de Primatu Romani Pontificis, adductis variorum collectionibus concludit Ioannes Launoius.*

345. *De eo tamen agere, probat Leo primus, & datus ab ipso legatis suis Canon M. S. prout à Paschasiano lectus est in Synodo Chalcedonensi, adstipulatur Prisca Canonum collectio à Sirmondo citata, cui consonat alia per Iustellum edita, & accedunt plures antiquissimi Codices.*

346. *Ex dictis apparet, Canonem sextum in vulgata editione mutilum esse, prout firmatur ex Gelazio Cyciceno, & ulteriùs probat Sirmondus ex Novella Valentiniani Imperatoris.*

347. *Manifestiùs id ostenditur ex Concilio Chalcedonensi, cuius iudices audito Canone 6. Nicano & 3. Constantinopolitano, statim concluserunt pro Canone citato à Paschasiano Leonis primi legato, iisque acquievit omne Concilium.*

348. *Primus hoc Canone pro Romanorum Pontificum supremâ auctoritate insigni testimonio usus est Bonifacius primus in epistolâ sub Bonifacio 2. in Concilio Romano citatâ, quo subinde testimonio usi sunt Adrianus I. sæculo 8. & Nicolaus I. sæculo nono.*

349. *Ex testimonio Bonifacij primi deducit Lupus inindicabilitatem Romani Pontificis, eamque à Legatis S. Silvestri in Synodo Nicenâ prædicatam testantur Stephanus 5. & Leo 9.*

350. *Secundus hoc Canone pro primatu Pontificio usus est sæculo 5. S. Gelasius in tractatu contra Græcos per Sirmondum edito, cuius testimonium egregiè confirmat, Canoni 6. Nicæno deesse illam partem, quæ exhibet supremam Sedis Apostolicæ authoritatem, quam alio in loco semper ei competiisse testatur, prout indicat Canon 6. & Canon 39. Arabicus latiùs exponit.*

351. *Tertius hoc Canone pro Primatu Pontificis usus est Nicolaus I. argumento quoque desumpto ex S. Bonifacio, neque ejus testimonio desiderari potest aliquod luculentius.*

352. Ex dictis repetuntur contra Græcos Schismaticos & Novatores hæreticos sacrosanctæ Nicæni Concilij de Primatu Romani Pontificis documenta.

344. **C**Anonem 6. Nicænum adduximus Parte 1. Dissertatione 2. & de eo unum restat, illudque præcipuum de Romani Pontificis Primatu in illo contentum argumentum. Codex, qui sub titulo Ecclesiæ universæ circumfertur, & ab Ætio productus est in Concilio Chalcedonensi, nihil habet de Primatu Romani Pontificis, sed simpliciter absque ullo titulo intonat. *Regula 6. trecentorum decem & octo sanctorum Patrum: antiqua Consuetudines teneant in Ægypto, ut Alexandrinus Episcopus omnium habeat potestatem, quoniam & Episcopo Romano hæc consuetudo est*, & Dionysius Exiguus habet titulum hujus Canonis 6. *De privilegijs, quæ quibusdam civitatibus competunt.* Et ipsum Canonem: *Antiqua Consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus &c.* Ferrandus Diaconus in breviatione Canonum, ita 6. Nicenum in compendium redigit: *De ordinatione Episcoporum cum Metropolitani vel Primatis confirmatione.* Cresconius Africanus Episcopus Canonem 6. in sua collectione inscribit: *De privilegijs, quæ quibusdam civitatibus competunt.* Isidorus Mercator habet titulum: *De Primatibus Episcoporum Metropolitanorum*, neque ullius Romanæ Sedis Primatus meminit in Canone, sed inchoat: *Mos antiquus perduret in Ægypto &c.* Joannes Antiochenus in Canonum collectione nullum profert Canonis 6. titulum, nec meminit Alexij Aristini Synopsis Canonum nec Symeonis Magistri Logothetæ epitome Canonum, qui sic 6. Nicænum contractè referunt: *Alexandrinus Episcopus super Ægyptum, Lybiam & Pentapolim potestatem habeat, & Romanus super eos, qui Romæ subditi sunt. Item Antiochenus aliique super sibi subiectos.* Demum nec vulgatæ Conciliorum editiones alicujus Primatus Pontificij meminerunt: ex quibus omnibus Ioannes Launoius de rectâ Nicæni Canonis 6. intelligentiâ contrà Valesium capite 7. concludit, additus per Chalcedonense Concilium de Primatu Pontificis „ titulus ex rei veritate potiùs, quàm ex subsequentibus „ Canonis verbis præfigitur.„ Peius hæretici, qui abdicato per Nicænum Primatu, restrictos Pontifici jurisdictionis colligunt terminos.

Codex Ætij. — *Dionysius Exiguus.* — *Ferrandus Diacon.* — *Crescon.* — *Isidorus.* — *Ioan. Antiochen.* — *Alexius Aristin. & Symeon Logoth.* — *Launoius.*

345. Attamen cum pleræque Canonum collectiones citatæ ortum ducant ex interpretatis per Dionysium Exiguum Græcorum Canonibus, quos ipse ex Codice Canonum Ecclesiæ, ut vocant, universæ hausit, & Codex ille in Concilio Chalcedonensi probatus non fuerit, sed à particulari quodam Episcopo confectus tantam authori-

tatem non obtineat, quantam aliqui hocce tempore illi attribuere conati sunt, adhærendum est Codici Romanæ Ecclesiæ aut actis Nicænæ Synodi in Scrinijs Apostolicæ Sedis olim servatis, ex quibus Leo primus Legatis suis ad Concilium Chalcedonense proficiscentibus in mandatis dedit, quæ actione 16. *Paschasinus Reverendissimus Episcopus Vicarius Sedis Apostolicæ recitavit: trecentorum decem & octo sanctorum Patrum Canon 6. Quod Ecclesia Romana semper habuit Primatum, teneat autem & Ægyptus, ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo, similiter autem & qui in Antiochia constitutus est, & in cæteris Provincijs Primatus habeant Ecclesiæ civitatum ampliorum.* Consentit apud Iacobum Sirmondum lib de Ecclesijs suburbicarijs capite 4. antiquissima Canonum editio, quæ etiamnum extat in Bibliothecâ Vaticanâ, & quâ statim post Synodum Chalcedonensem usque ad Dionysium Exiguum usæ sunt Latinæ Ecclesiæ: *De Primatu Ecclesiæ Romanæ, & aliarum Civitatum Episcopis: antiqui moris est, ut Episcopus urbis Romæ habeat principatum, ut suburbicaria loca, & omnem Provinciam suâ sollicitudine gubernet.* Habet quoque antiquissimum Codicem Henricus Iustellus tomo 1. Bibliothecæ Iuris Canonici, & iisdem verbis Canonem exhibet. Codex insuper Claudij Hardy Senatoris Parisiensis, uti & Codex Fossatensis, aliique plures: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum. Teneat autem & Ægypti, Lybiæ & Pentapolis, ita ut Episcopus Alexandriæ harum omnium habeat potestatem: quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo &c.* Extat tomo 2. Conciliorum, in observatione Philippi Labbei ad 6. hunc Canonem.

Leo prim. *Paschasin.* *Canon 6.* *Antiqua Canonum collectio.* *Bibliotheca Iuris canonici.* *Alij Codices antiqui*

346. Et ex his Canonem 6. mutilum esse in editionibus vulgatis facilè apparet, ac tuentur cum Eminentissimis Cardinalibus Bellarmino & Baronio, eruditus Jacobus Sirmondus, præstantissimum Galliæ ingenium Perronius, Illustrissimus Parisiensis Archiepiscopus de Marca, & melioris notæ Doctores: ac firmatur primò ex Gelasio Cyziceno, qui in Præfatione de historia Nicæni Concilij scribit, sese in antiquissimo illo libro de actis Nicænis à Dalmatio Metropolita Cyziceno conscripto legisse, *& de Apostolicis Ecclesiæ constitutionibus, omnem omninò tractationem illic habitam.* Adeoque & de Romanæ Sedis Principatu non secus, ac de aliarum Sedium Primatibus. Cum verò ipse Gelasius Cyzicenus in conscribenda Nicæni Concilij historiâ libro Dalmatij privatus esset, sicque acta ex alijs tum historicis, tum fragmentis mutuare coactus fuit, Nicænum quidem Canonem, ut in vulgatis editionibus extat, protulit, hunc tamen ei præfixit titulum: *De præcipuis hono-*

Gelasius Cyzicen.

honoribus, qui majori Episcopo in gubernatione Ecclesiasticâ decreti sunt. Quæ verba cum generaliter sonant, etiam de præcipuo honore Pontifici decreto intelligenda videntur, quinimò debent? cum enim Canon ille cunctis Ecclesijs sua privilegia confirmet, & Metropolitanis, & Exarchis, & Patriarchis, quis dicet omisisse privilegia summi Pontificis? profectò non omisisse, tametsi non probaret vetus illa editio (inquit Sirmondus libro citato cap. 6.) „ quam cæteris pleniorem ac „ sinceriorem superiùs ex Codice Vaticano protulimus: tamen hanc „ certè partem, quâ primatus Ecclesiæ Romanæ firmatur, in vulga- „ tis editionibus desiderari docerent tum Novellâ Valentiniani, tum „ Synodi Chalcedonensis Canon. „ Novellæ Valentiniani verba per Sirmondum citata, sunt: *Cum Sedis Apostolicæ Primatum sancti Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis Coronæ, & Romanæ dignitas civitatis, sacræ etiam Synodi firmarit authoritas.* Floruit Valentinianus Imperator post Synodum Constantinopolitanam secundam, & Synodi nomine simpliciter prolato juxtà morem illis temporibus observatum intellexit Nicænam, quæ per excellentiam Synodus appellata fuit.

Titulus Can. 6.

Sirmondus

Novella Valentin.

347. Manifestiùs autem id liquet ex sacrosancto Concilio Chalcedonensi, in quo cum actione 16. Canon 6. Nicænus citatus fuisset à Paschasino Leonis primi legato cum hocce initio: *Quod Ecclesia Romana semper habuit Primatum.* Et ex alio codice idem Canon per Constantinum Synodi Chalcedonensis secretarium recitatus fuisset sine illo initio, gloriosissimi judices consentientibus sexcentis & triginta Concilij Episcopis dixerunt: *Ex his quæ gesta sunt, & ab unoquoque deposita, perpendimus, omnem quidem primatum & honorem præcipuum secundum Canones antiquæ Romæ Dei amantissimo Archiepiscopo conservari.* „ Res (inquit eminentissimus Cardinalis Perronius cap. 32.) quam miror Græcos schis- „ maticos, & inter alios Nilum non perpendisse. „ Quinimò quam miror ego, in tanta luce ab hæreticis oppugnari, & à Catholicis quibusdam dissimulatam iri: enimverò cum solus Canon 6. Nicænus à Paschasino productus Primatum Romani Pontificis habebat expressum, & Constantinus Divini Consistorij Secretarius sextum Nicænum absque mentione primatus Pontificij allegasset, & huic addidisset Canones Constantinopolitanos his tantum verbis mentionem facientes de Romanæ Sedis Episcopo, *Episcopum Constantinopolitanum habere primatus honorem post Romanum Episcopum:* Ex iis tamen duobus Canonibus judices statim concluserunt: *Omnem quidem Primatum & honorem præcipuum secundum Canones antiquæ Romæ Dei amantissimo Archiepiscopo servari.*

Can. 6. Nicen.

Judices Chalced.

Card. Perronius.

Judices Chalced.

Quid manifestius? numquid indè clarè apparet, Canonem 6. Nicænum juxtà Chalcedonense Concilium confirmasse institutum à Christo Romani Pontificis Primatum, & à Synodo Constantinopolitanâ, dum Primatus honorem Constantinopolitano post Romanum adjudicat, servatum honorem præcipuum & Ecclesiæ Primatum Romano Episcopo? ingenuè id animadvertit D. de Marca lib. 5. cap. 12. §. 3. & ait: „ Est Canon Nicænus 6. quo Primatus defertur Romano Episcopo præ cæteris Patriarchis. Quemadmodum & Synodus œcumenica secunda, & Judices cognitores in Concilio Chalcedonensi „ Canonem illum interpretati sunt. „

De Marca.

348. Hujus sacrosancti Nicæni Canonis authoritate omnium primus in literis exstantibus usus est S. Bonifacius Papa primus epistolâ ad Episcopos per Thessaliam constitutos ordine 9. inter illas, quas Lucas Holstenius Vaticani Bibliothecarius edidit cum Synodo Romanâ sub Bonifacio 2. in quâ laudata Bonifacij primi epistola lecta fuit cum hocce exordio: *Institutio universalis nascentis Ecclesiæ de Beati Petri sumpsit honore principium, in quo regimen eius & summa consistit. Ex eius enim Ecclesiasticâ disciplinâ per omnes Ecclesias Religionis iam crescente culturâ, fonte manavit. Nicænæ Synodi non aliud præcepta testantur, adeò ut non aliquid super eum ausa sit constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri: omnia denique huic noverat Domini sermone concessa.* Neque solùm probata fuit hæc epistola in Synodo Romana sub Bonifacio 2. sæculi 6. anno 531. sed illud ipsissimis verbis in authoritatem recepit sæculo nono Nicolaus Papa primus, ac epistolâ 8. citato S. Bonifacio opposuit Michaëli Imperatori, & ante Nicolaum sæculo 8. tacito Bonifacij nomine epistolæ suæ inseruit ad Episcopos Hispaniæ Adrianus Papa primus apud du Chesne tomo 3. Scriptorum Historiæ Franciæ pag. 818. editionis Parisiensis anni 1641. & subinde ex illo, tomo 3. Opusculorum insignium D. Augustini à Lovaniensibus edito anno 1648.

Bonifacius primus,

Bonifacius 2. in Synodo Rom.

Nicolaus I.

Adrianus I.

349. Licet autem ex hoc Bonifacij primi testimonio toties à Successoribus confirmato, illustriora pro Romani Pontificis principatu testimonia eluceant, quam ut nostro commentario indigeant, ponderanda tamen sunt hæc verba: *Nicænæ Synodi non aliud præcepta testantur, adeò ut non aliquid super eum ausa sit constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri: omnia denique huic noverat Domini sermone concessa.* Exponit Christianus Lupus parte 4. ad Canonem 19. dict. Gregorij 7. „ Quod quid est aliud, quàm primæ Sedis Episcopum à Generali Syno-

Bonifac. I.

Lupus.

,, Synodo non posse judicari? ,, ac si diceret: si nihil suprà Romanum Pontificem constitutum sit, nec Concilium constitutum erit, consequenter nec eum judicare poterit, sicut & sæculo 9. S. Sylvestrum per legatos suos in Concilio Nicæno proclamasse ad Basilium Orientis Imperatorem scribit Stephanus 5. *An ignoras, quod in prima Synodo Nicæna Præsidente ibi S. Constantino, beatus Sylvester Papa de non judicando supremo throno (per legatos) pronuntiarit.* Extat epistola cum versione Græcâ tomo 23. collectionis Regiæ. Et tomo 24. ubi solus textus Latinus reperitur, verba leguntur in eâdem epistolâ: *an ignoras in prima Nicæna Synodo, quod B. Sylvester Papa proclamaverit per Legatos, præsente ibidem S. Constantino, ut prima Sedes à nemine iudicetur.* Et sæculo 11. Leo 9. epistola 1. ad Michaëlem Patriarcham Constantinopolitanum: *Beatissimo & Apostolico Pontifice Sylvestro divinitùs decernente, spiritualique eius filio Constantino Augusto cum universâ Synodo Nicæna approbante ac subscribente, ut summa Sedes à nemine judicetur.* Et hæc proculdubiò, si authenticis antiquitatis monumentis nituntur, ut niti censenda sint, quamdiu contrarium non probetur, abundè supplent, quæ ob supposita Romanæ sub S. Silvestro Synodi acta desiderari poterant.

Stephan. 5.

Leo 9.

350. Secundus Romanorum Pontificum, qui ex sacrosancto Nicæno Concilio Sedis Apostolicæ Primatum probavit, fuit circa finem sæculi 5. S. Gelasius, adeo per Dionysium Exiguum in Præfatione ad collectionem Decretalium laudatus, qui in tractatu adversus Græcos inquirendo urget: *Qua ratione vel consequentia alijs Sedibus defendendum est, si primæ Beatissimi Petri Sedi antiqua & vetusta reverentia non defertur, per quam omnium Sacerdotum dignitas semper est roborata atque firmata, trecentorumque decem & octo Patrum invicto & singulari judicio vetustissimus judicatus est honor? utpote qui Domini recordabantur sententiam. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo Claves Regni Cælorum, & quæcumque ligaveris vel solveris in terrâ, erunt ligata vel soluta in cælo. Et rursus ad eumdem: ecce ego ,, rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando convertere, & confirma ,, fratres tuos.* Et illud: *Si amas me, pasce oves meas;* ,, Edidit primus hunc Gelasij Tractatum Iacobus Sirmondus in Appendice ad Codicem Theodosianum, & sub nomine epistolæ 14. inseruit Tomo suo 4. Conciliorum Philippus Labbeus: testimonium verò citatum Gelasij Papæ urget Parisiensis Archiepiscopus de Marca lib. 1. c. 2. & in illo animadvertenda sunt verba S. huius Pontificis, cui mens & acta Nicæni Concilij non fuêre ignota, Patres illos agnovisse cuncta Scripturæ loca Petri

Gelasius I.

Matt. 16.

De Marca. & Successorum probantia Primatum; & ex his „ invicto Patrum Ni-
„ cænæ Synodi judicio vetustissimum Romanæ Sedis honorem fuisse
„ judicatum „ ut cum Gelasio scribit D. de Marca: hoc autem animad-
vertendum contra Launoium, non de Synodo Sardicensi, sed Nicænâ
intellexisse Gelasium, quandoquidem 318. Episcoporum memineat,
cumque illud non inveniatur in Nicænorum Canonum vulgatâ edi-
Sirmondus tione; lucet rectè scripsisse Sirmondum „ Canonem 6. Nicænum jure
„ à Baronio & Bellarmino mutilum doceri „ & deesse initium: *quod
Ecclesia Romana semper habuit primatum.* Hic est enim vetustissimus ille
honor, quem ex omni orbe congregati Episcopi juxtà Gelasium Pa-
pam invicto & singulari judicio adjudicarunt: huncque in epistolâ 8.
Gelasius. ad Anastasium Imperatorem expositurus: *Apostolicæ* (inquit Gelasius
Papa) *Sedis authoritas, quod cunctis sæculis Christianis Ecclesiæ prælata sit uni-
versæ, & Canonum serie paternorum, & multiplici Traditione firmatur.* Illos
Canones, ut rectè etiam animadvertit Lupus, mox indicat esse Nicæ-
nos utique 6. de Primatu Pontificis tractantem, ex quo non nisi ni-
mis manifestum est, sanctissimos illos Patres ex omni orbe coaduna-
tos agnovisse Romani Pontificis Primatum, quem ex actis Nicæni
Concilij fusiùs exponit Canon 39. Arabicus: *Ille, qui tenet Sedem Ro-*
Can. 39. Arab. *mæ, Caput est, & Princeps omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est pri-
mus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes
populos eorum, ut qui sit Vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos, &
universam Ecclesiam Christianam, & quicumque contradixerit, à Synodo excom-
municatur.* Hæc de Pontificis potestate in spiritualibus consequenter ad
testimonium Gelasij expositio Arabica, cujus gens Sedis Apostolicæ
authoritati inimica tanti tamen testimonij depositaria est fidelissima,
Turrianus. „ neque testimonio illo, ut habet Turrianus, ullum luculentius, neque
„ gravius à Synodo Nicæna dari potuit. „ Et, ut tradit Thomas Leo-
Leonardi. nardi Doctor Lovaniensis parte 1. contra Hamerstedium hæreticum,
cap. 15. sufficientem Romano Pontifici potestatem attribuit.

351. Tertius Romanorum Pontificum est Nicolaus Papa primus in
Nicolaus I. epistolâ ad Michaëlem Imperatorem: *Proindè animadvertendum est* (in-
quit) *quia non Nicæna, non denique ulla Synodus quodquam Romanæ contu-
lit Ecclesiæ privilegium, quæ in Beato Petro noverat totius jura potestatis pleniter
meruisse, & cunctorum Christi ovium regimen accepisse: sicut beatus Præsul Boni-
facius attestatur universis Episcopis per Thessaliam constitutis scribens: institutio
universalis nascentis Ecclesiæ &c.* ut suprà: additque ad hæc ex Bonifacio I.
citata verba: *Omnia denique huic noverat Domini sermone concessa: si omnia*

ergo

ergo defuit nihil, quod non illi contulerit? Non potuit Nicolaus primus expressioribus verbis innuere, supremam Romano Pontifici divinitùs concessam in Petro potestatem, fuisse confirmatam & agnitam à Nicæno Concilio, quandoquidem allato Bonifacij I. loco, nihil defuisse concludat, quod Nicænum non agnoverit ipsi à Deo concessum.

352. Possemus plura sanctorum Patrum testimonia adducere, quæ hactenùs dicta de Romani Pontificis Primatu divinitùs instituto confirment, sed quid necesse est eorum testimoniis recensendis inhærere, ubi initio florescentis Ecclesiæ ex omni orbe Catholico trecenti decem & octo sanctissimi Patres, aut doctrinâ celeberrimi, aut sanctitate conspicui, aut Miraculis clari, aut in perferendis pro CHRISTI Fide tormentis probati, unanimi voce intonent: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum.* Insaniat hîc Græculorum levitas, Cælum Terramque misceat Hæreticorum nova credulitas, hoc edocta Spiritus sancti gratiâ firmandum duxit Sacrosancta trecentorum decem & octo Patrum Nicænorum Corona, quæ adeò fideliter de Apostolicâ & primævâ Ecclesiæ Traditione deponit, ut ab invitis licet reverentiam extorqueat, & ad tantorum vocem Patrum Schismaticorum necessariò erubescat insanies, & novatorum Hæreticorum obstupescat durities. Clamet Schismatica Factio, Romanæ Ecclesiæ privilegia à Synodis concessa; edicat Novatorum Turba, humanitùs esse instituta: Ecclesia Romana non à Synodis, non ab hominibus, sed semper habuit Primatum, quia in Apostolorum Principe Petro ab ipsomet Æterni Patris Filio obtinuit Primatus privilegium. Hoc perhibuerat in sacris Literis organum Spiritus sancti, hoc tradiderant primævæ Ecclesiæ Patres, hoc admiserant Orbis universi Fideles, hoc receperat post Nicænum Concilium tantâ firmitate omnis Orthodoxa sub Cælo Ecclesia, ut resumere libeat verba Gennadij: *Hoc profectò nescio, quomodò quis inficiari possit, cùm apertissimè* CHRISTUS, *& omnes Doctores manifestiùs, quàm vel si tonitruum personarent, hoc ipsum vociferentur.* Quæ verò contra Græcos Schismaticos Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus, hæc quoque ego contrà nostri sæculi Novatores Hæreticos, qui cùm in tantâ Antiquitatis luce se nihil videre asserunt, frontem meretriciam induunt, quâ licet convicti erubescere nesciunt: Habuimus complures istius generis Hæreticos, qui oculos veritati claudendo, noluerunt intelligere ut benè agerent, sicque potiùs videre nolle, quàm videre non posse existimati sunt: Habuimus & alios qui obdurati in duritie cordis sui

Canon 6. Nicænus.

Gennadius.

cùm

cum ad profundum venerant, contempserunt, & quidquid suggerebat rabies, impudenter evomebant in Sedis Apostolicæ odium. Habemus proinde nunc aliquos, qui nonnihil peritorum scriptis & rationibus mitiores facti Sedis Apostolicæ Pontificem in Ecclesia Primatus honorem aut titulum habuisse fatentur, Primatus tamen effectum fucatis rationibus abjudicare nituntur; faxit omnipotens Dominus, ut emollitâ cordis duritie aures veritati aperiant, & quem Christi in terris Vicario Primatum confirmat Sacrosanctum Nicænum Concilium, ipsi quoque amplectantur & agnoscant: huic sese olim veneranda subjecit antiquitas, & huic sese modo subdit Orthodoxa sub cælo posteritas, ut quod olim S. Avitus Viennensis Episcopus in epistola ad Hormisdam Papam professus erat non modò de Viennensi sed de totius Galliæ subjectione, hoc ego securus, non dicam de nostri Belgij, sed de totius Ecclesiæ devotione profitear, omnes sese subdere Sedis Apostolicæ sententiæ & Pontifici, cui ego, imitatus Antiquorum & Recentiorum mores, ita scripta omnia subjecta volo, ut quod ipsius judicio placeat, suscipiatur, quod verò ut minus rectum displiceat, contemnatur & reiiciatur.

F I N I S.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

Notet Lector, literam C. indicare columnam disputationis præviæ, literam verò P. paginam primæ & secundæ Partis Antiquitatis illustratæ.

A.

Abagari ad IESUM epistolæ num apocrypha? pag. 270. n. 242.

Abailardus negat Dionysium Areopagitam Parisiensem Episcopum. p. 418. n. 280.

Abrahami Ecchelensis nova versio Canonum Arabicorum, eiusque mens de auctore, p. 289. n. 168.

Actus Apostolorum quorumdam apocryphi, p. 375. n. 245.

Æra Vulgaris quando inchoanda C. ij. & iv.

Æra Diocletiani quandonã incœperit, C. lxvij.

Africanæ Ecclesiæ ordinationes à quibus olim fieri consueta. p. 89. n. 102.

Agathonis Synodus Patriarchalis. p. 104. n. 115.

Agrippinus omnium primò rebaptizandum statuit, p. 182. n. 52.

Alexander Papa quandonã viguerit. C. xxxix. eius acta, C. xxxvij. epistola ipsi supposita. p. 454. n. 313. eius obitus, C. xlj.

Alexander fit Imperator C. liv. occiditur C. lvj.

Alexandria Ægyptiaci Regni Princeps p. 41. n. 43. Patriarchatus ibidem institutus, n. 44. Alexandrini Patriarchæ Metropoles & Episcopatus p. 53. n. 58. Alexandrinus Patriarcha ita præerat suæ Diœcesi, ut sine eius sententia nihil fiebat à subiacente Episcopo p. 111. n. 122.

Alexij Aristini collectio Canonum. p. 356. n. 226.

D. Ambrosij mens de rebaptizatione hæreticorum. p. 211. n. 82.

Anacletus Papa eiusque acta. C. xxxiv. & sequentib. est diversus à Cleto, p. 387. n. 254. Epistolæ decretales ipsi suppositæ. p. 452. n. 312.

Ancyranum Concilium eiusque Canones p. 282 n. 163.

Angilramnus Metensis Episcopus num primus jus novum introduxerit. p. 346. n. 216. Canones aut Capitula sub ipsius nomine edita. p. 347. n. 217.

Anglicana Ecclesia Romano Episcopo etiam ut Patriarchæ subiecta. p. 88. n. 100. & p. 104. n. 115. & p. 114. n. 124. Illam subiectionem agnovit Iacobus primus Angliæ Rex schismaticus. p. 80. n. 91.

Anicetus Papa eiusque gesta. C. xlv. Fuit Pontifex ante Pium C. xlvij. in observ. epistola ipsi supposita. p. 456. n. 315.

Anselmi Lucensis collectio canonum p. 358. n. 230.

Anterus Papa eiusque gesta. C. lvij. quanto tempore sederit. ibid. in observ. epistola ipsi supposita. p. 459. n. 318.

Antiochia Orientis caput p. 41. n. 43. Patriarchatus ibidem institutus. n. 44. eius Metropoles & Episcopatus p. 53. n. 58.

Antiocheni Concilij causa & Episcopi. p. 295. n. 172. & 173. Eius canones non sunt erronei p. 301. & sequentibus. Omnes recepit Ecclesia p. 297. n. 176. Canon Antiochenus ab Antiquis reprobatus non est duodecimus nec extat inter 25. p. 303.

Antonij Augustini Dialogorum libri de corre-

ctione Gratiani. p. 364. n. 236. & seq.
Fatetur se nescire, cur canon 12. *Antiochenus reprobetur*, p. 303. n. 179.
Antonini Imperatoris initium & obitus. C. xlij. & xlvj.
Apelles quandonam haeresim sparsit. C. xliij.
Apollonius Senator Romanus. C. lj.
Apostoli instituerunt Ecclesias cum respectu ad Imperium, p. 35. & seq.
Apostoli omnes Dono Spiritus S. in fide infallibiles fuerunt, p. 146. n. 15. *Regulas tradidisse Ecclesijs indubitatum est*. p. 270. n. 152. *Non tamen scriptis mandarunt & in unum opus collegerunt* p. 275. n. 156. *Eorum Canones sunt postea collecti*. p. 264. *uti & Constitutiones*. p. 273.
Aquila Scriptura interpres, C. xxxix.
Arabici Canones falsò sub nomine Nicaenorum publicati. p. 286. n. 167. *Varia circa istos Canones tractantur*, *ibidem & seq.*
Archelaus Herodis successor, *quandonam relegatus*, C. v.
Arelatensis Concilij occasio. p. 238. n. 119. *Fuit citrà juris ordinem concessum*. p. 243. n. 124. *Non fuit universale sed Patriarchale Occidentis* p. 245. n. 125. *numerus Episcoporum, qui interfuit*, p. 248. n. 129. *Eius praeses*. p. 249. n. 170. & seqq. *Agnovit auctoritatem Pontificiam*. p. 255. n. 138. *Edidit canones ab Ecclesia receptos*. p. 281. n. 163.
Ariani rebaptizabant & à quo tempore? p. 474. n. 330.
Ariani omnium primi Romanorum Pontificum auctoritatem intrà Occidentis terminos concludere nisi. p. 99. n. 110. & seq.
Arnobius quandonam floruerit. C. lxvij.
Arsenij Monachi collectio Canonum. p. 356. n. 227.
Asiana Dioecesis. p. 31. *Eius Provinciae*, p. 33. *Parebat Ephesino Exarcho*, p. 36. n. 38. & p. 45. n. 48.
Asia consuetudo circa Paschatis diem 14. *Lunae*. p. 161. n. 30.
Athanasij locus de haereticorum rebaptizatione. p. 203. n. 73.
Athanasius non suscitavit errorem Cypriani. p. 205. n. 76.
Avitus Viennensis deplorat statum Galliae, quo illius Episcopi ad Synodum Patriarchalem adire prohibentur, p. 103. n. 114.
Auberti Miraei, editio Chronici Eusebiani. C. xij.
Augustinus putabat lapsum Petri contigisse ante Ierosolymitanum Concilium, ut defenderet veram Pauli reprehensionem. p. 144. n. 12.
Augustinus non tam negavit, quam ignoravit lapsum Marcellini Papae. 422. n. 105.
Augustinus arguit donatistas, quod sine relatione ad Pontificem deposuerant Caecilianum. p. 233. n. 114.
Aurelianus fit Imperator. C. lxiv. *Remittit causam Pauli Samosateni ad Romanum Pontificem*. C. lxv. *in observ.* & p. 96. n. 108. *eius obitus*. C. lxiv.

B.

Baronius *ex Consulibus hauriendam putat veram Chronotaxim*, C. j. *errat tamen in aera vulgaris initio*. C. iv. *duobus Consulatibus serius quam oportuit, collocavit mortem Augusti*. C. vj. *Hinc error in ipsius Chronologia usque ad Imperium Probi, cui duos annos abstulit, uti & duos Consulatus erasit de fastis*, C. lxvij. *in observ.*
Baronius correctus circa interpretationem Eusebij de sedato schismate Novatiani. p. 195. n. 65.
Baronij sententia posthuma de actis Synuessanae Synodi & lapsu Marcellini est verisimilior. p. 226. n. 108.
Baronius se correxit circa Illiberitani Concilij authoritatem p. 280. n. 160. *corrigitur circa Antiocheni Concilij receptionem*. p. 298. n. 175. *reiicit epistolas decretales ut suppositias*. p. 445. n. 307.
Basileenses sustinebant claves immediate datas Ecclesiae, & per Ecclesiam Petro. p. 23. n. 25. *Admittunt interim potestatem Summi Pontificis*. p. 106. n. 77.
Bellarminus retractatâ priori sententiâ putat lapsum Marcellini esse suppositiitium. p. 223. n. 103.

n. 103. trium primorum sæculorum decretales epistolas non admittit ut indubitatas. p. 446. n. 307. Habet Concilium Romanum *sub Sylvestro, ut genuinum. p.* 486. *n.* 341.

Blasti error de Paschatis observatione 14. *luna latenter judaismum introducens. p.* 169. *n.* 38.

Blondelli Calumnia circa decretales epistolas. p. 451. *n.* 320.

Bulgaricum Regnum Illyrici Part. p. 88. *n.* 99.

Burchardi Wormatiensis Episcopi collectio Canonum ipso auctore elucubrata. p. 357. *n.* 229.

C.

C*Aius Papa eiusque gesta,* C.lxvij. *epistola ipsi supposita. p.* 462. *n.* 321.

Catani heretici, C. lxiij.

Caligula Imperator. C. xxvj.

Callistus Papa eiusque gesta C. liij. & lv. *Epistolæ ipsi supposita, p.* 458.

Canones Apostolorum quandonam editi. p. 264. *n.* 147. *Fuerunt in authoritatem recepti, p.* 266. *n.* 149. *Variantibus tamen Ecclesiis quoad numerum ibid. quinimò, pluribus de eorum authoritate dubitantibus, p.* 268. *n.* 151. *nec mirum cum inter illos reperiantur apocryphi, p.* 269. *n.* 151.

Canones primo edidit Concilium Illiberitanum, p. 276. *n.* 157.

Canones Nicæni quotnam fuerunt, p. 283. *n.* 164.

Canones Arabici non sunt Nicæni, p. 286. *n.* 167. *sunt tamen antiqui, p.* 288. *n.* 168. *continent plura ex actis Nicænis, p.* 291. *n.* 169. *non tamen omnia acta. p.* 292. *n.* 171.

Canon 6. *Nicenus agit de jure Patriarchico, p.* 92. *n.* 105.

Canon 8. *Arelatensis correctus; p.* 200. *n.* 71.

Canones Antiocheni huc usque reiecti sunt orthodoxi, p. 299. *n.* 176.

Canones Sardicenses semper fuerunt recepti, p. 309. *n.* 185.

Canones Constantinopolitanos non recepit Sedes Apostolica, p. 315 *n.* 190.

Canonum collectiones antiquissimæ, p. 325. *n.* 198.

Canonum collectio ante Dionysium Exiguum, p. 317. *n.* 192. *eam sub titulo Codicis Ecclesiæ universæ edidit Christophorus Iustellus, p.* 319. *n.* 193. & *seq. Hic tamen illi collectioni non competit titulus, p.* 321. *n.* 197. *neque probatus fuit ille codex à concilio Chalcedonensi canone,* 1. *p.* 322. *n.* 192. *est particulare cuiusdam Episcopi opus. p.* 320. *n.* 194.

Caracalla Imperator eiusq; obitus, C.lij. & liv.

Cardinalium officium & dignitas, p. 109. *n.* 121.

Caroli Magni erga Sedem Apostolicam submissio p. 154. *n.* 25.

Carpocrates hæreticus, C. xxxix.

Catalogus antiquior Romanorum Pontificum, quandonam & quo authore elucubratus, C. xiv. & *seq. eius author non fuit Antherus nec approbator Damasus,* C. xvij. *neque illum à Damaso recepit Hieronymus,* C. xviij. *est tamen fons cæterorum.* C. xix.

Catalogus secundus quid contineat, & quandonam confectus sit, C. xix. *eius errores ibid.*

Catalogus tertius nunc primo publicatus, C.xx. *undenam descriptus ibid.*

Cataphryges auctore Montano, C. xlix.

Censorini testimonium de initio Gordiani, C. lix.

Cerdo hæreticus, C. xlv.

Cerinthus movet Antiochia quæstionem de legalibus, p. 35. *n.* 2.

Christianus Lupus, vide Lupus.

Christus quandonam natus, C. iij. & *seq. eius Baptismus,* C. vij. *quandonam cruci affixus,* C. viij & ix. *reliquit Petrum sui in terris Vicarium, p.* 3. & *seq.*

Chronotaxis quænam sequenda? C. x.

Claves Ecclesiæ Petro promissæ significant eius Primatum, p. 21. *claves fuerunt Petro immediatè concessæ. p.* 24. *quinimò per Petrum Ecclesiæ. p.* 25. *n.* 27. & *seq.*

Claudius Imperator eiusque obitus, C. xxvj. xxviij.

Clemens Papa eiusque gesta, C. xxxj. *quandonam Episcopus Romanus creatus sit*, p. 380. n. 249. *an à Petro ordinatus?* p. 381. n. 250. *est ordine quartus*, p. 388. n. 255. *num cesserit Pontificatu?* p. 385. n. 253. *Constitutionum opus non habet ipsum pro auctore*, p. 271. n. 154. *est tamen antiquissimum*. p. 273. n. 155. *genuina Clementis prima epistola ad Corinthios nunc extat*. p. 390. n. 257. *epistola posterior ad Corinthios est suppositititia*, p. 391. n. 258. *suppositititia quoque epistola ad Iacobum*, p. 382. *cætera item opuscula sunt apocrypha*. p. 391. n. 258. & seqq.

Clementis obitus, C. xxxvij.

Clerus Romanus nihil innovare potest Sede vacante, p. 150. n. 20. *hinc tempore Cypriani vindicabat Supremam Romani Pontificis authoritatem*, p. 174. n. 43.

Cletus eiusque acta, C. xxxiij. *est alius ab Anacleto*, p. 386. n. 254. *non fuit à Petro ordinatus Romanus Episcopus*, p. 384. n. 252.

Codex Canonum Ecclesiæ universæ, p. 317. & seq.

Codex Canonum vetus Ecclesiæ Romanæ, p. 344. n. 215.

Cæcilianus illegitimè à Donatistis depositus, p. 233. n. 114. *adfuit Synodo Arelatensi ut cæteri Episcopi*, p. 255.

Commodus Imperator eiusque obitus, C. lxviij. & l.

Communio in fine sæpius olim negata, p. 279. n. 160.

Concilium plenarium cuius meminit Augustinus agens de rebaptizatione, est Nicænum, p. 201. n. 72. *non tamen solum sed & plura alia*, p. 212. n. 84.

Concilium, vide Synodus.

Consistorium Romani Pontificis, p. 96. n. 108.

Constantinus fit Imperator, C. lxx. *vincit Maxentium*, C. lxxij. *Vicennalia celebrat*, C. lxxiv. *Donatistarum contentionem ad Melchiadis Iudicium transmittit*, p. 235. n. 116. *habet Donatistas capitis Reos*, p. 260. n. 143. *ad eorum appellationes exclamat rabidam furoris audaciam*, p. 240. & seq. *quandonam baptizatus sit*, p. 466. n. 325. & *Romæ & Nicomediæ baptizatum fuisse quænam insinuent*, p. 470. n. 328. & seq.

Constantinopolis est secunda Roma. p. 50.

Constantinopolitana Sedes quomodo in Patriarchalem evecta sit, p. 51. n. 55. & seq. *quam frequenter obstiterit Sedis Apostolicæ auctoritas ibid.* n. 56. *eam restitisse usque ad Concilium Lateranense sub Innocentio* 3. p. 52. n. 57. *Metropoles & Episcopatus tunc Sedi Constantinopolitanæ parentes*, p. 54. n. 58.

Cornelius Papa eiusque gesta, C. lviij. & lx. *quandonam Pontificatum cœperit*, C. lix. *in observ. Confirmat Cypriani Decretum de admittendis lapsis ad pœnitentiam*, p. 174. n. 43. *Epistolæ Decretales, quæ fuerunt Cornelio supposita*, p. 459. n. 319. *eius epistola ad Fabium contrà Novatianos*, p. 176.

Corpus Canonum quid sit, p. 342. n. 212. *eius epitome Hadriano primo adscripta*, p. 341. n. 213.

Cresconij collectio canonum, p. 339. n. 211.

Cyprianus fit Episcopus, C. lix.

Cyprianus confirmationem Pontificis expostulat, ibid. Romani Pontificis Primatum egregijs testimonijs elucidat, p. 177. n. 46. & 47. *Cypriani error de rebaptizatione hæreticorum*, p. 197. n. 67. *Cyprianus errorem suum correxit*, p. 199. n. 70. *eius error silentio obvolvendus*, p. 192. n. 64. *eius obitus.* C. lix.

Cyrillus Ierosolymitanus non statuit rebaptizandos hæreticos, p. 209. n. 80.

D.

Damasi Papæ ad Hieronymum Epistola apocrypha. C. xiv. & xvj.

Descriptio orbis à S. Luca memorata, C. iij.

Deusdedit Cardinalis collectio canonum, p. 359. n. 231.

Diocletianus Imperator, C. lxvj. *eius persecutio*, C. lxxj. *purpuram deponit*, C. lxx.

Dionysij Areopagitæ scripta impugnantur, p. 396. n. 262. *ea propugnavit Theodorus Presbyter*, p. 400. n. 266. *satisfit obiectionibus*. p. 402. n. 267. & seq.

Dio-

Dionysij operibus favent complura antiquitatis monimenta, p. 408. n. 272. & seq.
Dionysius Areopagita num venerit in Gallias, p. 416. n. 278. & sequentibus. *Antiquior est opinio obiisse Martyrem & Episcopum Athenienſem.* p. 420. n. 282.
Dionysius Alexandrinus, C. lxv.
Dionysius Corinthiorum, C. xlix.
Dionysij Exigui canonum collectio. p. 327. n. 204. *edidit etiam collectionem decretalium*, p. 329. n. 202. *fuit Dionysij collectio receptissima per Occidentem*, p. 330. n. 203. & seq. *non tamen adeo admissa, quin quædam ex ipsa fuerint reprobata, aliaque ultra illam admissa*, p. 333. n. 206.
Dionysius Papa eiusque acta, C. lxiij. *epistolæ ipsi supposita*. p. 461. n. 320.
Domitianus Imperator, C. xxxij. *eius persecutio*, C. xxxv.
Donatio Constantini non est genuina, p. 480. *quonam auctore supposita*, p. 482. n. 338. & seq.
Donatus eiusque schisma & hæresis, C. lxxj.
Donatistarum Origo, p. 132. n. 112. *remittunt causam Maiorini & Cæciliani ad Transmarinum iudicium*, p. 234. n. 115. *appellarunt à Synodo Romana & Arelatensi*, p. 240. n. 121.
Donatus adfuit ut reus cum suis Concilio Arelatensi, p. 155. n. 136.
Donatistæ habuerunt suos pseudo-Pontifices Romæ, p. 261. n. 145.

E.

Ebionis hæresis, C. xxxiij.
Ecclesia conformiter ad Divisionem Imperij per Provincias & Diœceses instituta, p. 55. n. 36.
Ecclesiæ Regimen esse Monarchicum, p. 3. & seq. *sed Aristocratico mixtum*, p. 30. n. 21.
Egesippus floret Romæ, C. xlvij.
Eleutherus Papa eiusque gesta. C. xlvij. *epistola ipsi supposita*, p. 416.
Episcoporum judicia & depositiones plerisque in locis olim Provinciæ Synodis concessa nunc Sedis Apostolicæ reservata judicio, p. 116. n. 126.
Epistolæ decretales quandonam per Ecclesiam sparsæ, p. 440. n. 301. *à temporibus Hincmari Remensis usque ad nostrum sæculum fuerunt receptæ*, p. 441. n. 303. & seq. *non continent errores in disciplina aut fide*, p. 446. n. 307. *sunt tamen supposititiæ*, p. 447. n. 308. *enumerantur omnes usque ad Sylvestrum, quibus fuerunt suppositæ*, p. 351. n. 311. & seq.
Evangelia quædam apocrypha p. 374. n. 241.
Evaristus Papa eiusque acta, C. xxxv. & xxxvij. *epistolæ ipsi suppositæ*, p. 453.
Eusebius Cæsareensis quandonam floruerit, C. lxxj. *ipsius chronicon est vitiosum*, C. xij. *finit in Vicennalibus Constantini*, C. lxxiv.
Eusebius suspectus in historia de Baptismo Constantini, p. 471. n. 328.
Eusebius Nicomediensis baptizavit Constantinum in fine vitæ. p. 473. n. 329.
Eusebiani sunt auctores canonum, quos de Antiochenis reprobavit antiquitas, p. 305.
Eusebius Papa eiusque gesta, C. lxxiij.
Exarchorum in tribus Diœcesibus institutio, p. 43. n. 46. & seq. *eorum per Sedis Constantinopolitanæ erectionem destructio*, p. 51. n. 56.
Excommunicati unius Episcopi non possunt absolvi ab alio non superiore, p. 49. n. 19. *excommunicati sæpius ad litteras segregantis Episcopi offerendas coacti, ut fraudes vitarentur*. p. 157. n. 27.

F.

Fabianus Papa eiusque gesta, C. lvj. & lvij. *epistolæ ipsi suppositæ*, p. 459. n. 318.
Faustinus Lugdunensis per se & Cyprianum rogat Stephanum Papam pro depositione Martiani Arelatensis, p. 115. n. 128. & 179. n. 49.
Felix Papa eiusque gesta, C. lxv. *Epistolæ ipsi suppositæ*, p. 161. n. 321.
Firmilianus erravit circa latam in Cyprianum à Stephano excommunicationis sententiam, p. 191. n. 61.

Firmilianus sententiam de rebaptizatione hareticorum mutavit, p.196. n.67. C. xxxv.
Flavius Iosephus.
Francisci Salesij egregium de clavibus Petro immediatè traditis testimonium. p.24. n.26.
Fulgentij Ferrandi collectio Canonum, p. 337. n. 200.

G.

GAllia habebat olim praefectum pratorio, p. 35. eius Episcopi spectant ad Synodum Patriarchalem Romanam, p. 108. n. 112. & seq. agrè tamen post S. Aviti tempus ad Synodum Patriarchalem accedebant, p.109. n. 121. Galliarum Episcopi à quibus olim ordinati, p. 88. n. 101. eorum Metropolitani pallium petebant à Romano Pontifice, p. 89. n. 101. eorum Iudicia quandonam Sedi Apostolica reservata, p. 117. n. 127. non possunt sibi eligere alium Patriarcham prater Romanum, p. 125. n. 144. hinc in Concilio Parisiensi damnant libellum Optati Galli de Cavendo schismate, p.126. n.145.
Gallia quandonam Martyres habere cœperit, p. 423. n.284. habuit codicem Canonum antè Dionysij Exigui tempora, p.326. n.199. admisit epistolas decretales à saeculo octavo, p. 443. n.304.
Gallienus Imperator, C. lx.
Gallus Imperator, C. lviij.
Gelasij Papa decretum de scriptis Apocryphis exponitur, p.360. n 240. posuit varias classes apocryphorum librorum, p. 265. n.148. egregium eius testimonium de Primatu Pontificis ex Niceno Concilio, p.493. n.350.
Godefridus Henschenius tuetur antiquioris & 2. Catalogi Chronologiam, C. xxvij. & seq.
quid sentiendum, C. xvj.
Gordiani Imperatores, C. lvj.
Gratiani decretum quandonam editum & quomodo receptum in Occidente, p. 362. n.234. & seq.
Gratiani correctores, p.364. n.236. aliquos post correctionem restare errores, p.360. n.238.
Gregorius septimus scribit esse Eusebianorum fictionem, Pontifice; Romanos non posse absolvere alterius excommunicatos, p. 156. n. 26.
Gregorius Taumaturgus, C. lvij. eius obitus, C. lxv.
Guidi Panciroli commentaria in Notitiam Imperij, p. 32. n.35.

H.

HAdriani primi capitula à quonam compilata & quantum olim habita? p. 346. n. 216.
Hadrianus Imperator, C. xxxviij. eius persecutio, C. lxj.
Heliogabalus Imperator, C. liv.
Henricus Valesius edidit historiam Donatistarum p. 232. n. 112. putat S. Optati locum esse corruptum de appellatione à Synodo Romana, quod inquiritur, p. 241. n.122. an rectè scripsit hallucinatum esse Baronium in testimonio Augustini de 200. Episcopis, qui interfuerunt Arelatensi Concilio, p 245. n. 126. an rectè Baronium accuset, circa historiam Antiocheni Concilij, p.306. n.181.
Heraclas fit Episcopus Alexandrinus, C. lvij. an rebaptizationem admiserit, p.184. n.54.
Hareticorum rebaptizatio per Stephanum Papam vetita, p.187. n.57. idque intelligendum de solis hareticis, qui utebantur legitimâ formâ & materiâ, p. 189. n. 60. contraria consuetudo non descendit ab Apostolis, p.183. n.53. & 54. ea tempore Firmiliani Apostolis erroneè à quibusdam tributa, p.264 n.147. id mutatione sententia ab Orientalibus postea agnitum, p.296. n.67. uti & ab Africanis, p. 197. n.68. hac quaestio de rebaptizatione quandonam primo sopita, p.200. n.71. utrum resuscitata sit, p.203. n.73. & quandonam iterum sopita in diversis Concilijs, p.210. & seq.
Herodes Rex quandonam obierit, C. iij.
Hieronymus vertit Chronicon Eusebij, C. xj. eius epistola ad Damasum apocrypha, C. xiv. non approbavit responsum Polycratis contrà Victorem Papam de Paschate, p. 164. n.34. testatur Africanos mutasse sententiam circà rebaptizationem, p.197. n.68.

Hildu-

Hilduini Areopagitica impugnantur, p. 422.
Hincmarus Remensis admittit decretales epistolas per subsequentia Concilia non retractatas, p. 442. n. 303. *non mutavit sententiam ibid. Fatetur quemcumque Episcopum evocationi Romanæ obedire debere*, p. 106. n. 117. *obtinuit Metropolitas Remenses à sola Sede Apostolica judicari*, p. 118. n. 127. *eius mens de auctoribus canonum Apostolorum*. p. 264. n. 146. *reiicit Concilium Romanum sub Sylvestro*, p. 486. n. 342. *tuetur Dionysium Areopagitam fuisse Parisiensem Episcopum*. p. 418. n. 279. *Errat S. Isidorum Hispalensem fuisse auctorem collectionis Isidori*. p. 348. *rectè scribit tantum editos* 20. *Canones Nicænos* p. 286. n. 166.
Hosius Cordubensis Episcopus fuit Constantino auctor mitigandi sententiam circa Donatistas, p. 261. n. 144. *abit in Orientem pro Sopienda Ariana hæresi*, C. lxxv.
Hyginus Papa eiusque gesta, C. xliij. *quanto tempore sederis, ibid. Epistola ipsi supposita*. p. 455.

I.

Iacobus Apostolus non fuit primas in Concilio Ierosolymitano, p. 138. n. 6.
Iacobus Angliæ Rex admittit Patriarchalem Romani Episcopi potestatem etiam in Angliam, p. 80. n. 91.
Iacobus Sirmondus infirmum habet fundamentum pro Dionysij Areopagitæ Martyrio sub Domitiano, p. 398. n. 263. *tuetur rectius Dionysium Areopagitam obiisse Athenarum Episcopum*, p. 421. n. 282. *refellit coniecturam anonymi de suburbicarijs Regionibus & Ecclesijs*, p. 58. n. 60. *& seq. interpretatur suburbicarias de totius Occidentis Ecclesijs*, p. 70. n. 73. *restituit canonem* 7. *Arelatensis Concilij*, p. 198. n. 69. *eius opinio de Episcoporum Arelatensium numero non admittitur* p. 246. n. 127. *docet mutilum esse canonem* 6. *Nicænum in vulgatis editionibus*, p. 491. n. 346.
Ierosolyma quando capta, C. xxxiij.
Ierosolymitana Sedes olim Cæsariensi subdita, p. 48. n. 51. *post diuturna dissidia ad Patriarchalem evecta*, p. 48. n. 52. *ipsius Metropoles & Episcopatus*, p. 54. n. 58.
Ignatij Martyris epistolæ duodecim, p. 429. n. 289. *quænam ex eis interpolatæ*, p. 231. n. 290. *& seq. aliæ tres epistolæ ipsius nomine ad Deiparam & B. Ioannem sunt suppostitiæ*, p. 437. n. 300. *B. Ignatij obitus*, p. 404. n. 269.
Illyberitanum Concilium omnium primo Traditiones Ecclesiarum redegit in Canones, p. 276. n. 157. *à notâ defenditur*, p. 276. n. 158. *illius etiam antiquissimi meminerunt*, p. 278. n. 159.
Illyrici Diœcesis parebat sub Præfecto Prætorio Italiæ, p. 34. *Illyricanæ Ecclesiæ Romano Episcopo ut Patriarchæ Occidentis quoad ordinationes erant subiectæ*, p. 85. n. 97. *etiam Bulgaria Illyrici pars*, p. 88. n. 99. *graviores Illyrici causæ specialiter ad Sedis Romanæ Iudicium spectabant*, p. 112. n. 123.
Imperium olim in Provincias distributum, p. 31. *eius Diœceses & Provinciæ*, p. 33. *Metropoles eius fuisse Metropoles Ecclesiæ*, p. 36. n. 37. *& seq.*
Imperij maiores civitates tres, p. 40. n. 43.
Ioannes Launoius, vide *Launoius*.
Ioannis Scholastici collectio Canonum & Nomocanon malè Theodoreto tributus, p. 335. n. 207. *&* 208.
Ireneus succedit Photino, C. xlix. *non putabat errare Victorem in quæstione Paschatis, nec durè eum arguit*, p. 169. n. 39. *Irenei obitus*, C. liij.
Isidori Mercatoris collectio, p. 347. n. 218. *illius auctor non fuit S. Isidorus Hispalensis Episcopus*, p. 348. n. 219. *quidnam eius collectio contineat*, p. 349. n. 220. *& seq. an recepta fuerit*, p. 351. n. 222.
Ivonis Carnotensis decretum & Pannormia, p. 359. n. 232. *an Pannormia ab Ivone confecta?* ibid.
Iulius Africanus, C. lv.
Iulius Papa eiusque gesta, C. lxxvj.
Iustinus Martyr floret, C. xlj. *Apologiam offert pro religione*, C. xliij. *obit* C. xlvij.

L. Lab

L.

Labbeus putat Christum obiisse Consulibus Sulpitio Galba & Cornelio Sulla, C.ix. edidit S. Prosperi Chronicon, C. xiij. habet epistolas Damasi & Hieronymi à Milesio publicatas ut apocryphas, C. xvj. etiam decretales Primorum Pontificum ut suppositias, p. 419. n. 309 in Chronologia sequitur Petavium, C. xxiij. confirmat illam ex Censorini testimonio, C. lxxj. eius judicium de edicto Constantini, p. 482. n. 338. indicat Dionysium Areopagitam non venisse in Gallias, p. 421. n. 282.

Lactantius Arnobij Discipulus, C. lxxv.

Laodicenum Concilium eiusque Canones p. 282. n. 163.

Launoius impugnat communem Ecclesiæ sensum de locis scripturæ pro Petri Primatu facientibus, p. 12. n. 11. refellitur, p. 13 n. 12. tres Patrum expositiones de petra fundamentali Ecclesiæ per Launoium adducta non repugnant interpretationi Patrum de personâ Petri, p. 17. n. 19. existimat claves immediatè datas Ecclesiæ & per Ecclesiam Petro, illasque esse claves pœnitentiæ, p. 20. n. 22. concludit ex eo fundamento pro superioritate Concilij, p. 29. ac satisfit obiectionibus, ibid.

Launoij mens de sensu Canonis 6. Nicæni, p. 65. & seq. voluit Marcionem aliosque excommunicatos non potuisse absolvi à Romano Episcopo sine segregantis Episcopi consensu, p. 149. n. 18. contrarium stabilitur, p. 150. n. 20. & seq. allegat inter alios Gregorium 7. quem tamen istam opinionem Eusebianorũ figmentis accenset, p. 156. Adducit responsum Polycratis, pro fallibilitate Pontificis, idque ab Hieronymo tuetur probatum, p. 160. n. 28 id à Hieronymo non probari ostenditur, p. 164. n. 34. & Victoris non obesse factum Polycratis. p. 171. n. 41.

Launoius opponit contentionem de rebaptizatione hæreticorum infallibilitati Pontificiæ, p. 181. existimat Agrippinum non fuisse primum qui rebaptizandum statuit, quod exponitur, p. 182. n. 53. interpretatur mentem Stephani de admissione omnis omninò hæreticorum Baptismatis, p. 187. n. 57. sed quàm erroneè id tradiderit, ibid. n. 58. & seq. sustinet Africanos non mutasse sententiam, quod pluribus infirmatur, p. 197. n. 68. & 69. malè citat pro rebaptizatione hæreticorum Cyrillum Ierosolymitanum, p. 209. n. 80. malè item D. Ambrosium, p. 211. n. 82. sustinet Cypriani sententiam prævaluisse sententiæ Stephani Papæ, p. 214. n. 85. id autem variè improbatur, p. 215. n. 86. & seq.

Launoius Synodi Synuessanæ authoritatem infirmat, p. 226. n. 108. defendit Concilium Arelatense fuisse plenarium universæ Ecclesiæ p. 245. n. 125. impugnat scripta Dionysij Areopagitæ, p. 397. & seq. oppugnat initium Canonis 6. Nicæni de Primatu Pontificis, p. 489. n. 344.

Legalia non observanda, p. 127. n. 4.

Liber de Infantia Salvatoris apocryphus, p. 270. n. 241.

Liber de Transitu Mariæ apocryphus, p. 272. n. 243.

Liber Pastoris cuiusnam sit, p. 377. n. 246. p. 278. & 247. cur apocryphus, C. lxxvj.

Liberius Papa, C. xxix. an Petri dumtaxat Vicarius fuerit, C. xxix. in obs. & p. 381. & seq.

Linus Pontifex eiusque gesta, C. xxix. an Pe-

Lucius Papa eiusque gesta, C. lxj. epistola ipsi supposita, p. 460. n. 320.

Lucius Verus Imperator, C. xlvj.

Lupus tuetur claves immediatè Petro datas & per Petrum Ecclesiæ, p. 25. & seq. an rectè exclamet lapsum Marcellini esse novellam fabulam & calumniosum Donatistarum figmentum, p. 223. & seq. tuetur acta Synuessana seculo octavo conficta, cum sint antiquiora, p. 226. an rectè sustineat Codicem Canonum Ecclesiæ vulgò universæ probatum à primo Canone Chalcedonensi, p. 320. n. 194. & seq. indicat opera Dionysij Areopagitæ circa initium quarti seculi esse supposita. p. 396.

p. 396. *n.* 262. *num rectè existimet Hincmarum Remensem* Palinodiam *cantasse circa Decretales epistolas, p.* 442. *n.* 303. *habet Decretales illas epistolas passim pro supposititijs Isidori mercibus, p.* 447. *n.* 307. *rectè abiudicat donationem Constantino, p.* 480. *n.* 337.

M.

MAcrinus Imperator, C. liv.
Manes haresiarcha unde Manichei, C. lxvij.

Marca sustinet interpretationem Ruffini de suburbicarijs Ecclesijs quoad solas ordinationes esse intelligendam, p. 62. *n.* 64. *& seq. non admittitur Marca opinio, p.* 66. *n.* 70. *erravit Canones Sardicenses olim in Ecclesia non fuisse receptos, p.* 308. *n.* 183. *nec alios receptos fuisse quam Nicanos, p.* 321. *n.* 195. *jura Patriarchalia tria enumerat, p.* 81. *n.* 92. *quid ad scribendum opus de concordia Sacerdotij & Imperij compulerit, p.* 129. *n.* 149. *eruditè correxit locum Zosomeni circà contentionem Polycratis cum Victore Papâ, p.* 165. *n.* 35. *tenet acta Synuessana ob antiquitatem veneranda, p.* 227. *n.* 109. *compilatorem Canonum Apostolorum investigat, p.* 265. *n.* 147. *Constitutionum opus Clementi abiudicat, p.* 275. *n.* 155. *conatur rationem reddere, cur Antiochenum Concilium fuerit quandoque reiectum, p.* 299. *n.* 175. *Malè admisit Codicem Iustelli sub titulo Ecclesia universa, p.* 319. *n.* 194. *reiicit Decretales epistolas, p.* 448. *n.* 308. *an rectè fictum Constantini edictum imponat Romanis Pontificibus,* p. 483. *n.* 340.

Marcellus Papa eiusque gesta, C. lxxj. *epistola ipsi supposita,* p. 463. *n.* 322.

Marcellinus Papa eiusque acta, C. lxix. *errat auctor 2. Catalogi in Imperatoribus, sub quibus acta enarrat,* C. xx. *Marcellini lapsus utrùm confictus? p.* 224. *n.* 106. *& seq. epistola ipsi supposita,* p. 462 *n.* 322.

Marcion hareticus, C. xlj. *eius excommunicationis historia, p.* 148. *n.* 17. *ei non fuit dictum à Pontifice, sed à Clero Romano, non potuisse absolvi sine Patris consensu, p.* 151. *n.* 20. *fuit posteà à Romano Pontifice in communionem admissus,* p. 151. *n.* 21.

Marcus Papa, C. lxxvj.
Marcus Aurelius Imperator, C. xlvj.
Marinus Arelatensis num primo Concilio Arelatensi prafederit ut Sylvestri Vicarius, p. 251. *n.* 132.
Martianus Arelatensis Novatianum secutus & à Stephano Papâ deponendus, p. 179. *n.* 49.
Martini Braccarensis collectio Canonum à Synodo Lucensi probata, p. 338. *n.* 210.
Maxentius occisus, C. lxxij.
Maximianus Imperator, C lxvj.
Maximini persecutio, C. lvj. & lvij.
Melchiades Papa eiusque gesta, C. lxxiij. *eius auctoritas in Synodo Romana, p.* 236. *n.* 118 *epistola ipsi supposita de Munificentiâ Constantini, p.* 466. *n.* 325. *alia Decretalis ipsi supposita,* p. 463. *n.* 323.
Meletij temeritas dedit occasionem sexto Canoni Nicano, p. 66. *n.* 69.
Melito Sardicensis, C. xlvij.
Mendoza libri pro Illyberitano Concilio, p. 276. *n.* 155.
Metropolitana dignitas quid importet, p. 39. *n.* 42. *instituta est in Metropolibus Imperij, p.* 36.
Minutius Felix. C. liij.

N.

NEocæsareense Concilium eiusque Canones, p. 282. *n.* 163.
Nero Imperator, C. xxviij. *eius persecutio quandonam contigerit,* C. xxxj. *in obser.*
Nerva Imperator, C. xxxvj.
Nicænum Concilium quandonam celebratum, C. lxxv.
Nicani Concilij Canones solum viginti, p. 285. *n.* 166. *Arabici* 84. *non sunt Nicani, p.* 286. *n.* 167. *continent tamē plura ex actis Nicanis, p* 291 *n.* 170. *Canon* 6. *Nicanus agit de Primatu Romani Pontificis, p.* 489. *n.* 345. *& seq. agit de jure Patriarchatuum, p.* 65. *& seq.*

Nicolaitarum hæresis, C. xxxv.
Nili Doxapatrij liber de quinque thronis Patriarchalibus, p. 53. n. 58.
Notitia Imperij, p. 32. n. 36.
Novatus Presbyter Carthaginensis, C. lix. *primum Antipapam Novatianum fecit*, p. 175. n. 44.
Novatianus quomodo creatus, p. 176. n. 45. *Romani Pontificis supremam authoritatem usurpat*, p. 177. n. 47.
Novatiani schismatici, p. 176. n. 46. *eorum schisma in Oriente plerumque sopitum subitâ Ecclesiarum pace*, p. 180. n. 50. *Claves pœnitentia non admittebant post Baptismum*, p. 185. n. 55.
Numerianus Imperator. C. lxvj.

O.

O*Nuphrius Panuinus Chronologiam suam primorum Pontificum utcumque sumpsit ex Catalogis*, C. xxij. *eius error circà initium æra & Consules*, C. ij.
Optati Milevitani locus de appellatione Donatistarum à Romano Concilio non est mutilus, p. 241. n. 122. *eius sententia de clavibus Petro traditis*, p. 25. n. 28.
Ordinationes Episcopales à quibus olim peracta? p. 83. n. 94. & seq.
Origenes quandonam florere cœperit, C. liij. *fit Presbyter*, C. lvij. *eius obitus*, C. lxj.

P.

P*Alladij insignis locus pro Antiocheno Concilio*, p. 305. n. 180.
Pantanus, C. lxix.
Pascha Dominicâ post 14. lunam observabat tota prater Asiam Ecclesia, p. 161. n. 21.
Patriarchalis dignitas à Petro instituta in tribus præcipuis Imperij Civitatibus, p. 41. n. 44.
Patriarcharum nomen olim ignotum res ipsa notissima, p. 67. n. 71.
Patriarchicum ius in tribus præcipuè consistit, p. 81. n. 92. *iuris istius character est de maioribus causis ferre iudicium*, p. 111. n. 122.
Patriarchatuum Metropoles & Episcopatus, p. 53.
Pauli ascensio ad Petrum, p. 134. n. 1. & 2. *eius reprehensionem fuisse simulatam tenent antiquiores Græci, at veram fuisse sustinent plerique Latini*, p. 140. n. 7. & seq.
Perronij Cardinalis elogium, p. 256. n. 139. *Senonense sub ipso Concilium censurat libellum anonymum de Ecclesiastica & politica potestate*, p. 28. n. 32. *desiderium ipsius satisfaciendi Salmasij libello de suburbicariis*, p. 60. n. 62. *Romanum Episcopum ut Patriarcham Occidentis habet*, p. 80. n. 91. *defendit D. Hieronymum ab approbatione erroris per Polycratem defensi*, p. 164. n. 34. *adiudicat Romano Episcopo potestatem absolvendi alterius excommunicatos*, p. 153. n. 22. *restituit locum Synodica Arelatensis 1.* p. 256. n. 139.
Petrus est fundamentum Ecclesia, p. 18. & seq. *recepit claves in signum Primatus*, p. 21. n. 23. *præsedit Ierosolymitano Concilio*, p. 139. n. 6. *sedit Antiochia*, C. xxvij. *venit Romam anno secundo Claudij ibid.* & C. xxix. *obit cum Paulo eodem die*, C. xxxj. *quo anno? vide ibid. in observat.* & C. xxxiij. *eius lapsus non fuit error in fide sed conversationis vitium*. p. 145. n. 13. & seq. *contigit post Ierosolymitanum Concilium*, p. 144.
Petri regimen Monarchicum à Christo institutum, p. 3. & seq.
Philippus Imperator, C. lviij.
Photij Nomocanon & quid contineat, p. 353. n. 324.
Pictura an à Concilio Illyberitano prohibita, p. 280. n. 161.
Plinius historicus obit, C. xxiij.
Pontianus Papa eiusque gesta, C. lvj. & lvij. *epistola ipsi supposita*, p. 458. n. 318.
Polycarpus Smyrnensis Romam venit sub Aniceto, C. xlv. *Martyrio coronatur*, C. xlvij.
Polycrates floret in Asia, C. lj. *eius responsio de observatione Paschatis ad Victorem Papam*, p. 163. n. 33. *retractat sententiam*, p. 170.

Pont-

Pontificale Damasi unde collectum? C. xxj.

Pontica Diœcesis eiusque Provinciæ, p. 33. *parebant Exarcho Cæsareensi in Cappadocia*, p. 46. n. 49.

Porphyrius arguit Pauli procacitatem, p. 140. n. 7.

Præfectus urbi habuit decem dumtaxat regiones, p. 58. n. 61.

Presbyterium quid sit? p. 95. n. 107.

Probus Imperator, C. lxvj. *quot anni ipsi attribuendi?* C. lxvij. *in observ.*

Prosperi Chronicon ab initio mundi deductum, scatet erroribus, C. xiij.

Q.

Quadratus Atheniensis Episcopus, C. xlj. *quandonam obtulerit libellum Hadriano.* p. 406. n. 260.

R.

Rebaptizatio hæreticorum. Vide hæreticorum rebaptizatio.

Reginonis collectio Canonum, p. 357. n. 228.

Richelius Cardinalis insimulatus de ambitu Patriarchatus Gallicani *defenditur*, p. 128. n. 148.

Roma caput Romani Imperij, p. 41. n. 43. *eius Episcopus est centrum, radix, & caput communionis Ecclesiasticæ*, p. 121. n. 130. *& seq. semper habuit primatum*, p. 5. n. 4. *& seq. Item* p. 490. n. 346. *& seq. à nemine in terris iudicatur, Vti testantur acta Synvessana*, p. 228. n. 110. *& seq. Item Romana sub Sylvestro*, p. 487. n. 343. *Item Nicæna*, p. 492. n. 349. *ab initio Ecclesia adhibere consuevit Concilium Cleri*, p. 94. n. 107. *& à temporibus Constantini Synodos Italicas*, p. 96. n. 108. *exercebatque in iis supremam authoritatem*, p. 97. n. 109. *semper absolvit alterius excommunicatos*, p. 151. n. 21. *& seq. est Episcoporum Episcopus.* p. 173. n. 42.

Romanus Episcopus est etiam Patriarcha, p. 57. n. 59. *eius* Patriarchatus *ultra centum ab urbe lapides sese extendit*, p. 60. n. 62. *Item ultra decem* Provincias *suburbicarias*, p. 68. n. 72. *quinimò per omnes Occidentis Ecclesias*, p. 73. n. 75. *iura* Patriarchalia *ibidem exercuit*, p. 81. n. 92. *id probatur de ordinationibus Episcoporum*, p. 83. *& 93. & seq. etiam in convocandis Occidentis Concilijs*, p. 99. n. 110. *& seq. demum in ferendo ad relationes Occidentales & appellationes iudicio*, p. 112. n. 123.

Romana Ecclesia habuit antiquissimam Canonum collectionem, p. 326. n. 200.

Ruffini interpretatio de suburbicarijs non est de mente Canonis sexti Nicæni, p. 65. n. 68. *nec aliter admitti potest quàm per suburbicarias intelligendo omnes Occidentis Ecclesias* p. 69. n. 73.

S.

Salmasij opinio de suburbicarijs, p. 58. n. 60. *reiicitur ex Sirmondo.* ibid. n. 61.

Sardicense Concilium eiusque Canones *recepti*, p. 309.

Schola Alexandrina antiquissima, C. liij.

Schismatici qui à Pontifice *se separant*, p. 125. n. 143.

Seneca, C. xxix. *eius mors*, C. xxxj.

Severus Imperator, C. l. *eius persecutio*, C. lij.

Sorbona Parisiensis *damnat Spalatensem, quod negarit* Petri *regimen esse Monarchicum*, p. 9. n. 8. *damnat eumdem quod asseruerit* Petrum *post Spiritus S. illapsum decidisse à fide*, p. 147. n. 16. *damnat quoque Lutherum impugnantem opera S. Dionysij Areopagitæ*, p. 413. 276.

Soter Papa *eiusque gesta*, C. xlvij. *epistola ipsi supposita*, p. 456. n. 315.

Stephanus Papa *eiusque gesta.* C. lxj. *plusquam 5. menses sedis ibid. in observ. ipsius sententia de non rebaptizandis hæreticis prævaluit Cypriani*, p. 215. n. 87. *& seq. non erravit circa hæreticorũ Baptismata.* p. 188. n. 58. *& seq. ab excommunicatione supersedit*, p. 190. n. 61.

Suburbicaria loca quid, p. 59. n. 61.
Synodus Hierosolymitana, p. 137. n. 4.
Synodi de quæstione Paschatis sub Victore, p. 162. & seq.
Synodi Synvessana acta Isidoro Mercatore antiquiora, p. 227. n. 109.
Synodus Arelatensis. Vide Arelatensis Synodus.
Synodus Romana sub Sylvestro supposititia, p. 486. n. 342.
Synodus Nicæna quandonam habita, C. lxxv.
Synodi Antiochenæ occasio, p. 295. n. 172. *Episcopi*, p. 296. n. 173. *confirmat acta Nicæna ibid. edidit canones ab omni tempore receptos*, p. 176. n. 299.
Synodi Parisiensis acta circà novum Patriarchatum Galliæ, p. 126. n. 145.
Synodi Senonensis & Aquensis damnant libellum anonymum de Ecclesiastica & politica potestate, p. 28. n. 32.
Sylvester Papa eiusque gesta, C. lxxiij. *præsedit per suos vicarios Arelatensi Concilio*, p. 253. n. 134. *baptizavit Constantinum*, p. 467. n. 326.
Symeonis Logothetæ collectio Canonum, p. 356. n. 226.

T.

Tacitus quando scripsit, C. xxxviij.
Tatianus auctor Encratitarum, C. xlix.
Telesphori gesta, C. xlj. *epistola ipsi supposita*, p. 455.
Tertullianus floret, C. lj. *Constanter docet claves Petro immediatè concessas*, p. 25. n. 27. *declamat in Zephyrini edictum*, p. 173. n. 42.
Thracica Diœcesis eiusque Provinciæ, p. 33. *parebat sub Exarcho Heracleensi*, p. 46.
Theodorus Presbyter propugnat opera Dionysij Areopagitæ, p. 400. n. 266.
Tiberius quando consors Imperij factus, C. vj.
Titus Imperator, C. xxxij.
Traditiones Ecclesiæ, p. 276. n. 156.
Traianus Imperator, C. xxxvj.

V.

Valentinus hæreticus, C. xlv.
Valerianus Imperator, C. lx.
Vespasianus Imperator, C. xxxij.
Victor Papa eiusque gesta, C. lj. *indicat per Orbem Concilia*, p. 162. n. 32. *num reipsa excommunicavit Asianos*, p. 165. n. 35. *epistola ipsi supposita*, p. 457. n. 316.
Vrbanus Papa eiusque gesta, C. lv. *epistola ipsi supposita*, p. 358.

W.

Wiclefus & Hus obsistunt Primatui Romani Pontificis, p. 4. *Wiclefus à Constantiensi Concilio damnatus ob impugnatas Decretales epistolas*, p. 444. n. 305.

X.

Xystus Papa eiusque gesta, C. xxxix. *epistola ipsi supposita*, p. 454.

Z.

Zephyrinus Papa eiusque acta, C. lj. *mitigat antiquum Ecclesiæ rigorem*, p. 172. n. 42. *Epistola ipsi supposita*. p. 457.